DE PRIVILEGIIS JVRIS CIVILIS,

Libri Tres,

AVCTORE

GEORGIO ACACIO ENENCKELIO,
BARONE HOHENECCIO.

CVM INDICE RERVM AC VERBORVM MEMORABILIVM.



AD ILLVSTR. AVSTRIÆ
VTRIVSQVE ORDINES.

EDITIO RECVSA

RATISBONÆ,
SVMPTIBVS JOANNIS ZACH. SEIDELII.

M DCC XX.



AD ILLUSTR.
AUSTRIÆ UTRIUSQUE
ORDINES
GEORGII ACACII ENENCKELII, BARONIS HOHENECCII, PRÆFATIO PRIORI EDITONI PRÆMISSA.



Etus eſt & celebre magni Catonis præceptum, tàm otii noſtri quàm negotii rationem extare jubentis. Et præclarè mihi ad vitam hortari videntur, qui nos aperto oſtio, hoc eſt, in conſpectu Dei & hominum, vivere monent. Ego verò vitæ omnis otiique & negotii mei rationem, non tam univerſis, quàm Vobis, Illuſtres Ordines! quos cùm alloquor, Patriam alloqui videor, redditam probatamque maximoperè velim. Superioribus quippe annis, nec publicis multùm occupatus, nec privatis adeò implicitus negotiis: ita illud, quod mihi divinitùs dari credebam, otium amplecti ſolebam, ut etiam in ora (quamvis id nunquam eminere voluiſſem) ſermonesque nonnullorum abiret. Alii enim non obſcurè deſidiam illud vocabant: alii ſtudia hæc, ut ſtudio rerum publicarum contraria increpabant: plerique quidquid agerem, in publicum lucemque ho-

minum mihi prodeundum magis, & si quid possem Patriæ ac Reip. commodis tribuendum, judicabant. His ego omnibus & olim respondi, & nunc refero: me illo, quo tum mersus videbar, otio ita usum, ut idem mihi honestissimum, & publicè tam re quàm exemplo utilissimum, probi omnes intelligentesque semper judicaverint, & porrò sint judicaturi. Si enim potissima hominis pars est animus & mens illius, ut sapientes, imò quibus ratio inest ulla, fatentur: hujus quoque actiones functionesque omnibus aliis, seu dignitatem spectes, seu utilitatem, antehabendæ.

His ego me præcipuè otium meum impendisse, vel hic, quem nunc Vobis offero, testabitur libellus. Namque dum illorum pars major domesticis curis, aut foro & litibus fatigantur; dum auri argentique & alieni vesanâ cupidine dies & noctes extimulantur; dum honorum munerumque impotenti, & tam Reip. quàm sibi exitiabili sæpè ambitione exercentur; dum venatibus, amoribus, aut ludicris aliis intenti, in ipsis sudoribus, molestiis, & concursationibus suis nihil agunt: his ego studiis, quorum nunc specimen aliquod edo, & porrò si Deo visum fuerit edam, operatus, mihi, amicis, propinquis, hominibus denique, & Reip. utilem me idoneumque efficere festinavi. Inerti enim otio vitæque à puero infensus, quia aliud mihi oneris Patria non imponebat, illud totâ mente, omnique animi impetu curare volui, quo honestius, utilius, Deo & hominibus

gra-

gratius, nihil patere videbam. Quod quidem præter communes ſapientiæ rationes, & ætas mea nondum usque adeò grandis, & præſens rerum omnium ſtatus, hactenus ſemper ſuaſerunt. Illa enim tempeſtiva, quamvis tarda, cum ſecuritate privatâ & utilitate publica, expectare monuit: hic, prærupta conſcendere vetuit, unde deſpicere non ſine vertigine poſſem. Honori itaque magis & laudi, certè non invidiæ pudorive eſſe debet, ſi quod mihi Deus, Princeps, Patria, Vosque omnes, dediſtis indulſiſtis otium, id honeſtiſſimis & inter omnes humaniores gentes probatiſſimis ſtudiis impendi propriumque dicavi. Ideò maximè, quod illa ipſa non tam ad genii mei obſequium delectationemque, ſed ad publicam quoad potui multorum utilitatatem, ſemper direxi.

Inter alia quippe, Privilegiorum materiam, non poſtremam Juris Publici, imò maximam cujusque Status & Imperii, noſtri præcipuè, partem, aggreſſus; quæ de his ſeu universè ſeu ſpeciatim Jure Romano ſancita inveniebam, in unum corpus (quando nuſpiam certam, ut alii juris loci, ſedem habet) colligere, referre, atque explicare deſtinavi: ac pleraque hujus vel confecta aliquousque, vel certè incæpta habeo.

Nunc licet non hæc tantùm univerſalia, ſed unà ſingula quoq; Privilegiorum Juris Civilis genera edere animus ſemper fuerit: ita tamen amicis, quibus & incerta vitæ humanæ, & præſens Patriæ meæ rerumq; omnium

 facies,

facies, obversabantur, suadentibus; hanc solam in præsentiâ, (nec enim plura præsens patiebatur tumultus) sed primam & potissimam partem, & quasi summam commentariumque ceterorum, evulgare volui: reliquorum & singulorum descriptionibus suo quoque tempore atque ordine, Deo benè juvante, secuturis.

Hanc ipsam qualemcunq; lucubrationem meam, Vobis præcipuè, Illustres Venerabilesq; Patriæ meæ Ordines, offerre, propriamque facere, debui voluiq;: ut primo, quod cœpi, non inutilem me Reipubl. nostræ civem, nec publicæ salutis & commodorum incuriosum, æstimare ac credere possitis: inde verò, quæ Privilegiorum natura, conditio, leges, ex hisce meis, aut me monente ex aliis, vel discere, vel ad animum revocare sciatis. Tritum enim quidem & notum est Privilegiorum nomen: vim autem eorum non perinde omnes intelligere videntur. Unde multi & graves in singulis penè Rebusp. errores: hinc injuriæ, clades, rapinæ, privati ac publici questus: hinc civium de Principe suo suspiciones, ut promptæ, ita periculosæ, fidesque & amor (quo non alia res pestilentior) vacillans: hinc dissidia, seditiones, bella: hinc excidia urbium, nobilissimarum familiarum interitus, gentium eversiones, clarissimorum imperiorum ruinæ proculcationes ve, & si quid atrocius esse potest. Quod omnium ætatum, & non minùs præsentium temporum exempla testantur. Hinc alii, non tantùm circa Privilegia Principi permis-

sum

ſum putant, quantum ſibi jure ſuo vendicat; alii contrà, nihil non in illa Principi licere dictitant. Unde illud Vergæ Hiſpani ad Lovanienſes Academicos dictum: Nos non curamus veſtros Privilegios: & Annæ Montmorantii Franciæ Comeſtabilis ad Regem ſuum, de jure Privilegiorum ex jure Canonum, *(par le droict du Canon)* hoc eſt, bellicorum tormentorum cum Metenſibus diſputare jubentis. Hinc item alii, lædi ſe Privilegiis aliorum indignantur: alii, quibus illi ſe quoque dignos Privilegiis cenſent. Hi, quoquo modo impetrata vel data Privilegia, rata eſſe volunt; illi, etiam perfectiſſima & omnibus cum ſolennitatibus data, pro lubitu imperantium convelli poſſe & infringi affirmant. Interpretationem verò eorum, nunc Principi, nunc ipſis Privilegiariis, nunc neſcio quibus aliis, imponunt: jam ſtrictè, jam largiſſimè ſumenda ajunt. Ejusdem omnia ponderis & virium eſſe, modò ajunt, modò negant: & nunc illud, nunc iſtud antehabendum putant. Interim nullum eorum uſum, & nomen ſeu titulum ſine re, opinantur; interim licentiæ & injuriarum aſylum ſub umbra Privilegiorum ſibi pollicentur. Aliâs morte conditoris Privilegia cadere jactitant; aliâs ſemel data, non minùs quàm ceteras leges perpetua eſſe & immutabilia prædicant. Et innumera hujusce generis alia, non rarò cum maximo boni publici damno ac pernicie ambiguntur aut ignorantur.

Quæ ut in præſenti hoc opere, non tam meâ, quàm ſum-

ſummorum Juriſconſultorum, imò legum & Principum ipſorum, ſententiâ atque auctoritate definita invenientur; ita Vobis, & omnibus aliis, quibus publici & privati boni cura aliqua eſt, grata futura & accepta, nihil dubito. Quod enim de Athenienſibus ſuis apud Thucydidem Pericles, idem de omnium Rerumpublic. civibus tenendum puto, ut non privatarum modò rerum, ſed & Reipubl. quisque ſuæ notitiam curamque habeat non vulgarem, qui aliter, hos non otioſos, ſed inutiles ſupervacuosque habendos. Quâ de cauſſâ illa quidem ad omnia Imperia Statusq; pertinentia, Veſtro tamen maximè Nomini, Veſtro Honori dedicata & conſecrata volui: ut apud quos mihi lucis hujus exordium datum, apud illos, quidquid hoc eſt mei vel ſtudii vel operis deponerem: eoque non Vobis tantùm, ſed & Principi noſtro ſtudium meum animumq; probarem, qui & cives illius quàm optimos, & Rempublicã, cujus ille Caput, quàm tranquilliſſimam & florentiſſimã eſſe, non velim tantùm, ſed quantum in me & reipſâ efficere coner. Nunquam enim inutilis eſt opera civis boni, ut Seneca ait: & officio ſatisfeciſſe, qui quod rectiſſimè potuerit, etſi levius ſit, pro viribus tamen bonoque animo in medium conferat, bonos omneis conſenſuros ſpero. Vivite felices: atque, ut cum Corinthiis ex eodem Thucydide loquar, τὴν πατρίδα πειρᾶσθε μὴ ἐλάσσω ἐξηγεῖσθαι, ἢ οἱ πατέρες ὑμῖν παρέδοσαν.

Geor-



GEORGII ACACII ENENKELII
BARON. HOHENHEIM.

DE PRIVILEGIIS JURIS CIVILIS

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Quo, unde descendat nomen Privilegii? quid idem antiquitus, quid vulgò, quid nobis hoc loco denotet? indicatur.

EPITOMA.

1. *Cur de nomine Privilegii ab initio videndum?*
2. *Privilegia antiquitus dicebantur leges nominatim in privatos latæ.*
3. *Et in malam magis partem his accipiebantur.*
4. *Non tamen semper.*
5. *Hodie diversa est & amplior vocis hujus significatio.*
6. *Hodie enim privilegia dicuntur jura singularia respectu juris communis.*
7. *Quidam privilegium quasi privans legem dictum putant.*
8. *Communissima hujus vocis significatio est, qua omnis generis prærogativæ notantur.*
9. *Nos hic eam tantum prærogativam intelligimus, qua homo vel causa aliqua jus quoddam præ aliis sui generis habet.*

10. Privilegia jus tale sunt, quod adversus commune jus exceptionem seu relaxationem introducit.
11. Vox hæc modo instrumentum, modo jus ipsum, quod eo continetur, notat.
12. Eadem per abusum his quoque, quæ non sunt vera privilegia, aliquando imponitur.
13. Quasi-privilegia.
14. Quibus vocibus alii populi privilegia exprimant?



1 E PRIVILEGIIS nostri juris scripturum, ante omnia * quid nomine privilegii communiter significetur, inquirere atque explicare oportet. Hujus enim cognitio etiam rudis atque ἐπιπόλαιος, seu (ut Aristoteles lib. 1. physic. in princ. appellat) συνκεχυμένη, omnium prima, maximeque utilis & necessaria esse videtur. Nam nisi quid vocabulum rei, tam vulgo quam proprie notet, præsciamus, nunquam quid res ipsa contineat, assequemur. Itaque juri operam daturum prius nosse debere, unde nomen juris descendat, ait Ulpianus *in l. 1. in princ. ubi Bald. & Dd. ff. de justitia & jure.* Nec raro vocabuli notitiam ad rei ipsius cognitionem adjumento esse: ut Plato in Cratylo copiose ostendit. Ἐςι γὰρ, ut Aristoteles ait in lib. de interpretatione, τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. *fac. l. 1. in fine. C. de officio præf. urbi.* Qua de causa passim in jure nostro hoc definitionis genus usurpari videmus, veluti, *in l. 1. ff. de verborum signif. d. l. 1. ff. de justi. & jure §. decuriones, instit. de testam. ordin. §. est autem de tutelis, ibid &c.* Ad hæc cum, ut alia, ita præsens vocabulum aliter alias usurpetur, itaque eadem voce res plures significentur: quæ significatio illius hic accipienda, & quomodo constituere primo omnium oportet.

2 Antiquissima * igitur, omniumque prima, & eo quam proxime ad nomen ipsum accedens significatio esse videtur, qua privilegia appellantur leges nominatim in privatos seu singulos ho-

homines latæ. Ita namque Cicero, in oratione pro domo sua: Quo jure, inquit, quo more, quo exemplo, legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? vetant leges sacratæ, vetant XII. tabulæ, leges privatis hominibus irrogari, id est enim privilegium. Nemo unquam tulit: nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil quod minus hæc civitas ferri possit. Proscriptionis miserrimum nomen illud, & omnis acerbitas syllani temporis, quid habet, quod maxime sit insigne ad memoriam crudelitatis? opinor pœnam in cives Romanos nominatim sine judicio constitutam. Sic lib. 3. de legibus in privatos homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium. In paradoxis cap. 4. Quid ego communes leges profero, quibus omnibus es exul? Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut si in opertum Bonæ Deæ accessisses exulares. Et pro Pub. Sext. Cum & sacratis legibus & XII. tabulis sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis rogari. Itemque in Bruto: Libone tribus pl. populum incitante, & rogationem in Galbam privilegii similem ferente. Ex hisce, quid XII. tabularum antiquissima verba, quid Cicero, voce privilegii velint, satis constat. Illud quoque patet, privilegium * ab illis in malam potius 3
partem, quam bonam accipi solitum. Quomodo idem ille in orat. post reditum in sen. vim & crudelitatem privilegii appellat: Et in oratione pro domo, modo dicto loco, pœnam in cives Rom. nominatim sine judicio constitutam privilegium definire videtur. Quod tamen non semper * usu obtinuisse, ex Suetonio 4
doceri potest: qui in annalibus suis *Tit. de Cæsare*, Marcellum ait privilegium eripuisse Cæsari, plebiscitum intelligens; quo concessum ipsi fuerat uni, ut absens peteret consulatum. Et in Augusto, athletis conservasse illum privilegia & ampliavisse inquit. Quomodo Gellius quoque lib. X. indifferenter: Neque de imperio, inquit, Cn. Pompeji, neque de exitu Ciceronis, neque de cæde P. Clodii quæstio, neque alia id genus populi plebisue jussa, leges vocari possunt; non sunt enim generalia jussa, neque de uni-

universis civibus, sed singulis, concepta. Quo circa privilegia
potius vocari debent. Nam veteres priva dixerunt, quæ nos sin-
gula dicimus: unde privas verbenas & privos silices, pro singu-
5 lis accipit Livius. Quæ omnia * satis ni fallor ostendunt, angu-
stiorem ac penè alium vocis hujus illa ætate usum fuisse, ab eo,
quem insecutis juris interpretibus nostrisque etiam hodie fami-
liarem videmus. Illi enim privatis, hoc est, singularibus perso-
nis, irrogatam legem vel plebiscitum, privilegium appellarunt.
Nostri & ad plura vocis significationem (excedit quippe nomen
hoc etymologiam suam, ut loquitur Felinus *in proœmio Decretal. col. 9. versi. secundus modus est*, & postea videbimus) transtule-
6 runt, & in * hac ipsa ad jus potius commune, cujus comparatione
& respectu privilegia jus singulare vocamus, quam ad illos, in
quos vel de quibus privilegium fertur, respexerunt. Quamvis
enim hodie quoque de privatis & singulis hominibus ferri soleant
privilegia, in plurima istorum de certo hominum vel causæ ge-
nere, ut militibus, fœminis, minoribus, piis caussis, non pauca
etiam in universos, quibus usus venit, ut de creditoribus &c.
lata inveniuntur. Prędictam vocis originem amplectuntur etiam
canones, *ca.* 3. *dist.* 3. *c. ablato. de verborum signif.* & glossa juris,
in l. Lucius 21. §. idem respondit, in verbo legem ff. ad municipal. & alibi; usum tamen non cum veteribus, sed cum jure civili
communem servant: ut sequentia docebunt. Quidam inter-
7 pretum * privilegium quasi privans legem dictum putant, *Jason. in l. fin. n. 27. ff. de constitut. princ. Mozz. de contract. 53. n. 28. Perusin. in c. 1. de constitutionibus.*

8 Quod si vero vulgarem, * eundemque communissimum
vocabuli usum quæramus, privilegium esse, qualemcunque &
quacunque de causa notam prærogativam, cum non jure tantum
aliquo, sed quovis accidente, aliud alii præfertur, aut à communi
aliorum lege & conditione eximitur, inveniemus. Quæ significa-
tio amplissima est, naturamque etiam amplexu coërcet. Omnem
enim prærogativam, qua Deus, natura, fortuna, homines, alte-
rum

rum alteri prætulerunt, complectitur. Veluti, cum divæ virgini Mariæ privilegium datum divinitus, ut eſſet impeccabilis, dicit gloſſa *in clement. ad noſtram. in ver. impeccabilis. de hæreticis.* Ut Seneca quoque, *lib. 2. de vita tranquill. ca. 3.* ſi dicis, ait, ſapientem æquo animo injuriam laturum, nullum habet privilegium. Contingit illi res vulgaris, & quæ diſcitur ipſa injuriarum aſſiduitate, patientia. Sic *in auth. ut Eccleſia ſanctorum reſurr. alienare poſſit,* Deum, ait Imp. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ tantum dediſſe præter alias civitates privilegium, ut ex ipſa reſurgeret ſecundum carnem. Et hujusmodi privilegiorum exemplis plenus eſt liber ille elegans B. Chaſſanæi, quem Catalogum gloriæ mundi inſcripſit: in quo omnium ordinum rerumque, quæ cœlo terraque continentur, prærogativas & excellentias ſumma cum diligentia & cura enarrat.

Nos vero * eam tantum prærogativam ſeu præcellentiam, 9
qua homo vel cauſa aliqua jus quoddam præ reliquis ſui generis habet, intelligimus. Ita omne quidem privilegium prærogativam tribuere aſſerimus, *ut l. ex his, 7. C. de teſtament. l. aſſiduis 12. C. qui potiores in pign. hab. l. pen. in fine. C. de fide juſſorib. l. 11. C. de profeſſ. & medicis. l. 2. C. de decurialib. urbis Romæ &c.* Sed non quidquid prærogativam largitur, protinus privilegium appellamus. Verum ut Imp. Juſtinianus *in §. ſed jus quidem inſtitut. de jure natur. gent. & civili* jus quidem civile vulgo ex unaquaque civitate appellari: quoties vero non addito nomine abſolute proferatur, jus Romanum κατ' ἐξοχὴν quandam ſignificari ait: ſic nos etiam cum privilegium dicimus, juris tantum prærogativam, auctorem legitimum habentem, intelligimus. De hac ſola in jure noſtro & legibus agitur: de hac etiam nobis, quæ & qualis ſit, ſcribere propoſitum eſt. Non incommodam igitur illorum ſententiam eſſe judicaverim, qui ad noſtrum potius, quam Ciceronis & aliorum uſum reſpicientes, privilegium quaſi privans legem dictum volunt.
Privilegia * enim jus dicimus eſſe tale, quod adverſus generale ac 10
commune jus exceptionem & relaxationem, eoque privationem

legum certo in casu, seu suspensionem introducat; quo nixi quibus illud datum est legibus illo in casu communibus soluti intelliguntur: ut satis describit *l. antiquitas, 14. ibi, quare iste ususfructus sibi tale vindicet privilegium, ut à generali interemptione ususfructus ipse solus excipiatur, C. de usufructu & habit. & l. si non. 9. ibi, speciali privilegio patriæ tuæ, juris observatio relaxata est, C. de testamentis.* In quam sententiam Tiberius quoque Cæsar apud Corn. Tacitum *lib. 3. annal.* id solum inquit, Germanico super leges præstiterimus, quod in curia potius, quam in foro, apud senatum, quam apud judices, de morte ejus inquiritur. Cætera pari modestia tractentur. Ita Seneca *lib. 3. de beneficiis cap. 11.* parentem extra ordinem habitam rationem, privilegiis quibusdam datis, affirmat. Et Cicero, *in oratione pro domo sua,* Clodium reprehendit negantem, quidquam uni extra ordinem decerni darive oportere; Cn. Pompejum intelligens, cui multa singularia fuerant decreta.

11 Illa denique * hujus vocabuli ὁμωνυμία non est prætereunda quam attingit Abbas siculus *in c. contingit. de fide instrum.* quod privilegium alias dicitur instrumentum, quo jus tale exprimitur & continetur, alias jus ipsum quod ibi descriptum est. Unde in uno instrumento posse multa & diversa privilegia contineri, Abbas ibid. ait, quod apparet passim: & maxime in privilegiis, quæ ab Fridericis, primo & secundo, & Carolo Quinto, Imp. Rom.
12 Austriæ Principibus data sunt. Sic * ut ferè omnes tam res, quam vocabula istarum, per abusum ad illa, quæ similitudinem veritatis habent, detorquentur, cum revera aut falsa, aut imperfecta, aliove laborantia vitio, inveniantur, *l. 2. §. 1. ff. testamenta quomodo aperiantur.* Ita privilegii quoque vocabulum illis quandoque imponitur, quæ speciem quidem privilegii & titulum habent, revera tamen nulla sunt, aut vitiosa, infirma, invalida, *fac. l. de-*
13 *cernimus, 16. C. de Sacro Sanct. Ecclesiis.* Quo * pertinent & Quasi-privilegia, de quibus *in l. si cum dotem, 22. §. ult ff soluto matr.*

Ex quibus cum diversus vocis hujusce usus, tum vero quid jure

jure nostro civili privilegium dicatur, παχυλῶς intelligitur. Græcis * id προνομία est vel προνόμιον. Germanis, Vortheil/ Freyheiten/ Gnaden-Brief/ Hand-Festen: Hebræis, Perah vel Perahot; 14
quod significat libertates, privilegia, privationes à verbo Parah, quod est, privare, eximere, liberum facere. Unde orta vox Parho, olim cognomentum regum Ægypti, proprie Baronem, hominem liberum, privilegiatum, exemptumque à jure communi, notans. Nunc quid privilegium sit, & quomodo definiendum, accuratius inquiremus.

CAPUT II.

Privilegiis Genus proprium determinatur.

EPITOMA.

1. *Privilegiorum definitio ex causis eorum conficienda monstratur.*
2. *Quæ horum & quales causæ deinceps inspiciendæ proponitur.*
3. *Quæ de privilegiis tanquam Genus prædicari videantur?*
4. *Jus Genus est privilegii, & num. 11.*
5. *Beneficium non est Genus privilegii.*
6. *Est enim actio proprie, & num. 8.*
7. *Privilegia cur aliquando beneficia appellentur?*
9. *Differentia privilegii & beneficii.*
10. *Privilegia non esse, sed habere prærogativam.*
12. *Privilegia qua ratione jus esse, vel secundum jus esse quandoque negentur?*

TRia namque scientiarum ac disciplinarum instrumenta, definitionem scilicet, divisionem, & argumentationem, Aristoteles aliique sapientes tradiderunt. Quibus & nos operam in præsentia daturos ante omnia veram & maxime propriam privilegiorum definitionem investigare decet. Eam * autem facile 1
assequemur, si causas omnes, ex quibus conficitur unumquodvis privilegium, inveniamus. Qui enim causas cujusque rei veras

ras intelligit, cum quid ipsa sit, optime scire dubium non est. Nam & contra ignoratis principiis oportet ea ignorare quæ sequuntur: ut ajunt Abbas in *cap. Ecclesia S. Mariæ, ut lite pendente nihil innovetur*, *Baldus in l. 1. in princ. ff. de justitia & jure*, *& fac. l. 1. ibi, cujusque rei potissima pars principium est ff. de origine*
2 *juris.* Igitur * primo, quæ sit materia privilegiorum? hoc est, in quo genere, ut Logici vocant, ponenda? disquirendum. Hinc quæ efficiens? hoc est, à quo ortum privilegia principiumque habeant? circumspiciendum. Inde quæ forma sit eorundem? investigandum. Denique quo fine, quaque gratia hæc introducta sint? indagandum. Hæc eoque pertinentia alia ubi inventa tradiderimus, veram procul dubio maximeque in præsens utilem privilegiorum definitionem colligemus: quæ nimirum non tantum propositum εἶδος accurate ac penitus complectatur, sed insuper dilucide ac sufficienter, quid privilegia sint valeantque, omnium oculis proponat, adeoque universam pene de privilegiis doctrinam paucissimis verbis ac sententiis comprehendat: quod genus definiendi huic disciplinæ atque doctrinæ (quidquid de aliis statuendum) maxime aptum conveniensque arbitror esse.

3 Quodnam * igitur (ut instituto rem ordine persequamur) Genus privilegii esse dicemus? Multa quidem & varia huic in jure civili nomina imponuntur. Appellatur enim beneficium, *l. penult. ff. de constit. princ. l. ult. ff. de adoption. l. ait Prætor, 7. §. 5. l. etiamsi, 29. §. 2. ff. de minoribus, l. si cui. 38. ff. ex quibus causs. majores &c. l. sed &, 28. §. 1. ff. de judiciis, l. ex facto, 43. in princ. ff. de vulg. & pupill. substit. l. si miles, 3. ff. de testamento mil. l. 1. ff. de jure aureorum annulorum l. 1. ff. ad municipal. l. 68. ff. de reg. juris. l. Ariani, 5. C. de hæreticis. l. 4. C. de diver. rescriptis, l. assiduis 12. C. qui potiores in pign. hab. l. omnes, 2. C. de quadriennii præscript. ca. 10. dist. 32. cap. generaliter 16. q. 1.* Item jus, *in l. de milite 2. l. qui jure 7. cum duab. seqq. ff. de testam. mil. l. 6. ff. de jure fisci. l. sunt munera, 11. ff. de vaca. munerum &c.* Lex *l. in legibus, 5. ff. de testibus, l. Lucius, 21. §. idem respondit, 7. & ibid. gloss.*

gloss. in verbo legem. ff. ad municipal. l. 2. C. de legib. l. 18. C. de collationibus. l. ult. C. de fructi. & lit. expon. l. omnes, 9. sub. fin. C. de metatis, lib. 12. l. ult. & ibid. gloss. C. de jure Reip. lib. 11. (unde Bartolus *in l. beneficium, num. 3. ff. de constitut. princ.* privilegium legem scriptam contra jus commune definit: & Baldus *in l. 2. ff. de legib. not. 2.* legem privatam) Prærogativa, *in l. observare, 4. §. 5. ff. de officio proconsf. l. ex his, 7. C. de testam. militis, l. assiduis, 12. C. qui pot. in pignor. hab. l. penul. in fine. C. de fidejusso. l. 11. C. de professor. & med. l. 2. C. de decurial. urbis Romæ.* Consuetudo, *d. l. 4. §. ingressum. ff. de offic. proconsf.* Rescriptum *in l. fiscus, 6. ff. de jure fisci. l. pen. C. de precib. Imper. offeren. l. 18. C. de collation.* (& appellatione rescripti etiam privilegium contineri, ajunt Felinus *in cap. ad audientiam. col. 2. ampliat. 4. de rescriptis. Baldus in l. gesta, col. pen. C. de re judic.*) Concessio, *l. 1. in princ. ff. de testam. mil.* Indulgentia, *ibid.* Benevolentia, *l. cum heres, 52. ff. de adquir. vel omitt. hered.* Constitutio, *l. 1. §. item cum, ff. quæ sententiæ sine appellat. rescind.* Sanctio, *l. fundi, 2. C. de locatione prædi. civil. lib. 11.* Affatus, *in l. imperialis, ubi Bald. C. de nupt.* Actio. *in l. fin. & glo. ibid. in verbo* Et, *ff. de religios. & sumpt. fun.* Exceptio, *in l. ex præstatione 7. C. de vectigalibus.* Quandoque & nomen rei privilegiatæ privilegio imponitur, ut militia pro privilegio militiæ; *l. 1. §. ult. ff. de obseq. par. & patr. præsta.* His & similibus privilegia nominibus jura nostra appellant. Quæ inter * maxime illis convenire juris, sive, quod idem hoc loco, le- 4
gis vocabulum opinor.

Equidem beneficium * Bartolus *in l. beneficium. ff. de consti-* 5
tution. genus esse privilegiorum ait. Quod ego frequenter pro privilegio poni, interdum eidem adjungi, non ignoro. At enim qualitatem potius privilegio accedentem, quam genus illius proprium dixerim. Nam ut privilegium in utramque partem, tam malam quam bonam, tam pœnæ quam præmii, tam incommodi, quam commodi causa ferri, beneficium contra semper in melius tantum accipi: itaque privilegia quædam esse, quæ beneficia

6 dici non possint, taceam: beneficium quoque vel actionem * esse benevolam, ut definit Seneca *lib. 6. de beneficiis. cap. 2.* vel ut usu quandoque usurpatur, actionis illius effectum aut materiam, constat. Veluti, cum argentum cui dono, beneficium proprie est, donatio argenti; secundum vulgus, argentum. Argentum igitur beneficium quidem dici potest, sed κατά τί, secundum quid, ut Logici loquuntur: accidit enim argento, ut sit beneficium vel materia potius beneficii. Ineptus igitur esset, qui genus argenti beneficium statueret; genus enim de specie minime κατὰ τὶ vel secundum accidens prædicatur. Eadem nostri propositi ratio est. Beneficium enim hoc casu est ipsa privilegii collatio vel donatio. Unde (quod crebro in sermone usu venire solet, ut subjectorum cum accidentibus, causarum cum effectis, vocabula misceantur) privilegium seu jus tale beneficium quidem interdum
7 appellatur, non per se tamen, sed propter * aliud: quatenus videlicet & quando jus tale benevola seu benefica nobis actione
8 confertur. Beneficium igitur actio * proprie est: & ideo omnibus, quæ actio non sunt, pro genere improprie assignatur. Toto
9 itaque genere * discrepant privilegium & beneficium: illud qualitas est; hoc actio. A quo autem removetur genus, ab eo species, *l. 1. §. fin. ubi gloss. ff. de suis & legit. hered. Bartol. in l. juris gentium, 7. §. sed si fraudandi ff. de pactis. l. si unus, 27. §. antepen. ff. ibidem.* Quare cum privilegium non sit actio, nec beneficium esse potest. Sic beneficia proprie contra jus commune esse, negat Baldus *in l. beneficium. C. de constitut. princ.* Privilegia autem contra jus commune omnia introduci, *cap. seq.* docebimus. Et hæc quatuor, privilegium, beneficium, rescriptum, mandatum, ut disparata accipienda Baldus monet *ibid.* Plura in hanc sententiam corrogari possent: sed hæc præsentibus sufficere judico. Cætera omnibus, qui vim & naturam hujusce vocis recte expenderint, sponte occurrent, faterique adeo cogentur, privilegium aliquando beneficium quidem, sed improprie, appellari. Nobis vero ex instituto rem agentibus, veramque quoad ejus fieri potest,

eſt, definitionem quæritantibus, maxime propria complectenda ſunt.

Quid vero de * prærogativa ? ecquid hanc genus privile- 10
giorum eſſe dicemus? Certe non dictæ modo leges, ſed nos ipſi paulo ante *cap. 1. num. 9.* aſſeruiſſe videmur. Verum enimvero ut omne privilegium prærogativam aliquam ſibi conjunctam perpetuo habere non negaverim; ita neminem tam parvi adeo judicii cenſuerim, qui prærogativam non accidens potius inſeparabile, ſeu conſequens privilegiorum, quam genus exiſtimet. Unde ſi privilegium prærogativam eſſe dixeris, nunquam vitio carebit oratio (in plura enim genera cadit) niſi ſubjectum hujus prærogativæ addideris, quod an aliud ſit, præter jus vel legem, haud equidem ſciam. Ita *in l. ex his, 7. Cod. de teſtamento mil.* legati, inquit Imperator, vindicationem habere de prærogativa militaris privilegii præſtat. Et *in l. 2. C. de fabricenſibus lib. 10.* huic collegio volumus antiquam privilegiorum prærogativam ſervari. Itaque cum prærogativam juris dicimus, jus prærogativum ſeu eximium præ reliquo deſignamus. Unde rectius & verius, privilegium habere vel conferre prærogativam, quam eſſe, dicemus: ut bene *l. 1. ff. de veteranis*, veteranorum, ait, privilegium inter cætera etiam in delictis habet prærogativam, ut ſeparentur à cæteris in pœnis.

Cætera, quæ de privilegio prædicari antea memorata ſunt, partim anguſtiora ſunt, quam ut genus eſſe queant, velut reſcriptum & conſtitutio; partim ita ſua natura ab eodem aliena, ut
diverſi generis eſſe quivis perſpicere poſſit. Jus * igitur verum 11
eſſe & proprium privilegii genus, non ſupra ſolum allegatæ leges, ſed ipſa ratio evidentiſſime monſtrat. Nec enim ullam proprietatem, quam generi logici profeſſores aſſignant, huic abeſſe, nec objici quidquam ulla cum ratione poſſe, cerno. Nam & oppoſitorum idem genus idemque ſubjectum eſſe conſtat, *l. manumiſſionis. 4. ff. de juſti. & jure.* Opponitur autem, ut in ſequentibus planum fiet, privilegio jus commune. Hujus genus jus eſt: ergo

12 & illius. Quod ſi * quis objiciat *leg. 8. ff. de legibus.* ubi jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtitui dicuntur: item *l. 14. ff. eod. tit.* quæ privilegium contra rationem juris receptum eſſe dicit: & *l. in cauſæ cognitione. 16. §. 1. ff. de minoribus*, quæ minori negat reſtitutionem, quia ſit ſatis ipſo jure munitus; unde reſtitutionem, & proinde privilegium jus non eſſe, ſequi videtur: his omnibus facile ſe expediet, qui jus aliud commune ſeu generale, *l. 2. C. de legibus. l. 11. ff. de teſt. militis.* aliud ſingulare ſeu ſpeciale, *dd. ll. & l. 16. ff. de legibus. l. 2. ff. de teſtam. militis.* eſſe & vocari cogitabit. Illæ namque leges de jure communi ſeu generali, ut priore ac potiore, nihil interim ſpeciali detrahentes, loquuntur. Privilegium igitur jus eſſe dico.

CAPUT III.

Privilegia jus ſingulare eſſe contra jus civile univerſale, quatenus tale, introductum.

EPITOMA.

1. *Privilegium eſt jus ſingulare ſpeciale, proprium, privatum.*
2. *Itaque appellatur comparatione juris communis.*
3. *Id quod aliis etiam phraſibus exprimunt jura.*
4. *De natura privilegii eſt, ut legem & jus commune infringat.*
5. *Privilegia contra jus divinum, naturale, gentium, non introduci probatur.*
6. *Jura prædicta hominem non poſſe diſtinguere aut limitare, multis argumentis probatur.*
7. *Imperator eſt ſervus Dei.*
8. *Lex Dei vincit legem Cæſaris, & num. 14.*
9. *Interpretatio & limitatio legis cujuslibet ad conditorem illius pertinet.*
10. *Divini juris Deus, naturalis natura, gentium conſenſus earum, interpretes, & num. 18.*
11. *Ut ſe habet judex ad principem, ita hic ad Deum.*

12. Le-

12. Legibus divinis nihil addendum vel demendum.
13. Nihil definiendum, ubi Deus definivit.
15. Legem divinam à Deo limitatam non ideo homo quoque limitare potest.
16. Id enim nec principis lex patitur.
17. Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.
19. Homini humanum tantum seu positivum jus subjectum.
20. Et contra hoc tantum principes privilegia introducunt.
21. Cum jus dicimus, civile intelligimus.
22. Privilegia juri naturali contraria non sunt, sed inde nascuntur potius.
23. Legum generalitas privilegia necessaria fecit.
24. Horum cum jure prætorio similitudo.
25. Privilegia vox sunt juris civilis.
26. Quæ quidem in specie sunt tantum juri civili contraria.
27. Idem non circa hæc usuvenit, quod de regula & exceptione.
28. Privilegia pars sunt quodammodo juris civilis.

JUs autem * est privilegium singulare seu speciale, *per l. 2. ff. de testamento mil. l. non licet, 46 ff. de contrah. empt. l. 2. & 3. C. de legibus l. pen. C. de precib. Imperat. offer. l. 9. C. de testamentis. Azo in summa Cod. de jure fisci. Lib. X.* Quod idem appellatur jus proprium, *d. l. 2. ff. de testa. mil.* & privatum, *cap. erit. dist. 4. cap. 3. dist. 3.* Cæterum * ut singulare, vel speciale quodvis tale est ac dicitur, comparatione & respectu communis cujusdam seu generalis, ut multis docet Everardus *in locis legalibus, loco à speciali :* (speciale enim jus in uno, inducit jus commune in aliis, *gloss. in l. præsenti, 6. §. 3. in ver. admodum C. de his qui ad Eccles. confugi.*) Ita jus quoque singulare vel speciale juris communis seu generalis comparatione appellatur. Dicimus enim privilegium jus esse singulare vel speciale, contra jus commune seu generale introductum, *l. quæ ex relationibus, 2. ibi, nec generalia jura sint ; sed leges faciant his duntaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerint promulgata, & l. seq. ibi, nec his quæ specialiter quibusdam concessa sunt ad generalitatis observantiam pertinentibus ; C. de legibus l. si miles, 3. ibi, neque enim qui voluit jure communi te-*

1

2

stari, statim beneficio militari renuntiavit, & Lex militari, 11. ibi, utrum jure militari an communi, ff. de testam. mili. l. quod placuit, 37. ibi, eo pertinet, ut privilegium in pœna contra creditores non exerceatur, non ut jus commune privatorum fiscus amittat. ff. de jure fisci. l. 1. ff. ad municipalem. l. penul. C. de prec. Imper. offer. c. erit ibi, lex nullo privato commodo (hoc n. foret privilegium) sed pro communi civium utilitate conscripta est. dist. 4. ca. novit ille, ibi, nisi forte juri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum de judiciis, cap. cum dilectus de consuetudin. gloss. in l. ex facto, 43. in ver. licere, ff. de vulg. & pupill. substit. & gloss. ult. in l. unica. C. quando Imp. inter pup. & vid. Id
3 quod * & aliis idem valentibus phrasibus exprimunt jura, ut extra ordinem juvare aliquem, *l. sed cum 17. ff. ad SC. Trebell.* extra ordinem indulgere aliquid, *l. denique 3. in princ. ff. de minoribus.* Item speciali privilegio juris observationem relaxare, *l. 9. C. de testamentis.* mutare solemnia juris, *l. penul. in princ. ff. de in integ. restitut.* contra juris subtilitatem subvenire, *l. filio, 17. ff. de injusto rupt. irr. facto testam. l. in bello 12. §. 5. ff. de captiv. l. & ab antiquis, 31. C. de testam. l. Orphanotrophos, 32. C. de episcop. & cleric.* mollire legis severitatem, *l. fin, C. ad SC. Vellejan:* remittere vel omittere strictum jus seu juris rationem, *l. Pomponius, 86. in princ. ff. de adquir. vel omitten. hered. l. sunt personæ, 43. ff. de religiosis, l. & ab antiquis. 31. C. de testam. l. placuit 8. C. de judic.* detrahere aliquid juri communi, *cap. novit ille de judici.* exceptionem alicujus rei facere, *l. ex præstatione 7. C. de vectigal.* Quæ omnia privilegia contra communes juris leges & regulas introducta evidentissime docent. Unde rescripta secundum jus, jubendo nimirum
4 jus postulanti reddere, privilegia * contra jus proprie esse, Abbas ait *in c. ex litteris de fide instrument.* Et si quid princeps vocet privilegium obsignetque sigillo privilegiorum, non esse necessariam aliam clausulam; cum appareat ipso facto, eum velle infringere legem, affirmat Bald. *in l. Pupilli col. 3. ver. ego dico, ff. de rerum divis.* Adeo quidem, ut nec clausulam *non obstante* requirant

rant hoc casu. Hostiens. Joan. Andr. Butr. & alii, relati per Felin. *in c. nonnulli num. 41. de rescript. & Cardin. post Lapum in Clement. 1. in 3. quæstion. de censibus.*

Cæterum cum contrarium * omne contrario suo tollatur, 5
tria vero juris sint genera, naturale, gentium, & civile, *tot. tit. ff. de justitia & jur. Instit. de jure naturali, gentium &c.* ex quibus illa firma atque immutabilia permanere dicuntur, *§. antepen. Institut. d.t.* naturale inprimis, *l. si id quod 64. ff. de condict. indeb. l. eas obligationes, 8. ff. de capite minut. l. 2. §. 1. §. de usufructu earum rerum, quæ usu consf. l. caveri, 4. l. venditor, 13. in pri. ff. communia prædiorum* quæritur, quomodo jure aliquo speciali vel privilegio tollantur? Sciendum igitur, contra jus divinum, contra jus naturale, contra jus gentium, nullum jus aut privilegium quidquam valere; imo ipso jure nullum haberi, *l. fi. C. de incest. & inutil. nupt. l. legem 7. in fine, C. de natural. liberis. cap. 1. de testibus in Clement. cap. pastoralis. de sent. & re judic. ibid.* Quod tamen intelligendum, salvis justitiæ regulis, salvo rerum ordine. Alioquin multa contra jus divinum & naturale fieri quotidie videmus: sed de facto, non de jure.

Quod autem * neque ex causa neque aliter jura illa, divi- 6
num præcipue, distinguere princeps vel homo quisquam aut limitare possit, non sine ratione & causa Bald. *in auth. ad hæc. C. de usuris*, contendit. Quia enim jus divinum majus sit civili, non posse id tolli: & quidquid fiat contra institutionem divinam, esse
peccatum: Imperatorem * esse servum Dei: servum autem non 7
posse tollere legem domini sui. Legem * Evangelii sine dubio 8
vincere legem Cæsaris: quia leges debeant sacras regulas imitari, *auth. ut clerici apud proprios epis. in fine.* Quod idem prohibitum est ex divina institutione & divino judicio, non posse ratione humana permitti. Talem enim rationem non esse rationem, sed abusionem: cum non conformet se voluntati divinæ; quæ nobis esse & sufficere pro ratione debeat. Talia itaque statuta delenda, & judicantes secundum ea esse excommunicatos, & omnes,

qui

qui contrarium defendunt, hæreſin ſapere Bald. affirmat. Ac-
9 cedit, * quod interpretationem, diſtinctionem, limitationem legis cujuslibet, & ita privilegiorum quoque diſtributionem, ad ſolum conditorem legis illius proprie pertinere, infra oſtendam, quod ipſe Imp. *in l. 1. & l. ult. C. de legib.* graviſſimis verbis pronunciat. Quod cum in jure civili iſte obtinere velit, cur non
10 idem in aliis juribus merito ſervetur? Divini * nimirum juris Deum, naturalis naturam, gentium juris earundem conſenſum, interpretes eſſe. Et cum Imperator judices alios & proceres idoneos legum ſuarum interpretes eſſe neget, *d. l. ult. & l. leges, 9. d. tit. fac. l. 2. C. quando provocare non eſt neceſſe*, quomodo ipſe
11 divinas aut naturales leges interpretari præſumet? Nam * ut ſe habet judex ad principem, ita princeps ad Deum, ut ait Bart. *in d. l. 1. ff. de juſtit. & jure.* Unde igitur jus prodit, inde interpretatio quoque procedat, *c. inter alia de ſent. excom.* Non enim poteſt inferior limitare jurisdictionem ſuperioris, *Bald. in auth. ſed novo jure, C. de ſervo fug.* & quia ſupra jurisdictionem ſuam jus dicere conatur, nihil agit *l. ult. ff. de jurisd. om. judic. l. pupillus, 239. §. pen. ff. de verb. ſignif. cap. ut animarum, de conſtit. in ſex.*
12 *cap. ea quæ de reg. jur. in ſexto.* Conſtat * præterea ex jure divino, eundem qui condidit ille Deum, addi ad illud demive inde quidquam ſevere prohibuiſſe. Judices enim, magiſtratus principes, ſervare leges ſuas, & judicare ſecundum illas, non autem de illis, præcepit. Itaque qui legibus imperatoris, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, adquirit grande præmium, *cap. 1. diſt. 9. c. Julianus, c. ſi dominus, c. qui reſiſtit. 11.*
13 *quæſt. 3.* Ubi * enim aperte Dominus vel ejus Apoſtoli aliquid definierunt, ibi non novam legem dare, ſed illud potius ad animam usque & ſanguinem defendere decet. *cap. ſunt quidam 25.*
14 *quæſt. 1.* Itaque * Abbas ſic *in c. cum eſſes de teſtam.* principem, ait, condentem leges contra ea, quæ dixit Dominus, non condere leges, ſed errare. Et gravius Ambroſius *in c. convenior. 23. qu. 8.* Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea quæ divina ſunt,

im-

imperiale aliquod jus habere: noli te exaltare: ſed ſi vis diutius
imperare, eſto Deo ſubditus. Et Nicolaus Papa *in c. 1. diſt. 10.*
Lex Imperatorum non eſt ſupra legem Dei, ſed ſubtus. Ita Lym-
machus *in c. 2. ibid.* Non licet Imperatori vel cuiquam pieta-
tem cuſtodienti aliquid contra divina mandata præſumere, nec
quidquam quod Evangelicis, Propheticis, aut Apoſtolicis regulis
obviet agere. Sed & univerſe principem divini, naturalis & gen-
tium juris legibus non eſſe ſolutum, ſed æquo potius cum cæteris
hominibus jure obnoxium atque ſubjectum, non ita multo poſt
hæc cap. 7. pluribus demonſtrabitur. Unde non eſſe Imperato-
ris interpretari, diſtinguere aut limitare jura illa, ſatis liquet.
Quare * nec Felini opinionem probare poſſum, legem divinam 15
certo caſu ab ipſo Deo limitatam, ideo in aliis quoque limitabi-
lem (ita loquitur) eſſe ſentientis. Quod ſi quidem ad Deum re-
ferat, facile ac lubens dederim. Quis autem aliter ſequi putave-
rit, quia Deus regulam aliquam in certo caſu limitavit, ea re in
aliis caſibus idem hominibus permiſſum? Non * magis hoc pro- 16
fecto ſequitur, quam ſi legem, quam certo in caſu interpretatus
eſt vel reſtrinxit princeps, ideo in aliis quoque ab inferiore magi-
ſtratu & præfecto limitari poſſe dicas. Quod non eſſe ita tamen
oſtendunt *l. 1. in fine, ff. de conſti. princip. & l. 2. C. de legibus. &*
ſimiles plurimæ. Exemplo ſit univerſa privilegiorum materia. Quæ
quamvis nihil ſint aliud, quam interpretationes & limitationes
quædam juris communis à principe introductæ, non ideo tamen
ab inferiore aliquo magiſtratu alia in eodem genere privilegia in-
troduci, aut illa ipſa privilegia ad alios extendi poſſe, ſuo loco
ſufficienter probabitur. Non enim à ſpecie ad ſpeciem argumen-
tum firmum duci, omnes docti intelligunt. Quid, quod contra-
rium ex hoc ipſo loco ſequitur? Exceptio * quippe firmat regu- 17
lam in caſibus non exceptis, Baldus *in l. in his, 15. de leg. per l.*
tribunus, in fi. ff. de teſtam. mil. & excludens aliquid, reliqua in-
cludit, *l. qui accuſare, 8. ff. de accuſat. l. cum prætor, 12. in princ.*
ff. de judic. l. quæſitum, 12. §. idem reſpondit, 43. ff. de inſtrum. vel
C *inſtrum.*

inſtrum. leg. Ita quam Deus legem in uno caſu limitavit, in cæteris omnibus valere velle oſtendit. Quandocunque igitur in ſpecie & certis caſibus tam juri divino quam naturali poſſe derogari, cenſent gloſſa *in l. manumiſſiones, 4. in verbo, naſcerentur. ff. de juſtit. & jure, & inprimis in c. de decimis. 16. q. 1.* itemque Dd. *in c. quæ in Eccleſiarum, & in l. ult. C. ſi contra jus vel util. public. Bart. in l. 1. num. 3. & 4. ff. de conſtitut. princ. Bald. in l. reſcripta, quæſt. 2. C. de precibus Imp. offer. Joh. Fabr. in Inſtit. de jure naturali, &c. §. ſed naturalia. Everardus in loco à milite armatæ mil. ad mil. cæleſtis mil.* non ego id aliter unquam admiſerim, quam
18 uti tam * derogatio, quam ipſum, cui derogatur jus, jure divino vel naturali conſtent atque fundentur. Propter enim amplitudinem ſuam & generaliora verba, jura etiam divina & naturalia quandoque exceptionem patiuntur. Verum exceptionem illam non in principis arbitrio verſari, nec ex ingenio illius & judicio naſci oportet, ſed ex eodem jure oriri, ab eodemque auctore proficiſci debet; unde lex ipſa & regula generalis. Veluti, univerſalia Decalogi præcepta multas admittunt paſſim exceptiones: easdem tamen, niſi alio jure divino nitantur, non ferendas. Ita naturalia jura limitationem nullam patiuntur, niſi quas jus idem introducit firmatque, ut Bartolus quoque *in d. l. 1. ff. de conſtit. princip.* ſentire videtur. Contra jus igitur divinum Deus, con-
19 tra jus naturale natura, privilegia indulgent. Homini * vero humanum tantum jus, quod poſitivum dicimus, ſubjectum eſt. Itaque nec contra divinum jus, nec contra naturale ſed contra civi-
20 le * tantum ſeu poſitivum, propria auctoritate privilegia condit. Et cum contra jus introduci privilegia dicuntur, de jure illud civili proprie accipiendum. De hoc enim *in d. §. pen. Inſtit. de jure naturali, &c.* ait Imperator: Ea vero, quæ ipſa ſibi quæque civitas conſtituit, ſæpe mutari ſolent, vel tacito conſenſu populi, vel alia poſtea lege lata. Addendum igitur prædictis, privilegia jus eſſe ſingulare contra jus generale civile introductum. Quam-
21 quam * etſi omittatur vox *Civilis*, juris tamen appellatione no-

ſtrum

ſtrum & civile κατ' ἐξοχὴν intelligi conſtat: ſecundum Imperatorem, *Inſtit. de jure naturali, &c.*

Juri autem * naturali adeo contrarium non eſt jus privile- 22
giorum, ut unicum fundamentum atque origo earum ex jure naturali petatur, *fac. l. ſcire, 13. §. 7. ff. de excuſat. tut. l. cum ratio naturalis, 7. in princ. ff. de bonis damnatorum.* Nam * ut in ſe- 23
quentibus docebitur, quoniam civile jus non in ſingulas perſonas, ſed generaliter, *l. 8. ff. de legibus*, & de his, quæ utplurimum, non quæ rarius accidunt, *l. 3. l. 11. d. t.* conſtituitur: facile fieri poteſt, ut ob hominum negotiorumque multiplicem diverſitatem, & caſuum ſingularium infinitam varietatem, jus civile naturalem in ſpeciali aliquo facto æquitatem lædere poſſit. Quod ne fiat, ſingularia jura & privilegia introducta, generalem illum legum rigorem pulchre ex æquo bonoque mollire ſueverunt, *l. 1. §. 1. ibi, ne cui dolus ſuus per occaſionem juris civilis contra naturalem æquitatem proſit. ff. de doli mali & metus except.* Eadem * igitur pene origo hodie ratioque eſt juris hujus, quæ fuit 24
olim prætorii, de quo *l. 7. §. 1. ff. de juſt. & jure. Jus* prætorium eſt, inquit, quod prætores introduxerunt adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia. Unde * quod de jure præ- 25
torio dicitur, *in l. ſeq. ibid.* merito de privilegiis quoque dicitur, vocem ea eſſe vivam juris civilis. Namque ut jus civile juſtitiæ conſentiat, hoc eſt, ſuum cuique tribuat, privilegiorum beneficio obtinetur. Hæc enim, quod jus civile voluit, ſed ob ſingularium varietatem, uti dictum, aſſequi non potuit, explent: itaque ſui juris tam ſingulos quam univerſos compotes reddunt.

Hinc illud denique * manifeſtum evadit, in ſpeciem tantum, 26
vel ſecundum accidens, aut ſecundum quid, ut loquuntur, juri civili privilegia contraria eſſe, reipſa egregie conſentire. Non enim jus tollunt, ſed ſuſpendunt, non evertunt, ſed molliunt; non infringunt, ſed remittunt, *l. quoties 2. C. de prec. Imp. offerend. gloſſ. in l. 1. in verbo, non egredietur. ff. de conſtit. princip.* ut pluribus poſtea cap. 11. docebimus. Non * aliter itaque juri univer- 27

ſali ſpeciale repugnat, quam regulæ exceptionem repugnare videmus. Hæc enim regulam non evertit, non falſitatis arguit; ſed eo caſu, quo imperfecta eſt, ſupplet: circa generalia verſanti, nunquam obſtrepit: in ſingularibus, ſi uſus veniat, non abrogat, ſed adjuvat; non tollit, ſed potius adjunctione auget. Non enim contraria regulæ exceptio, ſed de regula, & pars regulæ cenſenda. Non ut aliquid derogetur antiquioribus legibus hæc prolata ſunt, ait *l. pen. in fine, C. de rebus creditis.* Sed ut ſi quid deeſſe eis videatur, hoc repleatur. Non lædunt igitur, nec abolent jus univerſale privilegia, ſed potius admirandum in modum ſtabiliunt
28 atque firmant. Sine * enim juris ſingularis auxilio facile jus univerſale impingit, facile pro ſummo jure ſumma fit injuria: adjuncto vero eodem, tum demum perfectum ab omni parte juſtumque ſalutare ſingulis atque univerſis evadit. Adeo ut illud potius, quod ex utroque univerſali nimirum & ſpeciali conflatum jus eſt, jus civile dicendum eſſe videatur.

Privilegia igitur jus ſingulare eſſe, contra jus civile univerſale, (vel potius contra juris civilis univerſalitatem, ut ſic loquar, hoc eſt, quatenus id univerſale eſt) introductum, demonſtratum explicatumque opinor.

CAPUT IV.

Cui facere privilegium fas, oſtenditur.

EPITOMA.

1. *Privilegium via legitima inducendum, & quæ ſit illa via, docetur.*
2. *Solum Imp. R. privilegia condere poſſe, monſtratur.*
3. *Quod de his tantum intelligendum, quæ per univerſum valeant imperium.*
4. *Principis eſt leges & jura univerſalia condere.*
5. *Privilegium facere poteſt, qui legem, quatenus poteſt,* & numer. 13. & num. 29.

6. *Quis*

6. *Quis legem facere possit, ostenditur.*
7. *Jus universale nemo facere potest, nisi solus Princeps.*
8. *Particulare, loci princeps.*
9. *Ea scilicet quisque qua potestas illius patet: & num. 30.*
10. *Quæ sit aliorum præter Principem rei Romanæ Principum circa leges condendas auctoritas atque potestas, agitatur.*
11. *Leges & statuta etiam inferiores suo modo facere possunt.*
12. *Non minus consuetudo & vetustas.*
14. *In præjudicium juris publici & superioris nemo statuere potest.*
15. *Causa finita non potest producere effectum infinitum.*
16. *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure dare.*
17. *Quis privilegia dare possit, ex jure scripto definitur.*
18. *Deus, Natura, Fortuna, privilegiorum conditores prædicantur.*
19. *Non proprie tamen ex nostro instituto.*
20. *Privilegiorum conditor præcipuus est Imperator R.*
21. *Hujus leges & privilegia per orbem Rom. valent.*
22. *Qui post Principem privilegia condere possint, enumerantur.*
23. *Inprimis consuetudo.*
24. *Et temporis immemorialis præscriptio.*
25. *Etiam nesciente illo, contra quem præscribitur.*
26. *Nisi tamen præscribens sit incapax.*
27. *An præscriptione privilegium quæratur, controvertitur.*
28. *An in consuetudine expressus consensus requiratur, quæritur.*
31. *Cujus plane nullum est de jure imperium, ejus privilegia nulla sunt.*
32. *Tyranni acta omnia, quæ tanquam ex imperio statuit, ipso jure sunt nulla.*
33. *Qui de Tyranno & actis ejus scripserunt, percensentur.*

VERUM enimvero, cum hoc dicimus, * non qualecunque, 1
& à quibusvis, sed legitima via ac ratione jus introductum intelligimus. Via vero ac ratio legitima illa est, ut ab his sit introductum, qui potestatem & auctoritatem habent; ut illud dederint, dandi potestas fuit; ut illi, quibus collatum est, rite debitoque modo consecuti sint; ut denique solita & conveniente forma propositum sit. Sic enim & circa tutorem qua-

tuor considerare jubet *l. naturali , 7. §. 1. ff. de confir. tutor.* an scilicet hic dederit, qui dare potuit; & ille acceperit, cui fuerat dandus; & is detur, cujus dandi facultas erit; & pro tribunali decretum interpositum. Quæ singula & in præsenti casu ordine nunc despiciemus.

2 Potestatem * igitur atque auctoritatem condendi privilegia, quidam soli Principi Reip. Rom. tribuunt: solum hunc juris universalis, solum specialis conditorem auctoremque ferunt. Quibus consentire videntur *l. 1. & l. ult. C. de legibus, & l. 1. §. idque à Principe ff. de aqua quot. & æstiva*, quæ apertis & efficacibus verbis, leges condere soli Imperatori concessum, interque æquitatem & jus interpositam interpretationem (privilegia notantur) soli huic inspicere licitum denuntiant. Nam si leges condere solius est Imperatoris, utique & privilegia hujus solius in manu erunt. Quodvis enim eo modo solvitur, quo ligatum est *l. 53. & l. 100. ff. de reg. jur.* Tum si unus Princeps leges interpretatur, unus idem jus æquumque dirigit: dubiumque est, quin uni illi privilegia, quæ ex sola legum benigna & æqua interpretatione principium ducunt, introducere jus sit? Verum enimvero ut * quid

3 statuendum protinus intelligas, scire debes, universalia quidem, & quæ omnes teneant, perque totum æquam vim habeant imperium jura, solum nobis præscribere Imperatorem *dd. ll. & l. 3. §. Divus, ibi, oportet Imperialia statuta suam vim obtinere, & in omni loco valere. ff. de sepulchro viol. gloss. in l. non ambigitur, 9. ff. de legibus; Bartol. in l. 3. num. 8. ff. de jurisdict.* Huic enim ipsas Deus leges subjecit, legemque ipsum animatam terris constituit *auth. de consulibus §. 2. in fine.* Itaque quod Principi placuit, legis habet vigorem, *§. sed & quod Princip. Instit. de jure naturali &c.* Constituto quippe Principe, datum est ei jus, ut quod constituisset, ratum esset *l. 2. §. novissime 11. ff. de originali jur. l. ult. in princ. C. de legibus.* Imo soli * Imperatori leges condere, soli legislatori esse concessum est; *d. l. ult. §. 1.* adeo quidem, ut non

4 sui tantum temporis hominibus, sed in omne ævum valituras leges

ges ferre possit, *auth. de hered. & Falc. §. his igitur, in fin.* At pro locorum diversitate, ut plures ac diversi cum potestate sunt, ita legum quoque conditores plures diversique esse possunt: ut postea docebimus.

Dico ergo, * privilegium introducere posse omnes, qui- 5
cunque legem seu jus universale facere possunt, quatenus possunt. Ratio hujus prius dicta & evidentissima est. Omnia enim quo jure contracta, quo vinculo colligata sunt, iisdem quoque solvuntur *l. 53. l. 100. ff. de regulis juris*; & ejus est actionem dare, qui potest denegare, *l. qui vetante, 102. ff. eod.* ejus est absolvere, qui potest condemnare, *l. 37. ff. eod.* Igitur & leges iidem tollere atque abolere possunt, qui ponere. Jam qui abrogare penitus legem potest, qui non differre quoque & suspendere in alio atque alio casu possit? nec enim debet, cui plus licet, quod minus est, non licere, *l. 21. ff. de reg. jur.* Ejusdem * proinde po- 6
testatis est privilegium facere & legem. Sed quis legem faciat, quæris? Verum tibi jura distinguo: aliud esse dico universale, quod omnes in toto Imperio ligat; aliud singulare seu particulare, quod ipsum quoque jus civile vocatur, *l. omnes populi, 9. ff. de justit. & jure*, interdum municipale, aut statutorum: quod nimirum certæ Provinciæ, Universitatis, vel loci est. Illud * ne- 7
mo facere potest, nisi solus Princeps, *l. fin. §. pen. & ult. C. de legibus §. sed & quod Princip. Instit. de jure naturali, &c. l. 2. §. novissime 11. ff. de orig. jur. l. 1. ff. de constit. ubi glos. & Dd. l. 3. §. 5. ff. de sepulchro viol. auth. de consul. §. 2. in fine Bart. in l. 1. C. de summa Trin. & in l. omnes populi, 9. ff. de just. & jure.* Hoc * quis- 8
quis in Provincia illa, Universitate, vel loco, summam potestatem, jurisdictionem, seu imperium habet, quatenus habet; qualis * nimirum & quam absoluta seu plena potestas ejus est, tale 9
jus ab eo conditum æstimo. Si enim vera est, si plena jurisdictio, jus quoque simile erit: sin levior, sin demandata solum, aut precaria, sin per analogiam aliquam vel similitudinem dicta, de jure quoque inde orto idem censendum. Sicut Princeps, qui est dominus

minus totius, facit legem univerſalem, ita iſti, qui ſunt domini in parte, faciunt ſtatuta in parte, ait Bart. *in l. omnes populi. ff. de juſtit. & jure, & fac. l. age cum Geminiano, ubi Bartol. C. de trans-*
10 *action.* Igitur * Reges, Electores, cæterosque Imperii R. Principes, Comites item, Marchiones, Barones, habentes regalem dignitatem perpetuam & ad heredes tranſitoriam, ſive recognoſcant ſuperiorem, ſive non; in ſuis terris omnia habere jura & privilegia, quæ Imperator; & in his non tantum leges ſtatutaque pro lubitu facere, mutare, abrogare, ſed juri quoque civili & communi derogare, & contraria ſtatuere poſſe, cenſent Felinus *in ca. quod ſuper his, de major. & obed. & in c. cum non liceat, col. 3. in fi. & col. 5. poſt prin. de præſcript. Angel. Aretin. Alexand. & Jaſon. in l. 5. in princ. ff. de verbor. oblig. Bald. in proœm. ff. col. 3. numer. 11. & in l. more, 5. ff. de jurisdi. omn. judi. & in l. 2. C. de conſtit. pec. l. exemplo, 7. C. de probat. & in conſil. caſus talis eſt, Rex Cypri, &c. 182. num. 5. par. 5. Jaſon. in l. nemo poteſt, 55. lect. 1. n. 9. & lect. 2. numer. 9. de legat. 1. Alex. in conſil. 124. col. 2. vol. 4. Caſtrenſ. conſil. 34. in 1. dub. numer. 1. & 2. par. 1. Natta in Clem. ſæpe in princ. colum. 75. limit. 4. de verbor. ſignifi. Roland. à Valle conſil. 29. numer. 26. volum. 1. Curt. jun. conſil. 61. numer. 1. Socinus jun. conſil. 36. numer. 19. verſi. ſed tali juri. volum. 4. conſi. 272. colum. 2. volum. 2. conſil. 17. numer. 9. & ſeq. volum. 4. Gravetta conſil. 135. Afflict. in pen. conſtitut. reg. quæſt. 6. numer. 5. & ſeq. in prin. Bapti. à Villalobos in commun. opinionibus, litera D. num. 192.* & innumeri alii, quos referunt Ludol. Schraderus, *in tract. feudorum in ſecun. parte non. princ. ſect. 10. numer. 36. & ſeqq. & parte 10. ſect. 8. numer. 28.* & P. Anton. de Petra *in tract. de jure quæſito non toll. cap. 3. quæſtion. 4. numer. 74. & ſequentib. cap. 6. ſpeciali 137. cap. 21. numer. 15. & ſequentib.* communem opinionem hanc eſſe plerique teſtantes. Jus enim, quod ſervatur in re publica, ſervatur etiam in privata ſuo modo, *l. 1. §. 1. ubi gloſſ. ff. quod cujuscun. univerſ. fac. l. item veniunt, 20. §. in privatorum 19. ff. de petit. hered. l. 1. in princ. C. eod.* Ita populum liberum ven-

vendicantem sibi jura imperii vel regalia, posse apponere manum ad reservata Principi, ait Felinus *in c. cum omnes, de constitut. conclusio. 1. limit. 3. argumento capit. per venerabilem, qui filii sint legitimi.* Idem posse quemvis populum habentem jurisdictionem, ajunt Bartolus & Baldus *in dict. l. omnes populi* & civitatem, quæ non recognoscit superiorem, habere jura Principis, communem esse opinionem, ait Decius *consil. 357. numer. 1. sub fin. Socin. jun. consil. 73. numer. 8. volum. 1.* Antiochensium certe civitas lege sua privilegium in bonis defuncti debitoris accepisse dicitur *in leg. antepen. ff. de reb. auct. jud. possid.* Ego vero, ut cunque sit ista communis opinio, de illa merito ac jure dubito. Principes enim Imperii omnesque illi subjectos juri civili & communi derogare aut contraria statuere, sine consensu Imperatoris, posse nego. Quid enim sunt leges ab Imperatore latæ, quas illi ipsi, in quos sunt latæ, pro lubitu evertere possunt? Et quæ circa leges condendas, imo universe, Principis potestas, si leges quidem & jura dare possit, eadem vero Principes inferiores, quantum in ipsis, mutare atque abrogare queant? Itaque licet leges aliquas, statuta & ordinationes Principes cæterique magistratus in Imperio R. facere possunt: illud tamen sine præjudicio alterius, supremæ maxime jurisdictionis, facere debent: cum inferior non possit limitare jurisdictionem superioris, secundum *Bald. in auth. sed novo jure, C. de servo fugiti.* Et ideo facile concedimus jus, quod servatur in re publica, servari etiam in privata, sed suo modo: ut modo dictum est. Qua de causa passim videmus, Principes & Status Imperii privilegia obtinuisse, ne à suis sententiis liceat appellare, omnino, vel intra certam summam: confirmationem item constitutionum suarum & statutorum, ac similia ab Imperatore petere. Quod nunquam facerent, si tanquam Imperatores in suis terris suo se id jure facere existimarent. Sed hæc quæstio ampliorem requirit tractationem, nec hujus est proprie loci: ubi non quæ sit cujuslibet & quanta potestas definire propositum est, sed generatim tantum, qualis sit cujusque potestas, tale jus ab

D eo

eo latum esse affirmo. Qualis autem sit uniuscujusque potestas aliunde petendum. Equidem ut in his, qui superiorem neminem agnoscunt, aliquid fortasse verum sit; tamen & illis non ideo protinus eadem est cum Imperatore potestas: Sed illa potius, quæ legibus & consuetudine regni uniuscujusque & principatus definita est. Nec adeo pertinent etiam isti ad præsentem considerationem, ubi de privilegiis & jure civili Rom. agimus; & ita de his, qui Imperatorem Rom. pro capite suo & Principe agnoscunt. Quos tamen interim omnes suo modo & jurisdictionem habere, & leges atque statuta suis quædam imponere posse, non negamus.
11 Adeo * quidem ut licet jurisdictionem habeant limitatam, superiori subjectam atque obnoxiam, imo pene nullam: utique tamen statuta aliqua facere possint; ut pluribus docet Jo. de Platea *in instit. tit de jure naturali nu. 9. & 12.* Nec enim quisquam alteri tam obnoxius & subditus, nemo tam infelix est, ut non aliquid possideat, de quo suo arbitrio statuere possit; cum & servis suis peculium, ejusque administrationem antiqui indulserint, *fac. l. servum, 33. in prin. ff. de procurat.* Ita pars quoque civitatis, statuta quidem ad causarum decisiones sine consensu & confirmatione totius populi facere non possunt, sed tamen statuta pertinentia ad modum expediendi ea, quæ incumbunt ipsi parti, facere possunt: ut ait *Bar. in d. l. omnes populi, 9.* Quin & mercatores inter se leges aliquas & statuta, dum sine præjudicio cæterorum fiat, facere possunt, secundum Jo. de Platea *d. loco, n. 2. & seq.* Et quævis Collegia licita, per *eund. Bar. in d. l. omnes, & l. sodales, 4. ff. de colleg. & corpor.* Sic Magistri artium, sive liberalium, sive illiberalium, discipulis suis leges præscribere possunt, circa bonos mores & levem aliquam coercitionem, non tamen pecuniariam, *Bar. in d. l. omnes populi, n. 12.* Idem dici potest de statutis, quæ facit paterfamiliæ pro corrigendis moribus libero-
12 rum & familiæ, *Bar. ibi* & similibus. Quibus * addendum, denique jura & leges consuetudine quoque inveterata induci, vetustatemque legis vicem obtinere, ut docent *l. de quib. 32. cum seqq. ff. de*

ff. de legib. l. 1. §. ult. l. 2. in pr. & §. Cassius, ff. de aqua & aquæ plu. arc. l. hoc jure, 3. §. ductus, ff. de aqua quot. & æsti. l. antepen. ff. de pollic. Inst. de officio jud. §. 1. ibi, ne aliter judicet, &c. And. Gailius l. 2. observ. 124. n. 2. Quanquam revera & ista tacito populi seu Principis consensu & approbatione constent: cum nihil intersit suffragio voluntatem illi suam declarent, an rebus ipsis & factis, *l. nuper 11. C. de natur. lib.* Ex his omnibus satis esse manifestum opinor, quis legem facere possit: Ubi * tamen iterum atque iterum repetitum vo- 13
lo, leges vel statuta hos omnes eatenus facere posse, quatenus potestas eorum & jurisdictio patent. Unde * in præjudicium juris publi- 14
ci, aut superioris potestatis, ut paulo antea attigi quoque, aut aliorum, qui sub ejus potestate non sunt, nemo statuere quidquam potest. Privatorum enim facta atque conventa juri publico non derogant, *l. neque pignus, 45. ff. de regul. jur. l. 3. in pr. ff. de transact. l. juris gent. 7. §. si paciscar. 14. l. jus publicum, 38. ff. de pactis, l. 2. §. jus reipublicæ, ff. de administ. rerum ad civi. pertin. c si diligenti, de foro compet. Bart. in l. vacuabis, 19. C. de decurionib. l. privatorum. 3. C. de jurisd. om. jud. l. 2. C. vectigal. nova institui non posse.* & extra territorium jus dicenti impune non paretur, *l. ult. ff. de jurisd l. pupillus, 239. §. pen. ff. de verb. signif. ca. ut animarum, de const. in sex. c. ea quæ de regu. jur.* ibid. nec inferior potest limitare jurisdictionem superioris, ut docet Baldus *in auth. sed novo jure, C. de servo fugit.* Causa * enim finita, non potest producere infinitum 15
effectum; sed sicut limitatur potentia causæ, sic etiam debet limitari effectus, *l. si adrogator, 22. ff. de adopt. l. jurisperitos, § 1. ff. de excus. l. pupillo, 27. ff. de tutor. & curator. datis, &c.* Itaque * pro 16
non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, *cap. quod autem, de jure patro. fac. l. traditur, ff. de adqu. rer. dom. l. si filius familias, C. de donat. l. si universæ, ubi Bart. C. de legatis. l. 4. §. ult. ff. de offic. proconf. l. more majorum, 5. ff. de jurisd. omn. jud.*

His ita positis demonstratisque, qui privilegia condere possint, facile quilibet æstimabit. Idem tamen * & ex jure nostro in 17

ſpecie breviter oſtendere libuit: ut cum iisdem, quibus noſtra ratio, ab jure illo poteſtatem hanc dari apparuerit, tanto magis veritas noſtra ſententiæ & argumenti certitudo ab univerſis conſpiciatur. Primus igitur & potiſſimus, qui privilegia largiatur,
18 * occurit Dominus noſter & Creator Deus, quem *auth. ut Eccleſia S. Reſurrectio. alienare poſſit, &c.* Hieroſolymitanæ Eccleſiæ tantum dediſſe præter alias civitates privilegium ait, ut ex ipſa reſurgeret ſecundum carnem. Et veriſſime ac rectiſſime Speculator *in tit. de diſpenſat.* §. *originem in pr.* originem, ait, traxiſſe remedium diſpenſationis (quod idem fere eſt cum privilegiorum auxilio) ab eo, qui ex ſola miſericordia & diſpenſatione univerſa creavit, hominique ſubjecit: qui diſpenſavit cum Adamo & Eva lapſis, cum Noha, cum Abrahamo, cum Lotho, Jacobo, Moſe, & horum poſteris: qui diſpenſavit cum humano genere, quando miſit filium ſuum redemptionis noſtræ cauſa: qui denique quotidie cum noſtrum unoquoque diſpenſat. Ita Dei ſe ſequi judicium, in privilegio uxoribus indulgendo, ait Imp. Juſtinianus *in l. ult. C. de nuptiis.* Cauſa quoque privilegiorum ſtatuitur Fortuna, ut *in l. fin. in fine, C. de quadrienni præſcrip.* ubi Imperator Fortunæ (vel potius domino Fortunæ *c. ſi Imperator. diſtinct. 96.*) privilegia ſua accepta refert. Item Natura, *l. ſcire, 13.* §. *7. ff. de excuſat. l. ſi in emptione, 34.* §. *1. ff. de contrah. empt. l. 4. in pr. l.*
19 *ſcientiam, 45.* §. *4. ff. ad leg. Aquil.* Verum hæc * omnia, Deus inquam, Natura, Fortuna ad præſentem conſiderationem non pertinent. Non nego equidem, Deum, ut omnis boni, ita juris quoque omnis auctorem ac regulam eſſe; ideo in omni oratione & doctrina illum ſemper, ut primam rerum omnium cauſam, præſumimus. Hic vero de ſecundis & proximis cauſis loquimur: quæ ut à Deo dependent, ita cognitu ſunt maxime neceſſariæ. Itaque nec Natura privilegiorum proximum eſt principium ac cauſa. Nam licet pleraque imo omnia privilegia, ex Natura habeant originem, naturalique juſtitia, quam æquitatem vocant, firmentur: ut loquuntur, *d. l. ſcire, 13.* §. *7. l. cum ratio naturalis,*

lis, 7. in pr. ff. de bonis damnat. & similes. Illa tamen nec pro jure æstimantur, nec in considerationem jurisperitorum veniunt, nisi quatenus hominum auctoritas & approbatio accedit, *l. unica, & ibid. gloss. C. de colonis palæst.*

Inter eos igitur, qui privilegia, quæ sunt nostri subjecti, introducere queunt, primus * est & præcipuus Imperii Romani 20 Princeps, *l. 1. & l. ult. C. de legibus, l. 1. §. 42. ff. de aqua quot. & æstiva. l. 2. ff. de testam. mil. l. non tantum, 17. §. 1. ff. de excusat. leg. 10. ff. ad municipal. leg. 31. ff. de ritu nupt. l. ult. ff. de tutel. l. ult. ff. de Senator. l. 7. ff. qui testam. facere poss. l. 10. ff. de his qui not. infam. l. 3. in princ. & ibi gloss. ff. de minor. l. 13. ff. de Senat. Turpil. l. 2. C. de quadrienni præscriptio. & infinita alia per jus totum.* Hujus * leges omnes, qui sunt in orbe Romano, tam clericos 21 quam laicos, ligant, *l. 3. §. Divus, ff. de sepulchro viol. cap. quo jure, cap. seq. dist. 8. cap. 1. cap. quoniam, cap. de capitulis, & seqq. dist. 10. cap. si Episcopus, ubi gloss. dist. 18. cap. cum ad verum, dist. 96. cap. si tributum, & cap. seq. c. volumus, 11. q. 1. cap. si vobis, cap. convenior. 23. q. 8. gloss. notab. in l. jubemus. 36. §. 2. in verbo naturali, C. de Episcop. & cler. & in c. quod clericis, de foro comp. Abbas sic in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. Felin. ibid. quæst. 3. num. 43. Baldus ibid. num. 8. & in rubr. illius tit. num. 10. & in l. & in legatis, C. ad leg. Falcidiam, & in l. ex ea causa, ff. de postulan. Hippol. in practica criminali, in §. aggrediar. num. 72. Crauetta de antiqu. temp. par 4. cap. ult. num. 8. & seqq. Aufrerius de potestate secular. in Eccles. reg 2. in fine, Angel. de Clavacio in summa, in verbo Lex, n. 7. Guido Papa, in decis. Gratian. quæst. 79. Jul. Clarus lib. 5. recept. sent. §. fin. quæst. 36. nu. 26. And. Gailius l. 2. observat. 32. num. 5. & seqq. & lib. 1. de pace publ. cap. 1. num. 12. Rob. Bellarminus tom. 1. controversia generali quinta, lib. 1. cap. 28. propos. 2. & 3.* eoque & privilegia ejus in omni terra obtinere debent, *l. generaliter, 52. in fine, C. de Episcop.* Talia sunt omnia illa, quæ certis personis vel rebus, tam jure Digestorum & Codicis, quam recentioribus nostrorum Imperatorum constitutionibus sanctionibusque

busque præstantur. Inter æquitatem enim jusque interpositam interpretationem huic soli & oportet, & licet inspicere, *l. 1. C. de legib.* & ut leges condere soli concessum est Imperatori; ita easdem interpretari, earum ambiguitates atque ænigmata solvere & aperire, in hujus est tantum potestate, *d. l. ult. & leges, 9. d. t.* ut correctio quoque & emendatio earum, *d. l. leges & auth. de nuptiis, in fine præfat. auth. quibus modis natural. filii, &c. in præfat.* imo abolitio, *leg. 1. C. ne fidejussö. dot. dentur.* Et Principe consentiente ac permittente, multa fieri possunt, quæ alias fieri nequeunt, *gloss. in l. Divi. 27. in ver. fieri potest. ff. de pœnis.* Recte igitur hic præ omnibus privilegiorum auctor conditorque habetur.

22 Post Principem * cæteri ordine sequuntur, qui legis ferendæ habent potestatem. Veluti Præfectus prætorio, *l. restituendæ, 6. in fin. C. de advoc. diver. jud.* Prætores, *l. 1. in pr. ff. unde cogn. l. 15. ff. de curator, fur. l. 7. C. de advoc. diver. judicum.* Senatus, *l. non tantum, 17. §. 1. ff. de excusat.* Et qui in horum loca successerunt, Imperii Electores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones &c. de quibus supra. Episcopi & Antistites sacrorum, *gl. in c. placuit, 76. q. 6. c. fin. de his quæ fiunt à maj. par. c. 2. de majorit. & obed. c. constitut. de religios. domibus, cap. cum venerabilis, de censibus, c. cum olim, 2. de privilegiis, cap. ut animarum, de const. in sex. &c.* & Judex quicunque vel Præfectus ordinarius inter suos subditos, *l. 1. ff. quod quisque juris &c. l. Divus, ff. de custod. & exhib. rerum. Bart. in l. nemo judex, 14. C. de decurionib. li. 10.* Civitas aut Populus aliquis, *l. Antiochensium, antepen. ff. de reb. auctor. jud. possid. l. 9. C. de decurion. lib. 10. Bart. in d. l. Antiochensium, & in l. 1. C. de dignit. & in l. 2. ff. de jure immun. l. Lucius, §. ult. ff. ad municipal. Bald. in l. ult. C. quorum appellat. non recipi.* Collegia item, Universitates, Corpora, & omnes, de quibus supra. Idem valent in * privilegiis introducendis Consuetudo, *l. 4. §. ingressurum, l. si in alium, 7. ff. de offic. proconf. l. omnia privilegia, 35. in pr. C. de Episcopis. c. quia per ambitiones,*

23

bitiones, dist. 64. c. conquestus, 9. q. 3. Bart. in proœm. dig. §. hac autem tria, nu. 3. §. 1. & ibi gl. in verbo majorib. Instit. de offic. jud. gloss. in l. 3. §. Divus, in verbo sepeliri, ff. de sepulchro viol. c. super quibusdam, §. præterea, de verb. signif. Abbas in c. 1. ut lite pendente nihil innovetur, Baldus in l. sed & reprobari, ff. de excusat. tut. pluribus Felinus in cap. accedentes, col. 4. & seqq. de præscript. & in cap. cum contingat, num. 4. de foro compet. Innocent. ibid. & in cap. novit. de judic. Roch. Curt. in repet. c. ult. de consuet. & * tem- 24
poris immemorialis Præscriptio, *d. c. super quibusdam, l. 3. §. ductus, ff. de aqua quot. & æstiva. l. usum aquæ 4. C. de aquæ ductu, lib. XI. l. eum qui, 58. C. de decurion. lib. X. l. unica, C. de professoribus, qui in urbe const. lib. XII. cap. 1. de præscript. lib. 6. Abbas in d. cap. 1. ut lite pend. Jason. in l. imperium, 3. nu. 22. ff. de jurisd. & in l. is qui putat, 15. col. 2. ff. de adquir. hered. Bar. in l. 1. col. ult. C. de summa Trinit. Felin. in cap. accedentes, nu. 6. ver. tertius casus, de præscript. Butr. in c. pervenit, de censibus, Baldus in cap. 1. col. 2. quæ sint regal. Franci. Vivius lib. 1. com. op. 242. & plures, quos allegant, Ludol. Schraderus in tract. feud. par. 2. non. princip. sect. 3. q. 6. num. 128. & Peregrinus de jure fisci, lib. 1. tit. 2. num. 65.* adeo ut omnia, quæ privilegio quæri possunt, tanti temporis præscriptione quærantur; secundum Oldradum *in consil. quia fere omnes, 172. & Dec. consil. 534. col. 1. & 2.* idque * etiam nesciente 25
illo, contra quem præscribitur; ut censent *Felin. in cap. cum nobis, num. 3. de præscription. Salic. in l. vectigalia, C. nova vectigal. Baldus de præscript. num. 19. Alex. consil. 8. col. pen. lib. 1. Dec. consil. 496. num. 5. Joach. Mynsing. obs. 30. cent. 1. & obs. 29. cent. 5. num. 14. secundum Jason. in l. imperium, col. 8. ff. de jurisd. om. jud. & plures allegatos à Roland. consil. 89. num. 9. lib. 3.* nisi tamen * præscribens sit incapax, ut sing. dixit Jo. Mona. *in* 26
cap. 2. de præbend. in VI. quem sequitur Abbas in cap. causam, de præscript. in c. quanto, not. 1. de consuetud. in c. novit. col. 12. de judic. & in cap. ad aures, de præscript. Bald. in l. omnes, in fine C. de præscript. 30. ann. Hippol. de Marsiliis singul. 80. P. Rebuffus de decimis,

quæst.

quæst. 13. num. 68. Baldus vero *in l. solennibus, C. de fide instrument,*
27 privilegium * non per usum privilegii, sed justum titulum, hoc est, auctoritatem concedentis, vel longævam consuetudinem probari, affirmat, *cap. super quibusdam, §. præterea, de verb. signif.* proprie enim in privilegiis non cadere præscriptionem: quoniam ille qui allegat privilegium, alleget malam fidem, nisi titulum probet; ut in *cap. ad decimas, de restitut. spol. lib. 6.* Fatetur tamen, si titulus non sit usquequaque sufficiens, sitque error facti, non juris, recipi à præscriptione supplementum. Ita jus cudendi monetam, consuetudine vel præscriptione temporis cujus non extat memoria, adquiri posse censet glossa *in extravag. prodiens, in ver. Consuetudinem, de crimine falsi, & Abbas sic in cap. quanto, de jure-*
28 *jur.* Sane in * consuetudine expressum consensum requirunt, *Abbas in c. accedentes, de præscription. & Jo. Andr. ibid. Bart. in l. ult. in prin. de legat. 1. Bal. in l. humanum, 8. & ibi. l. de cast. num. 4. C. de legib. & alii plures, & fac. l. de quibus, ff. de legib. l. alienationis verbum ff. de verborum signif. c. duo simul, de officio ordin.* quod tamen repudiare videtur *Bart. in proœm. Dig. §. hæc autem tria, num. 3.* Ut Baldus quoque, qui *in l. 1. in princ. ff. de exercit. act.* Civitatem Patavinam non teneri fidem de privilegio studii facere ait, quia sufficiat patientia Principis. Patientiam certe seu tolerantiam cum taciturnitate inducere consensum, censent Baldus idem & Angel. *in leg. si filius, C. de petit. hered. & in l. qui in aliena, §. quod si non adierit, ff. de adquir. hered. & Innoc. in c. illud, de præsumpt. Bart. in l. sive possidetis, C. de probat. & in l. post. mortem, ff. de adoption, Archid. in cap. nemo, de consecrat. distinct. 1. Cardin. in cap. requisisti, de testamentis, Abbas in cap. licet. Eli. de Simon. Pe. Anchar. in Clem. 1. de privileg. Hipp. de Marsil. singul.*
29 *77.* Semper autem, * quod de legum ferendarum potestate prius diximus, in privilegiis statuendis observandum est. Privilegia enim ea quisque introducere potest, qua leges potest: has vero,
30 quatenus potestas ejus & imperium patent. Quas * ob res, cui loco, quibusque hominibus aut rebus, legem quis statuere potest,

teſt, iisdem privilegia conferre poteſt: & qualis circa leges ferendas poteſtas eſt, talis item circa privilegia habetur. Itaque omnis conceſſio Principis eousque intelligitur, quousque poteſtas illius extenditur, & non ultra; Ripa *in titul. de diverſ. reſcript. reſpon. 12. numer. 24.* In quam ſententiam Ulpianus *in leg. 3. §. 4. ff. quod vi aut clam.* Si præſes, inquit, vel curator Reipubl. permiſerit in publico facere, exceptio locum non habet, quia etſi ei locorum publicorum procuratio data eſt, conceſſio tamen data non eſt; hoc ita verum eſt, ſi non lex municipalis curatori Reipub. amplius concedat &c. Quanta, inquit, poteſtas eſt ejus, qui Reipubl. procurationem habet, tantum is concedere poteſt.

Quanta vero poteſtas cujusque ſit, nec hujus eſt loci, determinare, nec quenquam definire poſſe certum habeo. Infinita enim eſt hujus varietas: & proinde experientia potius hic judicioque, quam regula ulla aut doctrina, ſtare debemus.

Illud tantum, quod * ex antea dictis ſequitur, vel maxime 31
hoc loco monendum putavi; cujus plane nullum eſt de jure imperium, aut poteſtas, ejus quoque privilegia nulla eſſe & inania
ipſo jure. Sic * enim Tyranni, hoc eſt, qui ſine juſto titulo in 32
Repub. dominatum aſſumpſit, ut ex Gregorii lib. X. moralium, Bartolus *in tractat. de Tyranno*, deſcribit acta omnia, quæ tanquam ex imperio & jurisdictione ſtatuit, ipſo jure nulla eſſe; ajunt Bartol. *in dict. tract. quæſt. 7. Baldus in addit. ad l. nec timorem, ff. quod metus cauſa, Baldus & Felinus in cap. translato, de conſtit. Id Bald. Bartol. & Dd. in l. decernimus, per illum tex. C. de S. Eccleſ. Pet. Antharan. in cap. fundamenta, de elect. in ſex. Decius, conſil. 191. Cariſius conſ. 1. num. 57. volum. 1. Ægid. Boſſ. in tit. de Principe, numer. 39. & fac. tex. in dict. leg. decernimus, l. 2. §. 1. ff. de judic. l. 2. in princip. leg. 3. ff. ad leg. Jul. Majeſt. l. ult. C. de inceſt. & inutil. nuptiis. cap. 1. de Schiſma. cap. ordinatos, 8. quæſt. 1.* ut & illa, quæ à Præfectis, eorum legatis, & miniſtris profecta ſunt, *per eadem jura.* Quia enim jurisdictionem & imperium nullum habent, ea quoque, quæ nullo titulo aut falſo gerunt, nulla eſſe & falſa, ſe-

quitur: ut recte Bald. *in dict. leg. decernimus*, argumentatur, *& fac. l. ult. ff. de jurisdict. om. jud. l. nulla competit, 19. ff. qui & à quibus manumiss. l. non dubium, 5. C. de legibus, leg. 2. Cod. de haret.* Sic enim de his, quæ Basilisci invasoris Reipubl. temporibus introducta sunt privilegia, statuit Zeno Imp. *in d. l. decernimus*, & de actis Odenati & Zenobiæ Diocletianus *in l. 4. C. de ingenu. manu.* ut docuit doctissimus Cujacius *lib. 3. observ. c. 19.* Idem de illis statuendum omnino ajo, quibus Matthias Ungariæ Rex, cum Austriæ magnam partem per absentiam Principis occupasset, privilegia dedit.

33 Cæterum quis dicatur Tyrannus * quæ species seu genera Tyrannorum, & quid de actis eorum judicandum, pluribus exequitur Bar. in eo, quem de Tyranno scripsit, libello. Nec pauca aut contemnenda invenies apud Barba. *in rubr. de test. extra, char. 4. col. ult. & seqq. Bartol. Baldum & alios in d. l. decernimus, Bald in consil. 382. circa fin. vol. 1. & consil. 233. vol. 3. & in cap. 1. in fine prin. de natura feudi. Felin. in c. translato, col. 1. de constit. & in c. postulasti, col. antepen. de rescript. Alex. consil. 121. col. pen. & ult. vol. 4. & consil. 3. col. pen. vol. 5. Angel. in consil. 379. Alb. in l. 2. §. exactis, ff. de orig. jur. Put. in tract. Synd. in princ. P. Ancharanus, in c. fundamenta, de elect. in sex. & consil. 289. Mart. Laud. in tracta. de Principe, in quæst. 64. Jason in auth. qui rem. col. 2. C. de S. Ecclesiis. Cors. de excellent. reg. in 1. char. in 3. quæst. Ægid. Boss. in tit. de vi publica, & in tit. de Principe, num. 38. & seqq.* Quibus adde Platonem *lib. 9. de Rep.* Aristotelem in Politicis, Xenophontem in Hierone, Just. Lipsium *lib. 6. Polit.* & hujus generis alios Scriptores.

CA-

CAPUT V.

Viæ describuntur ac modi, quibus privilegia adquiruntur.

EPITOMA.

1. *Duo sunt genera privilegiorum, alia motu proprio, alia precibus concessa.*
2. *Motus proprius describitur, & num. 13.*
3. *Motus proprius non tollit defectum aut inhabilitatem personæ.*
4. *Quod exemplis monstratur.*
5. *Privilegia non dantur indignis.*
6. *Motus proprius alius verus est, alius simulatus.*
7. *Quis verus?*
8. *Quis affectatus seu simulatus?*
9. *Motus proprius verus multum valet, nec obreptione vitiatur.*
10. *Nisi quis concedat, quod vel non potuit, vel noluit.*
11. *Verbi causa, si erraverit.*
12. *Aut præjudicium tertii attingat.*
14. *Principis voluntas talis esse præsumitur, qualis esse de jure debet.*
15. *Motus proprius quid vere operetur, & quid non operetur.*
16. *Quid motus proprius simulatus operetur, explicatur.*
17. *Veritas figmento nunquam extinguitur.*
18. *An motus proprius & preces simul stare possint?*
19. *Motu proprio constare potest privilegium, etsi clausulam istam non habeat.*
20. *An iteratio privilegii, clausula ex certa scientia, non obstante & similes, idem valeant cum motu proprio?*
21. *An si princeps alloquitur aliquem ut privilegiatum privilegiasse videatur?*
22. *Privilegia non obiter, sed certa cum forma dantur.*
23. *Privilegia ad preces data describuntur.*
24. *Petere privilegia oportet, non sumere aut extorquere, & num. 26.*
25. *Princeps injuriam facit æquitatem non impertiendo.*
27. *In petitione privilegiorum caute agendum, & nu. 31.*
28. *Privilegia motu proprio data aliis firmiora.*

29. In Principe ſemper præſumitur juſta cauſa.
30. Sed tantum cum motu proprio agit.
31. De jure Canonum preces Simoniam inducunt.
32. Privilegia legitime, non per importunitatem petere oportet.
33. Sixti IV. Papæ, Alfonſi Regis, Julii Caſ. & aliorum exempla.
34. Supplicationibus in Germania Præfecti ſubſcribunt.
35. Utrumque genus privilegiorum ab Imper. eodem loco notatur.

QUandoquidem igitur qualeis eſſe oporteat, qui privilegia introducturi ſunt, ſatis dictum eſt: nunc quid illos, qui privilegia accepturi vel impetraturi ſunt, obſervare & ſe-
1 qui conveniat, videamus. Hoc itaque caſu, duo * eſſe privilegiorum genera, eaque non leviter diſcrepantia, tenendum. Quædam enim motu proprio, quædam ad preces ſupplicantis, con-
2 ceſſa dicuntur. Motus * proprius eſt, cum Princeps aut ſimilis ad aliquid concedendum ſponte movetur: ut docet Baldus *in cap. niſi ſpectabilis, num. 4. de officio lega.* Talia ſunt privilegia pleraque in jure civili ſcripto comprehenſa, quæ omnibus, etiam antequam in cogitationem eorum venerunt, ultronee Princeps confert, *gloſſ. & Bart. in auth. quas actiones C. de S. Eccleſiis, Bart.*
3 *in l. 1. in fine C. de bon. vacant. lib. X.* Quibus tamen * quisquis frui cupit, aptus iisque qualitatibus præditus eſſe debet, quas leges ſingulorum & ratio requirunt. Clauſula enim motus proprii non tollit defectum perſonæ, *gloſſ. in Clem. ſi Romanus in verſ. quantocunque de præben. Joan. Andr. in c. ſi motu proprio, in Novel. de præbend. & in c. ſi Romanus eod. in ſex. Rota in deciſ. novis. deciſ. 3. pluribus Menochius de præſ. lib. 2. præſ. 20. fac. l. penul. C. de of-*
4 *ficio Rectoris provinciæ.* Ita, * licet in corpore naviculariorum quis ſit, navem tamen vel naves non habeat, nec omnia ei congruant, quæ principalibus conſtitutionibus cauta ſunt: non poterit privilegio naviculariis indulto uti, ut ait *l. ſemper, 5. §. licet, 6. ff. de jure immu.* Ita qui ſecundum militare privilegium voluerit teſtari, in numeros relatus, & omnino miles eſſe debet; alias fruſtra teſtabitur, quamvis lectus, *l. 42. & l. ſequenti ff. de teſtam. mil.*

mil. Et scholaris, ut gaudeat privilegiis scholarium, lectionibus publicis interesse, & cætera munia persequi debet: nec sufficit, ut sit in matricula; *Bartol. in l. unica, C. de collegiatis.* Ita maritus putativus, ut loquuntur, non habet privilegium mariti, ut conveniatur in quantum facere potest, *Brunus de cessio. bonorum, quæst. 20. quartæ princip. num. 9. Ant. Negusant. de pignor. 4. membro secundæ princ. nu. 106.* & monachus fictus non gaudet privilegio monachi veri, *Joan. de Platea, in d. l. unica C. de collegiat.* Ita nec civis gaudet privilegiis civitatis, nisi sit in libris civitatis descriptus, ut post Luc. de Penna *in l. una C. non licere habitat. metror. lib. 10.* scribit P. Rebuffus *in tract. nominat. quæst. 11. num. 27.* Et clericorum beneficia habere debent, qui apud Sacrosanctas Ecclesias vel monasteria permanent, non divagantes, nec circa divina ministeria desides: cum propter hoc ipsum beneficia eis indulgeantur, ut aliis omnibus relictis, Dei Omnipotentis ministeriis inhæreant *l. generaliter, 52. §. 1. C. de Episcopis.* Nam privilegia * bene cogniti ac digni consequi debent, nec his passim 5
frui indigni, *l. eum qui 48. C. de decurionibus, lib. X.*

Est autem * circa hæc quoque non levis differentia. Motus 6
namque proprius, alius verus est & naturalis, alius affectatus, ut ita loquar, sive simulatus, Verus * ille est, cui jam dicta descriptio 7
proprie convenit, cum à se ipso, nec ullius petitione vel monitu, concedens movetur, secundum *l. penul. ibi, etsi ultronee à nostra liberalitate jus sibi jactaverit fuisse delatum, C. de officio Rect. provinc. l. Imperialis, 23. §. similes, ibi; etsi non serenissimo Principi supplicaverint, si tamen donationem ante matrimonium meruerunt, C. de nuptiis, auth. de procons. Palestin. in præfat. ibi, venit autem nobis in mentem &c.* Affectatum * illum dico, cum revera ad pe- 8
titionem supplicantis privilegium indulgetur; idem vero (ut nunc crebro usurpatur) motu proprio consensu asseritur, id quod perinde firmum validumque esse volunt, ac si preces nullæ intervenissent. Ego vero quæ prioris * sunt generis privilegia, si quod 9
jus aliud, certa ac diuturna esse opinor tantumque patere, quan-

tum poteſtas concedentis patet : nec obreptionis aut ſimili crimine vitiari, *l. 1. C. de petit. bon. ſubl. lib. X. c. ſi motu proprio, de præbend. in ſex. gloſſ. in Clem. ſi Romanus, in verbo Validam, d. tit.* Qui enim obreptio locum hic habeat, quæ ſolius eſt impetrantis? qui tamen hoc loco quieſcit, & beneficium juſve oblatum ultro accipit tantum, *fac. l. unica §. 1. verſicul. ita enim & imperi-*
10 *tia &c. C. de rei uxor. actio.* Unico * igitur ferme caſu motu proprio conceſſa privilegia vitiantur, ſi quis concedat, quod vel non potuit, vel noluit.

11 Nam & proprius * motus Principis errantis non facit privilegium, ut ait Baldus *in l. imperialis §. ſimiles, C. de nupt. argumento l. quidam conſulebat, ff. de re judicata*, nec falſitatem cauſæ, in privilegio expreſſæ, clauſula iſta tollit, Decio firmante *in conſil. 407. numer. 19.* Ut clauſula quoque, ex certa ſcientia, circa ſubſtantiam tantum gratiæ operatur, præſuppoſita habilitate perſonæ; circa vere ignorata autem nihil operatur, ſecundum Bald. *in l. impetrata, colum. 3. C. ſentent. reſcindi non poſſe. Felinus in capit. cum. inter, numer. 5. verſicul. intellige de except. Menochius de præſumption. lib. 2. præſumption. 20.*

12 Idem de his, quæ ſupra * poteſtatem ſuam jurisdictionemve Princeps indulget, judicandum. Veluti ſi Princeps, qui nemini ſuum adimere per injuriam debet, ut ſuo loco dicam, aliquid cum magno tertii damno vel injuria indulgeat, privilegio ille non fruitur : cum quod etiam ultronea liberalitas Principis contra licitum contulit, valere non debeat, *l. pen. C. de offic. Rect. provinciæ.* Quæ ratio facit, ut nunquam clauſula iſta ſola Princeps tertio præjudicare voluiſſe credatur : ut firmant etiam *Hoſtiens & alii in capit. cauſam 2. de teſtibus. Abbas in capit. 1. de judic. Felinus in capit. cæterum, & in capit. in noſtro, corol. 27. de reſcript. Bartol. in l. fin. C. de loca præd. civil. lib. XI. Bald. in c. ad aures de reſcript. Ripa in tit. de diverſ. reſcript. Reſp. 12. num. 11. in fine & ſeq. Decius conſil. 407. numer. 19. & ſeq. Rotæ deciſion. 445. in antiq. Jo. Calder. in c. mandatum. de reſcript. Jaſ. in l. fin. col. 1. ff. de pactis.*

Ut

Ut enim hactenus dicta & verba ipſa declarant, motus * proprius 13
nihil eſt aliud, quam ultronea, & à ſe ipſo, non alio, mota Principis voluntas ſeu inclinatio ad aliquid concedendum vel ſtatuendum. Principis autem * voluntas talis eſſe præſumitur, qualis eſſe 14
de jure debet, *Bald. in l. ex facto. not. 4. ff. de vulg. & pup. ſubſt. cap. licet in corrigendis. de offic. ordin & in prælud. feu. colum. 14. & in l. omnes populi, colum. 16. ff. de juſtit. & jure.* & qualis legis ac rationis naturalis, *Bald. idem in c. 1. tit. apud quem vel quos controv. feudi &c.* Motus itaque * proprius non extendit gratiam vel be- 15
neficium ultra intentionem concedentis, ſed tollit ſurreptionem tantum, ut notatur *in c. ſi motu. de præben. in ſex.* Non enim ampliorem facit gratiam, quam eſſet parte petente; ſed inducit majorem probationem; ut cenſet Felinus *in d. cap. cauſam quæ, colum. 3. ver. ſed ad iſtud.* nec aliam etiam inhabilitatem ejus, cui conceditur, tollit: ut docet *gloſſ. in Clem. ſi Romanus de præbend.* Cujus generis multa apud Menochium *de præſumption. lib. 2. præſumpt. 20.*

Sed alterum * genus, quod motu quidem proprio ſcribitur 16
conceſſum, re autem vera ad preces ſupplicantis eſt natum, firmitatem quidem & auctoritatem reliquis majorem obtinere (ibi maxime, ubi etiam quæ ultro donare aut conferre Principes cogitant, peti tamen ab ſe volunt) minime nego: & ita Baldus *d. loco aliique Dd.* cenſent: priore tamen invalidius paulo, ac per ſurreptionem vitioſum fieri, aſſevero. Quod innuit *l. penul. C. de offic. rect. provinc.* & confirmat Jac. Menoch. *de arbitrar. judic ſent. lib. 2. cent. 3. caſu 201. num. 79. & ſeq.* Figmento * enim veri- 17
tas nunquam extinguitur, *l. ſi obligatum 13. C. de ſolution. l. ſi forte 8. ff. de caſtren. pecul. l. adſumptio, 6. ff. ad municipal. l. 2. §. ult. ff. ſi quis caut. l. 5. C. de jurid. & fac. ignor. l. ult. C. mandati l. 8. C. de actione empt. & vend. l. 15. C. de liberali cauſa.* nec acta ſimulata veritatis ſubſtantiam mutare poſſunt, *l. 2. C. plus valere quod agitur &c.* & plus actum quam ſcriptum valet, *l. penul. ibid.* Ita nec verba teſtamentorum, quorum tamen alias liberrimus eſt ſtylus,

ſtylus, ut ait *l. 1. C. de Sacroſan. Eccleſ.* ſi res ſe aliter habet, fidem veri perſtringunt, *l. 6. C. de teſtamentis.* Quin & contra legum
18 ſubtilitates veritas rei valet, *l. penul. C. de jure dot.* Equidem * iſta ſimul ſtare poſſe, Principem rogatum fuiſſe, & tamen motu proprio conceſſiſſe, quaſi inclinatum non vi precum, ſed à ſe ipſo, cenſent Felinus *in c. ſi quando in fine de reſcript. & Bald. in c. niſi de officio leg.* Verum ut hæc fieri poſſint, præſumptio tamen & ſuſpicio quædam ſemper hæret, niſi de contrario apertiſſime conſtet: ut ſentit etiam Socin. *jun. in conſil. 65. numer. 13. vol. 2.*
19 Adeo quidem * mihi in omnibus rerum magis veritas quam verborum ſpecies reſpicienda videtur, ut contra motu proprio datum privilegium habendum atque cenſendum dicam, quod clauſulam iſtam expreſſam non habet; dum aliunde pro certo conſtet: Principem nullius prece aut precio, ſed propriæ voluntatis affectione permotum. Quamvis enim contrarium tueri videtur P. Anchar. *in d. c. ſi motu, not. 5. de præben. in ſex.* mentem tamen potius & voluntatem, quam verba, ſpectandam infra lib. 2. cap. 3. oſtendam; intentioni namque verba, non verbis intentio, deſervire debent, *cap. humanæ 22. quæſt. 5.* Certe in dubio quoque privilegia, quæ conceduntur ſtatuendo legem & jus generale, ex liberalitate conceſſa haberi non ad poſtulationem, ait gloſſa, & Bart. *in auth. quas actiones. per ill. tex. C. de S. Eccleſ.* quomodo & Felinus *in d. capit. cauſam, qu. 2. col. 5.* non requiri clauſulam iſtam fatetur, ubi notorie de motu proprio conſtat; ut, ſi forte perſona, cui providetur, eſt in loco adeo remoto, ut nullo modo gratiam petere poſſit; aut ſi alio modo de hoc conſtet. Quid, quod geminationem reſcripti, certam ſcientiam, & ſimiles clauſulas, eandem vim cum præſenti clauſula habere, ut mox audiemus, ajunt? Quod ſi ita eſt, non utique expreſſio iſtius clauſulæ requiritur. Et hæc de altero motus proprii genere dicta ſunt.
20 Quoniam * vero geminatio ſeu iteratio actus oſtendit enixam diſponentis voluntatem, inducitque diverſitatem juris ab actu ſimplici, *l. quinquaginta ff. de probation. l. baliſta, ubi gloſſ. ff. ad Trebell.*

Trebell. & in l. similiter 2. auth. sive à me, C. ad Vellej. & in l. cum simus, ubi Bart. C. de agr. & cens. lib. 11. cap. eam te, de rescript. ob hæc idem valere, quod motu proprio factum, secundam jussionem seu iterationem privilegii, affirmat gloss. ult. *in l. fin. C. si contra jus vel. util. publicam, & in c. 1. in vers. noscantur, de constitut. lib. 6. Bald. & Jason. in l. nec damnos. C. de precib. Imp. offeren. Bald. idem in l. rescripta 7. col. 2. vers. idem videtur, C. d. t. Jas. in d. auth. quas actiones col. 4. Lud. Roman. in sua aurea repetit. l. si vero §. de viro in 31. fall. ff. soluto matrim. Corsetus in tract. de potestate regia, quæst. 16. Joh. de Platea in l. 1. num. 7. C. de petit. bon. subl. Ant. Gabriel. Roma. in tract. reg. lib. 6. tit. de clausul. conclus. 2. num. 109.* De quo vide etiam amplius Nic. Everardum *in locis legalibus, loco à vi geminationis:* nec minus Felinum *in capit. si quando, colum. penul. de rescript.* Ubi geminationem rescripti, vim clausularum, ex certa scientia, non obstante, motu proprio habere ostendit. Verum enimvero, ut geminationem talem, ut alias clausulas, eandem forsitan vim atque effectum habere, quoad vires & certitudinem privilegii, cum motu proprio, non repugnem: idem tamen esse, & idem plane operari, penitus nego. Omnes enim istæ clausulæ privilegiis ad postulationem datis apponi & possunt & solent, quod in clausula tamen motus proprii fieri nequit: nisi repugnantia & contradictoria in idem subjectum introducere velimus.

Huc * pertinere motuque proprio data privilegia credun- 21
tur, cum Princeps aliquem nominat nobilem, vel ipsi tanquam nobili scribit: item cum castro vel civitati, sine consensu Principis constructæ, ipse ut castro vel civitati scribit. Hoc enim casu iis privilegia nobilitatis, castrorum, civitatum, tributa videntur: ut volunt Felinus *in proœm. Decretal. colum. 6. & Andr. de Butr. ibid. argumento capit. indemnitatibus §. ult. de electio. in sex. & Clem. attendentes de statu regular. Innocent. in capit. cum ab Ecclesiarum, de offic. ordin. capit. veniens. de fin. presbyt. cap. diversis fallac. de cler. coni. gloss. in ca. 2. de schismat. Bartol. in l. quidam consulebant. ff. de*

 reju-

re judic. & in extrav. de pace Constantiæ, in verbo Lombardiæ. & in l. fin. post princ. ff. de coll. illicit. Bald. in l. 1. colum. 2. ff. quod quisque juris. Card. in capit. si summus, in 2. resp. in 3. opposi. de sentent. excomm. Petr. Anchar. in c. statutum, in princ. in 5. col. vers. sed quid dices de castris, de rescript. li. 6. Tiraqu. in tract. nobilitatis c. 6. n. 24. &c.

Quod quibusdam verum videtur, si Princeps id sciens volensque faciat, non si per errorem & ignorantiam, *arg. l. Neratius. 151. ff. de regul. juris, l. Divus, 40. ff. de injur. capit. si aliquando, de sent. excommunicat.* Ego vero etsi sciens ita rescribat Princeps, tale privilegium, vel nullum, vel infirmum certe esse, & ut nullo certo fundamento nixum, facili casu aboleri judico. Licet enim non ignorans ita loquatur Princeps, plurimæ tamen aliæ possunt esse causæ, ob quas tali verbo vel titulis Princeps voluerit uti, ut non protinus privilegio eum afficere voluisse sequatur.

22 Privilegia enim * non obiter, nec verbo, sed cum forma certa & solemnitate Principes dare solent: ut infra ostendam, adeo, ut levis sæpe defectus occasione rapta, etiam quæ plane firma & certa videbantur, convellant. Itaque ut plurimum, imperfecta tantum Principis voluntas, aut certe in effectum non deducta, ex tali instrumento probabitur: nisi expresse id se velle, & eo fine ita cum isto se loqui ostendant, ut deinceps tali privilegio donatus affectusve videatur. Ita etiam Clem. *si summus, de sententia excommunicat.* si Papa, inquit, scienter excommunicato participet literis, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo: ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi se velle forsitan exprimat, illum ex hoc pro absoluto haberi. Similiter, si quem sub titulo cujuslibet dignitatis, ex certa etiam scientia, verbo, constitutione, vel literis nominet, honoret, seu quovis modo alio tractet: per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligitur, aut quidquam ei tribuere novi juris.

23 Alterum est privilegiorum * genus, eorum quæ ad postulationem conceduntur.

Cum

Cum enim nemo * sibi ipsi privilegium dare, nec per rationis aut casus similitudinem aliorum privilegia sibi vendicare possit, ut ait *cap. petistis de privileg.* superest, ut ab his, qui concedendorum privilegiorum jus ac potestatem habent, impetrentur. 24
Quod ut * tanto liberius quisquis jure tali opus habet facere possit, omnibus cujuscunque conditionis aut fortunæ sint Principum humanitas patet, *l. antepenul. C. de precibus Imp. offerendis, Felinus in rub. de rescript. colum. ult. versicul. demum nota quinque, Hostien. eod.* §. *quis possit.* imo injuriam facere dicuntur, si negant, quod æquitas vel consuetudo suadet, *l. 1.* §. *penul. ff. de aqua quotid. & æstiva. l. nec quicquam,* §. *penult. ff. de offic. proconf. l. sed si hæc, 10.* §. *penult. ff. de in jus vocan. capit. quando 2. quæst. 5. capit. domino sancto, in versicul. ergo ita est, dist. 50. capit. exigunt 1. quæst. 7. fac. l. omnes qui ubique 33.* §. *pen. in fi. C. de Episcopis & Clericis.* 25

Petere tamen * ista & supplicando impetrare (nisi sponte sua offerat superior) debemus; non jure vel actione extorquere possumus: ut docet Speculat. *in titul. de dispensat.* §. *genera autem, versicul. licet autem.* à petitione enim excluditur, qui non dubitavit invadere quod petere debuisset, *l. unica, Cod. de suffragio.* Nam sic & meliora de Ecclesia debetur Episcopatus, *capit. licet, 8. quæstion. 1. capit. 2. de offic. custod.* nec tamen eum petere ideo potest, *capit. sicut is 1. quæstion. 7.* Sicut & panis, quem avarus detinet, est egentium; illi tamen nullam habent actionem ad illum petendum: ut legitur in *cap. sicut hi, distinct. 47.* Neque * etiam idcirco omnia promiscue petere & postulare licitum putare debemus, *l. 1. C. vectigalia nova institui non posse.* Si enim uspiam, in privilegiorum petitione circumspectum cautumque esse oportet; nisi vel protinus repulsam pati, vel privilegium infirmum, quod aut ipso jure sit nullum, aut ad concedentis arbitrium adimi possit, impetrare animus tibi est. Non enim fiat aliquid, an male fiat, nihil refert, *l. quotiens, 6. ff. de his qui satisdare cog.* Et multa data * proprio motu vim ac stabilitatem habent, quæ ad postulationem concessa irrita fieri solent, ut monet Bartol. *in lib. 1.* 26 27 28

numer. 16. C. de petit. bonor. sublat. lib. 10. Quod in legibus generalibus non item esse videtur, *l. 3. C. de legibus.* Ita in Principe
29 semper * præsumitur justa causa. Abbas *in capit. cum venissent. de judic. Bald. in l. ex facto. not. 4. ff. de vulg. & pupill. substit. capit. licet in corrigendis, de offic. ordin. & in prælud. feud. colum. 14. & in l. omnes populi, colum. 16. ff. de Justit. & jure. Cyn. in l. rescriptis, C. de precib. Imp. offeren. & in l. ult. C. si contra jus vel util. publ. Joan. Andr. in capit. quæ in Ecclesiarum, de constitut. Lud. Roman. in*
30 *consil. 436. quod indultum colum. 4.* Id tamen * verum est tantum, cum Princeps aliquid generatim statuit, vel ubi facit aliquid speciatim motu proprio: ubi vero rescribit ad postulationem alterius, tunc illa præsumptio cessat; quia tali casu magis præsumitur Princeps ad importunitatem postulantis, quam propria voluntate concessisse; ut singul. notat Lud. Romanus, & late firmat Grammat. *decis. 65. numer. 31. & sequentib.*

31 Imo de jure * canonum preces Simoniam inducere videntur, *cap. per inquisitionem, ubi gloss. in versi. solicitasse de elect. & capit. sunt nonnulli. cap. ordinationes 1. quæst. 1.* Itaque consultis semper agit, qui ab illicitis abstinet petitionibus, *l. non idcirco C. de rescind. vendit.* & videat quisque, ut quod concedere licet, & ab eo cui concedere licet, impetrare conetur, *l. 1. C. de operibus publ. Clem. 1. de testibus.* Ad hæc modus quoque conveniens & via accedat oportet.

32 Propter * enim importunitatem petentium quandoque non concedenda largitur Princeps, quæ postea revocare solet, & potest: ut docet Joan. de Platea *in l. 1. C. de petit. bonor. subl. & fac. capit. execrabilis. de præb. & dignitat. in extravag.* Nam quod sine justa causa indultum est, iterum sine causa aufertur, *l. in fraudem 15. §. 1. ff. de testament. militar. l. ult. §. ait lex, ff. de divort. gloss. in l. penult. ff. de decretis ab ordine fac.* de quo plenius infra *lib. 3.*

33 De Papa * Sixto IV. scribit Platina, cum esset admodum liberalis, nec cuiquam quidquam negare sciret, plurimis easdem sæpe gratias rogantibus concessisse. Ea de causa, ut litium & discordia-

ſcordiarum cauſas tolleret, ſubſignandis libellis Joannem de Monte præfeciſſe, qui non rite conceſſa induceret. Sic de Alfonſo, æternæ illo memoriæ Aragoniæ Rege, Ant. Panormita ſcribit, eum Præſides provinciarum ac Judices præmonuiſſe, ne quod decretum aut reſcriptum ab ſe profectum ſervarent, niſi quod jure & honeſtate niteretur. Interdum enim aut importunitate poſtulantium, aut ignoratione rei fieri, ut quidpiam contra juris ſanctionem emanet &c. Idem Rex eodem auctore, dicenti cuidam, decere Regem, non ſolum quæ promiſiſſet, ſed etiam quæ capite annuiſſet, præſtare: Verum eſſe, reſpondit, ſed petenteis quoque æquum eſſe juſta & conſentanea poſtulare. Sunt enim quæ honeſte conceduntur, non tamen honeſte petuntur, ut ait gloſſa *in l. 2. §. ult. in ver. hæc non peti, ſed præſtari ſolere, ff. de orig. jur.* Ita C. Cæſarem propter quosdam ſordidos homines, qui Cæſaris beneficia vendebant, tabulam in qua nomina civitate Romana donatorum inciſa erant, revelli juſſiſſe, ſcribit Cicero *lib. 3. Epiſtola. fam. Ep. 36.* Et notum eſt Imperatoris R. dictum, qui multa, quæ præſtare non cogitabat promittendo, neminem ex colloquio Principis triſtem diſcedere debere ajebat. Has * fuiſſe cre- 34
diderim cauſas, ut in quibusdam Germaniæ locis conſuetudo induceretur de ſubſcriptione Præfectorum, quam tenentur facere ſupplicationibus Principi offerendis: ut notat Joan. Mynſing. *in ſingul. obſerv. cent. 5. obſ. 31. num. 5. & fac. l. ſi quis, 5. C. de aquæductu, lib. XI. Et Jo. Bod. de Repub. lib.* 3. c. 4. Quoniam, inquit, Principes ac Magiſtratus improborum hominum fallaciis circumventi, vix ac ne vix quidem evadere potuiſſent: prudenter cautum eſt, ut reſcripta Principum, niſi eodem ipſo anno, quo impetrata ſunt, Magiſtratui oblata fuerint, nullius momenti ſint futura, nec vim prius habitura, quam eorum executio Magiſtratuum auctoritatem ſequatur. De utroque * privilegiorum ge- 35
nere ita loquitur Imperator *in l. 1. C. de petit. bon. ſublat.* Quoniam plerunque ita in nonnullis cauſis inverecunda petentium inhiatione conſtringimur, ut etiam non concedenda tribuamus:

 nec

nec rescripto nostro quidem adversus formam latæ legis loci aliquid relinquatur. Si quid autem ex bonis talibus nostro judicio, nullo tamen poscente (nota differentiam) concedi cuiquam voluerimus: hujusmodi tantum valeat liberalitas.

CAPUT VI.

Regulæ aliquot privilegium impetraturo servandæ ponuntur.

EPITOMA.

1. *Quæ in rerum natura non sunt, petere supersedeas.*
2. *Nihil valet privilegium, quod pœnam remittit ante commissum delictum.*
3. *Quæ nondum sunt, certo tamen futura, privilegio dari possunt.*
4. *Persona quæ nondum est, & quæ non est amplius, an privilegium dari possit?*
5. *Collegio quod nondum est, non datur privilegium.*
6. *Sed legatum.*
7. *Supervacuum est petere quod jure communi competit.*
8. *Privilegium cum damno & injuria alterius ne petito.*
9. *Inprimis circa jus quæsitum.*
10. *Nisi vel parvum sit præjudicium, vel magna & sufficiens causa.*
11. *Contra jus vel utilitatem publicam ne quid petas.*
12. *Quid hic jus publicum?*
13. *Princeps nihil potest contra jus publicum statuere.*
14. *Monarchiæ seu Principatus definitio & natura.*
15. *Jus cudendi æris, jus canonis, monopolii nemo petere debet.*
16. *Ab oneribus patrimonii nullum privilegium eximit.*
17. *Quæ Fisci sunt, nemo petat.*
18. *Quæ contra pacem publicam aut Principis commoda sunt, concupiscere nolito.*
19. *Expresse peti prohibita nunquam petito.*
20. *Exempla rerum peti prohibitarum.*
21. *An idem in motu proprio?*

22. Am-

22. *Ambitio à petitione abesto.*
23. *Spe futuræ impunitatis nemo delinquat, & num. 28.*
24. *Saltus prohibitus.*
25. *Officium quod quis antea gessit, repetere prohibitum.*
26. *Legatio vel tutela affectata non habet privilegia.*
27. *Militiæ privilegia non dantur ambitioni aut cupiditati.*
29. *Qui facit æs alienum per fraudem, non liberatur.*
30. *Privilegia vi metuve non extorquenda.*
31. *Quod exemplo Eugenii & Paschalis Pp. illustratur.*
32. *Privilegium fraude vel mendacio impetrari non debet.*
33. *Falsitas quomodo committatur?*
34. *In rescriptis & privilegiis subintelligitur clausula ista, si preces veritate nitantur.*
35. *Gratiam delicti petens quid narrare debeat?*
36. *Levis aut innocuus error non imputatur.*
37. *Lite pendente impetratum privilegium nullum est.*
38. *Rescripta post sententiam definitivam non admittuntur.*
39. *Privilegia lite pendente impetrata, non omnino nulla esse.*
40. *In petitione privilegii veterum privilegiorum mentio fiat.*
41. *Ad impetrationem privilegii citatio requiritur eorum, quorum interest.*
42. *Quod negant alii.*
43. *Distinguunt alii.*
44. *Citationis materia alibi quærenda.*
45. *Circumstantia narranda.*
46. *Persona petens habilis esse debet.*
47. *Preces rationem habeant & æquitatem.*
48. *Maxime hic cautum esse oportet.*
49. *Stylus supplicandi non negligendus.*
50. *De privilegiis per obreptionem impetratis tractatio.*
51. *Subreptio in parte admissa an totum vitiet?*
52. *Unde descendant voces istæ?*
53. *An differant?*
54. *Per obreptionem elicita, sunt ipso jure nulla.*
55. *Pœna insuper impetrantem manent.*
56. *Quid in dubio?*

Atque

ATque ut tanto certius expeditiusque, quid circa hæc obſervare, quid cavere debeas, ubilibet & in ſpecie aſpicere poſſis, regulas etiam aliquas ſeu leges hujus impetrationis ſive adquiſitionis ad prædicta adjicere viſum eſt.

1 Itaque primum illud meminiſſe oportet, ut quæ in * rerum natura non ſunt, petere ſuperſedeas. Circa hæc enim privilegia non dantur, ut docet Joan. Andre. *in quæſt. Mercur. q. 65. n. 4.* & confirmant *l. quidam referunt, 14. §. 1. ff. de jure codicil. l. 1. ff. quæ ſenten. ſine appel. reſcind. l. item eorum, 6. §. ſi decuriones ibi, quia non poſſit videre de ea re, quæ adhuc in controverſia non ſit, decreto datam perſecutionem, ff. quod cujuscunque univerſit. nom. l. ſi ita, 7. ff. de auro arg. leg. c. ult. de reſcriptis, c. ad diſſolvendum, de deſponſat. impuberum.* Hoc argumento, privilegium conceſſum monaſterio, vel laicis etiam, ut accipiant decimas alicujus parochiæ, non extendi ad novalia, probat inter cætera Rebuffus *in tracta. de decimis, quæſt. 14. num. 29.*

Quod enim non eſt, conceſſum non videri; non autem
2 fuiſſe tempore privilegii dati novalia. Ita non * valet privilegium, quod pœnam ante remittit, quam delictum committitur, *Jacob. Butrig. & Salic. in l. caſtitati, 9. C. ad leg. Jul. de adult. Jaſon in l. ſi unus, 27. §. illud, num. 4. ff. de pactis, in leg. reſcripta, num. 8. C. de precibus. Imp. offerendis; allegante L. Schradero in tract. de feud.*
3 *par. 2. non princ. ſect. 11. num. 25.* Verum tamen * cum non raro, quæ non ſunt quidem, certo tamen futura ſunt, aut fieri frequenter ſolent, pro eo ac ſi jam præſentia eſſent, cenſeri conſueverint: ut *in l. penul. ubi Bart. ff. de teſtam. mil. l. penul. ff. de Statu hom. l. ad Remp. 8. ff. de muneribus, cap. Eccleſiæ, de immunit. Eccleſ. l. qui pœna 7. §. Divus, ff. de manumiſſ. gloſſ. in l. fructu, §. interdum, 15. in verbo reddet, ff. ſol. matrim. & in extrav. execrabilis, in ver. filiis, de præben. &c.* talia legibus, quoque & privilegiis comprehendi poſſe, omnino credo: & *fac. l. privilegia, 17. §. pen. l. ſancimus, 21. cum ll. ſeqq. in fine earum, C. de Sacroſ. Eccleſ.*

clef. cum. simil. Talia enim hypothecæ quoque dari possunt, *l. & quæ nondum, 15. ff. de pignoribus.* In quam sententiam etiam *An. Gaillius lib. 2. obs. 155.* promissionem ait sive expectativam super feudo, nondum domino aperto, licitam ac validam esse: idemque circa beneficia ac privilegia statuendum, dum in incertum promissio fiat, super prima videlicet præbenda vocatura, aut privilegio. Eadem * ratione de illa quoque quæstione statui posse 4
videtur, an pro persona aliqua vel causa, quæ nondum est, privilegium impetrari possit? Personæ enim & causæ, quæ non est, nec futura utique est, privilegium dari posse multum ambigo, per supra alleg. jura. Ita enim pro defuncto impetratum privilegium nullum est, *l. Neratius, 151. & ibid. gloss. ff. de regul. jur. cap. legatur, 24. q. 2.* Quamvis enim Principem defunctæ personæ privilegium dare posse, statuat Angelus *in l. jubemus, per illum tex. C. de præposit. sacri cubic. lib. XII.* verba tamen textus illius primum ambigua esse nonnihil ajo; per mortuos enim morienteis glossa & quidam alii intelligi posse ostendunt. Sed licet id omne de servis mortuis accipiamus, nihilominus privilegium illius legis non defunctis illis, sed Principi potius datum verba expressa demonstrant, quæ id privilegium Principalis esse proprium Majestatis enunciat. Non inficior equidem, circa defuncti alicujus res & acta, imo etiam personam, juris aliqua fictione, privilegia Principem introducere posse, ut *d. l. jubemus, & d. l. Neratius, cum similib.* ostendunt. Verum privilegia talia non ipsis proprie defunctis, sed aliis quorum interest magis indulgeri, res ipsa docet. Sic * & Collegio quod nondum est non dari privi- 5
legium, ajunt glossa *in cap. ult. ver. ad futuras trahunt, de rescript. cap. Abbati, §. nec pro eo, de sent. & re judic. in sex & Abbas, in c. ad audientiam, de Eccles. ædific.* Secus * tamen esse in legato, 6
Abbas ibid. ait: Ecclesiæ enim construendæ posse legari, aut hereditatem relinqui, ut posthumo. Qui etiam ibid. *ut & Bart. in l. servos ad custodiam, ff. de alimen. & cib. legat.* rationem reddit diversitatis, quod donatio, cum sit quidam contractus, personam

G requi-

requirat, cui obligatio seu res ipsa adquiratur, *l. absenti, ff. de donat. l. qui absenti, ff. de adquir. possess. c. si tibi absenti, de preben. in sex.* legatum vero non requirit præsentiam personæ, *l. cum pater, §. surdo, de legat. 2.*

7 Secundo, supervacuum esse * scito, illud à Principe petere, quod jure communi competit, *leg. si quis ingenua, §. 1. ff. de captivis, l. in causa, 16. ff. de minor. l. unica, ibi, superfluum est, hoc precibus postulare, quod jam lege permissum est, C. de thesauris, lib. 10. Bartol. in leg. 1. ff. ad municipalem.* Unde male, si accuratius accipiatur, loqui videtur *cap. futuram 12. q. 1.* cum Constantinum Imp. Primum ait licentiam dedisse, per universum orbem, sub suo degentibus imperio, fieri Christianis. Id enim non tam jure civili omnibus permissum, quam jussu atque mandato summi Principis atque Imperatoris nostri Dei, tum ipsi Constantino, tum omni generi humano injunctum fuit.

8 Tertium est, ne quod petis * in præjudicium, damnum, vel injuriam tertii cedat. Tale namque privilegium surreptivum creditur, & ea re pro irrito habetur, *l. quia, 10. ff. de jurejurando, l. nec avus, 4. ibi, nec in cujusquam injuriam beneficia tribuere, moris est nostri. Cod. de mancipat. leg. ult. Cod. de statuis & imagi. leg. 4. Cod. fin. regund. leg. si unus, 27. §. pacta, ff. de pactis, leg. hæc conditio, 66. ff. de condict. indebi. leg. 2. §. merito, 10. §. si quis à Principe, 16. ff. ne quid in loco publico, leg. 1. ff. de except. rei judicatæ, leg. 2. ibi, Principes non facile solent quenquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono, ff. de natal. restit. leg. Lucius Titius, 21. in fine, ff. de his qui not. infam. leg. servitutes, 14. §. ult. ff. de servitutibus, l. sed cum, 12. ff. ad Senatuscon. Trebell. tot. tit. C. res inter alios, act. aliis non nocere, l. ult. C. de his qui à non dom. man. l. si donationem, 5. C. de revocand. donat. l. mancipia, 5. C. de servis fugit gl. in l. de inoffic. 9. C. de inofficioso testamento, & in l. 3. C. unde vi.* Inprimis si judicium publicum sit, *l. non tantum, 2. C. qui militare poss lib. XII.* Unde plerunque talibus inseri clausula solet. Quod sine mea aut alterius fraude fiat. Jure enim naturæ æquum

æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, ut ait. *l. 207. ff. de reg. jur.* Princeps quippe, cum pater sit subditorum, non usque eo in alterius liberorum amorem effundi debet, ut alterum incommodo afficiat: ut sapienter ac pie privilegia in alienum præjudicium postulanti respondit Carolus V. Imper. Quomodo & Prusiæ Bithyniæ Regi, agrum quendam, à Gallis possessum, à Romanis petenti, respondenti iidem apud T. Livium *lib. 45. annal. in fine:* Ignoscere Prusiam debere, si ex nullius injuria quidquam ei datum vellet P. R. Ne quod detur quidem gratum esse donum posse, quod eum, qui det ubi vellet, ablaturum esse sciat. Nunquam igitur momentum facit, ne à summo quidem Principe concessum privilegium, quo jus alterius totum absorbetur, *l. quoties, 2. C. de precibus Imp. offer. l. quæcunque C. de fide & jure hastæ fiscalis, Lib. X. gloss. in l. orginarios, 11. in ver. Conveniamini, C. de Agricol. Lib. XI. & in l ratas, 7. in ver. eod. C. de rescind. vend.* Jus inprimis illud, quod jam * quæsitum 9
est, non demum quærendum; *l. sed cum, 13. ibi præsertim si novum beneficium, ff. ad Senat. Trebell. l. filiam, 9. ff. de Senator. l. ult. in fine, ff. de pact. Innoc. in c. fraternitatem. de donation. Felin. in cap. 1. num. 9. de rescriptis. Baldus in l. bonorum, C. qui admitti &c. Joh. de Platea in l. ult. C. de jure Reip. l. 2. C. de legibus, Hippol. de Marsil. singul. 194. And. Gail. lib. 2. obs. 142. num 15. Lud Schrader. in tract. feud. par. 2. non princip. sect. 11. numer. 23. part. 10. sect. 13. numer. 42.* Quod quidem etiam in privilegiis motu proprio datis præsumi, ajunt Felin. & Abbas in *cap. causam quæ de testibus.* Et docent istud confirmantque illa omnia, quibus Principem nemini jus remve suam adimere debere aut solere, infra lib. 3. cap. 5. copiose monstrabitur. Negligi tamen * & infirma- 10
ri jus tertii, cum de incommodo ejus parvo agitur, non de magno & multo minus de maximo, ait gloss. *in l. 2. §. si quis à Principe, 16. in verbo impetraverit, ff. ne quid in loco publ. & in l. servitutes, 14. in fine, ff. de servitut.* Veluti, creditor non potest à Principe impetrare, ut magnum solvendi spatium debitori eripiatur,

tur, exiguum poteſt, ſecundum gloſſ. *in d. l. quoties, C. de precib. Imp. offer. & in l. reſcripta, 7. in ver. non lædat alium, ib.* Quod ſi item magna interveniat cauſa, poteſt etiam contra magnum tertii commodum aliquid Princeps concedere, *l. niſi ex magna, 10. ff. de min.* Nam quod in dependentibus à Principe, etiam cum graviſſimo alterius præjudicio poſſe dari privilegium, ſi id omnino Princeps velle præſumatur, ait Abbas ſic *in c. ex tenore, de foro competenti.* id ego nunquam aliter admiſerim, niſi graviſſima cauſa, ut publica neceſſitate, vel ſimili, moveatur. De quo genere toto, quod ſcilicet cum cauſa, ſed juſta & gravi, jus ſuum alteri Princeps auferre poſſit, infra *lib. 3. c. 6. & 9. dicetur.* Quartum
11 * (quod aliquo modo ſub proximo continetur, inprimis tamen ad animum verti debet) eſt, ne quid contra jus & utilitatem publicam petas. Quod niſi caveris, vel repulſam pati, vel impetratis ſpoliari, certus eſto, *l. jubemus, 10. ibi, generaliter ſi quid hujusmodi contra jus vel utilitatem publicam proferatur, non valeat, C. de Sacroſ. Eccl. l. fin. C. ſi contra jus vel util. publ. l. 2. C. de annonæ frument. urbis Romæ, Lib. XI. l. 3. ibi, nec juri contraria poſtulare oportet, l. pen. C. de precib. Imp. offeren. l. unica, C. de Senatusconſ. l. deſiderium, 7. C. depoſiti, l. pen. C. de vectigal. l. qui in poteſtate, 6. ff. qui teſtam. fac. poſſunt. l. nullum, 13. C. de cohort. pr. Lib. XII. Felin. in c. cauſamque verſ. interpretatio privilegii, de reſcriptis, Dyn. in l. ſi ex toto, in pr. de legat. 1. Lud. Rom. conſil. 436. Quod indultum &c. col. 2.* Omnium enim rerum ac perſonarum, quæ privatam degunt vitam, in publicis functionib. æquam debere eſſe inſpectionem, ait *l. 6. C. de vectigal.* Unde quoties cum jure publico aliquis privilegiarius concurrit, hic ſuo tantiſper privilegio
12 privatur: ut *lib. 2. cap. 5. num. 74. docebitur.* Jus * autem hic intelligere debemus non civile (contra hoc enim utique privilegia incedunt) ſed publicum; illud nimirum, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat, jus ipſius Principis & Reip. non leges juris civilis, quam & ipſæ publicæ quidem ſunt & communes, ſed privato-
13 rum tantum cauſa latæ. Hæc * igitur jura Princeps, ſi quidem

Prin-

Princeps tam re quam nomine haberi, justumque imperium gerere velit, præ cæteris conservare, tueri, nec privilegiis aliquibus nec alia via labefactare debet. Salutem enim Reip. nulli magis convenit tueri quam Cæsari, *l. 3. in pr. ff. de offic. præfect. vigil.* & quod communiter omnibus prodest subjectorumque commoda, rei suæ privatæ Princeps præferre dicitur in *l. unica, in fin. ubi gl. C. de caduc. tollend.* Unde Adrianum Cæsarem in concione & senatu sæpe dixisse, ita se Remp. gesturum, ut sciret populi rem esse, non propriam, Spartianus in vita illius affirmat. Et contra publicam utilitatem etiamsi cœleste proferatur oraculum, annotatio, aut pragmatica sanctio, nullam excusationem admitti, ait *l. jubemus, 10. C. de Sacr. Eccl. & l. ult. C. si contra jus vel utilit. publ.* militemque ne ex sacro quidem rescripto procuratorem agere posse, utilitate sc. publica non permittente, ait *l. 7. C. de procurat.* Nec enim publico juri rescripta obsistere debent, *l. 5. C. de operibus publ.* imo nulla sunt, quæ publicæ utilitati contraria sunt rescripta, secundum gloss. *in l. fin. Cod. de fundis rei priva. lib. XI.* Itaque à comparatione specierum etiam Principis donum excusari, negat. *l. unica, Cod. ut nemini liceat in empt. &c.* Quæ omnia * confir- 14
mat vel unice ipsa Principatus seu Monarchiæ definitio, quæ hanc imperium esse dicit, ad commune bonum & subditorum commoda comparatum.

Quomodo & legibus duodecim tabularum cautum fuit, justa imperia esse debere, & ideo salutem populi supremam legem esse. Non est igitur, ut contra jus publicum privilegia à
Principe impetrare velis. Quo pertinet * jus cudendi æris, super 15
quo quisquis impetrare rescriptum conatur, non solum fructum petitiones amittere, sed pœnam quoque excipere debet, *l. ult. C. de falsa moneta.* Simile fuit jus Canonis urbis Romæ, *l. ult. C. de canon. fun. urb. Rom. lib. XI.* & jus monopolii, *l. unica, in princip. C. de monopoliis.*

Sic * ab oneribus, quæ possessionibus vel patrimoniis indi- 16
cuntur (rei enim & commodi publici negotium est, *leg. 2. C. de*

muner. patrim. lib. X.) nulla privilegia præstant vocationem nullæ ætatis aut scientiæ prærogativæ. *tex. not. in l. 1. C. de indictionibus, lib. X. l. obsistere, 10. C. de annonis, & trib. lib. eod. l. omnes fundi, 8. C. de fundis patrim. lib. XI. l. 2. C. de muner. patrim. l. ab his oneribus, 10. in princip. ff. de vocat. & excusat. munerum, Dd. communiter, auctore Gailio, lib. 2. obser. 52. num. 12.* Nulli igitur circa hæc immunitas indulgetur *l. vacuatis, 19. & ibi Bart. C. de decurion. lib. X. & l. 28. ibid.*

17 Sic * in bonis vacantibus solus succedit Fiscus, nec ulla contra obtendi privilegia possunt, *l. 1. C. de bon. vacant. lib* X. & *in l. 6. C. de vectigalibus.* Quidam privatorum, ait Imperator, elicitas suffragio proferunt sanctiones, quibus vectigalia vel cætera hujusmodi, quæ inferri fisco moris est, sibi asserant esse concessa. Si quis ergo privatorum hujusmodi rescriptione nitatur, causa eadem sit. Vectigalium enim non parva functio est; quæ debet ab omnibus, qui negotiationis seu transferendarum mercium habent

18 curam æqua ratione dependi. Sic * publicæ pacis violatores, nullis privilegiis à jurisdictione Cæsaris vel judicio Cameræ Imperialis eximuntur, ut constat ex constitutione Divorum, Maximiliani Primi & Caroli Quinti, Impp. *sub. tit.* Aufgebung aller Freyheiten / *& ordinat. par. 2. tit. 9. §. 2. de quo And. Gailius, lib. 1. de pace publica, c. 11. nu. 2.* Ita si privilegium aliquod cedat in gravissimum incommodum Principis, hoc revocari ad libitum concludit Iserni. *in c. imperial. in pr. col. 2. v. circa hoc videtur de prohib. feudi alien. per Federic.* Velut, si Princeps indulserit alicui Baroni aut vasallo suo, ut etiam in casu denegatæ vel retardatæ justitiæ non possit ab eo causa avocari, nec rescribi, ut justitiam administret tale privilegium, ut æquitati & juri publico maxime contrarium recte aboleri, concludit Gram. *consil. 24. num. 14. & sequentib.*

19 Quintum est quod caveri * velim, ne quid expresse petere prohibitum petas. Nam licet obtinueris, effectu carebit, & per obreptionem impetratum censebitur, *l. quicunque, 14. C. de Episcopis,*

ſcopis, l. fin. in fine, C. ſi nuptiæ ex reſcript. petan. imo ut legis violator ille punietur, *l. 1. C. de petitio. bonorum ſublat. cap. fin. ubi Dyn. de re jud. in ſex.* Ubi enim lex actu impetrandi prohibet, minime valet conceſſio, *Bartol. in d. l. quisquis C. de petit. bon. ſubl.*
Sic * igitur alienationem rei eccleſiaſticæ immobilis petere, vetat 20
auth. *de non alienandis aut permut. rebus Eccleſ. §. quia vero*, & bona fiſco delata poſcere prohibet, *l. 1. C. de petit. bo. ſubl.* Sic heredes ultra annum, ab Imperiali culmine, ultra novem menſes à judicibus, ad deliberandum petere non debent, *l. ult. §. & hæc quidem C. de jure deliberandi.* Et ſemel privilegio factus indignus, idem denuo impetrare nequit, *l. ſemel 6. C. de re militari, Lib. 12. gloſſ. in l. quod dicitur, 38. §. 1. ff. de teſtam. mil.* Quod ſi * ta- 21
men motu proprio talia conferat Princeps, aliud ſtatuendum putat Joan. de And. *in cap. cum ſit, col. 3. de judic.* dum tamen ſuperior ſciat, de ejus conditione, ut idem cenſet *in cap. quam pernicioſum, col. 6. de uſuris*, & ſequitur Felinus *in capit. cauſam quæ, colum. 5. not. 9. de teſtibus.* Quamvis contrarium decernere videatur *l. ult. Cod. de cohortalibus, Libr. XII.*

Sexto, ne ambitio * interveniat petioni curandum. Hæc 22
enim robur & firmitatem privilegiis derogat, *l. privilegia 12. §. 1. C. de ſacr. Eccl. l. ſcriniis, 7. in princ. C. de palatin. ſacr. larg. Libr. 12. l. ambitioſa 4. ff. de decret. ab ordine fac. l. 3. in prin. ff. de minor. l. quisquis, 16. C. ſi certum pet.* Honoris quippe augmentum non ambitione, ſed labore ad unumquenque devenire oportere, ajunt Imper. *in l. contra, 14. C. de re militari, Lib. XII.*

Hinc * ſi quis tempore lætitiæ publicæ aut ſolemnitatis ali- 23
cujus, cum impunitates & ſimilia privilegia vulgo dari ſolent, ſpe futuræ ob eam cauſam impunitatis delinquat, vana eſt impetratio privilegii, *Bart. in l. 1. in prin. ff. ſi is qui teſtam. lib. juſſus &c.*
Ita * beneficio frui prohibetur, qui per ſaltum ſuperiorem capta- 24
vit gradum, hoc eſt, qui ab inferioribus ad ſuperiora mediis omiſſis conſcendit, *l. penul. C. de advoc. diverſ. judicum.* Et * qui gra- 25
dum ſeu officium repetiit, quod antea geſſit, impetratis ſpoliatur,

26 tur, *l. unica, C. ad leg. Jul. de ambitu.* Sic tutela * affectata non inducit aliquam immunitatem, *l. 1. & 2. Cod. de his qui sponte muner. publ. sub. l. ex sententia ff. de testam. tut. l. uxori, §. 1. ff. de falsis*, & legationis privilegium non competit legationi affectatæ, *tex. in l. 4. & in l. sequent. ff. ex quibus causis maj. gloss. in l. 1. in*
27 *versicul. ad me. C. eod.* Sic * ad militiæ privilegia admittuntur, qui ea voto adipiscendi honoris crediderint expetenda, non qui studio exercendæ cupiditatis ambierint, ut velut in meliore fortuna positi, aut ea scelera, quæ postea commisisse doceantur, occultent, aut alia deinceps possint impune committere, *l. 7. C. de divers. officiis Lib. XII.*

28 Hinc * facta remissio omnium commissorum tempore belli, non prodest illis, qui sciebant remissionem futuram, secundum Baldum *in l. 1. §. hæc actio, ff. si quis testam. liber. esse jussus fuerit.*
29 Et qui facit magnum æs * alienum, ut postea liberetur cedendo bonis, non liberatur, si de hoc apparuerit, secundum Angel. *in l. si qui bonis, ff. de cess. bonorum.* Cujus generis exempla plura ha-
30 bes apud Felinum *capit. ult. de testibus.* Septimo, * ne vim aliquam metumve adhibeas, caveto, *l. 1. C. de fund. limit. Lib. XI.* Ut enim qui vi metuve compulsus quidpiam facit, in integrum restituitur, ita ille, qui vi aliqua, periculo vel minis compulsus privilegium indulsit, id præstare non solet. Imo à petitione excluditur, qui non dubitavit invadere, quod petere debuisset, *l. unica, in fine Cod. de suffragmentis.*

31 Quomodo * Eugenius Quartus Papa, cum ab ipso literas Apostolicas Florentini extorsissent, quibus declarabat Franciscum agri Piceni Marchionem & Dominum: accipiat, inquit, quod Petrus & Paulus ei male vertant: & in ejus vita Platina scribit. Eodem certe argumento atque prætextu Paschalis Papa, privilegium ac jus investituræ, (Henrico V. Imper. redditum adeoque sancte firmatum, ut hostia sacra fracta, partem sumens, partem adsistenti porrigens, subjiceret: Sicut pars hæc vivifici corporis divisa est, ita divisus sit à regno Christi Domini nostri, qui pactum hoc

hoc violare tentaverit) tanquam in castris Imperatoris vi sibi ac metu extortum, revocavit, & privilegium, non privilegium, appellans, nullum esse jussit: ut Urspergensis Abbas, Aventinus, Sigonius, & alii scriptores testantur,

Octavo, fraudem * omnem & mendacium abesse jubeo. 32
Privilegium enim per fraudem & falsas allegationes elicitum, ipso jure nullum est, *l. nullus, 2. in princ. Cod. de summa Trinit. l. 1. C. si tut. vel cur. crimin. fals. alleg, excus. sit l. penul. C. si contr. jus vel util. publ. fac. in primis cap. super literis, de rescript.* Veras igitur petitionis suæ causas vere impetraturus narret. Quod si causas falsas & mendaces allegare inveniatur, vel veræ quidem, sed fraudulenter causæ narrentur: quidquid per has impetratur, invalidum & inefficax habetur, argum. *l. 1. & l. 2. Cod. si ex fals. instrumen. &c. l. 1. ff. de natal. restit. And. Gailius libr. 2. observat. 1. numer. 18.* Falsitas * autem committitur, cum jus factumve per 33
mendacium narratur, aut veritas tacetur, *l. 2. Cod. si contra jus vel util. publ. capit. ex multiplici, de decimis, gloss. in capit. cum nostris, in versicul. non vacaret. de concessione præbendæ.* Itaque & jus & factum & omnis veritas impetraturo narranda. Omnia * enim 34
tam privilegia quam rescripta Principum illa cum expressa vel tacita cum appendice & conditione dantur, si preces veritate nitantur, *l. fi. C. divers. rescript. fac. l. si, ut proponis 5. C. de nuptiis, l. eam quam, 14. ibi, sequentes adversationem tuam, C. de fidei commiss. c. 2. cap. super literis, de rescript. Bart. in l. 2. numer. 2. Cod. si contra jus vel utilit. publ. & in l. à Divo Pio. in princ. ff. de re judic. Archidiac. in capitul. quia 17. quæstion. 4. Joan. Andr in capit. à nobis, 2. de sententia excommunicat. Hippol. de Marsil. singul. 153.*

Ita * gratiam petit, licet non teneatur de jure fateri se deliquisse, tamen debet exprimere, non solum delictum, pro quo illam petit, sed omnes qualitates ejus; aliter uti subreptitia nihil valet: secundum Jason. *in l. nec damnosa, Cod. de precibus Imper offeren. quem allegat & sequitur Angel. Boss. in Tit. de remed ex sola Clem. princip. numer. 33.* Levem * tamen errorem, non fraude 36

ſed per imprudentiam admiſſum, præjudicium non facturum crediderim *argument. l. 2. Cod. de errore advoc. & dict. capit. ſuper literis, de reſcript.* Quomodo etiam Felinus *in capit. poſtulaſti, colum. 3 verſicul. declara etiam. de reſcript. ſecundum Ægid. Bell. in deciſ. Rotæ 698.* negat omnia tacita, quorum expreſſio potuiſſet movere Principem ad denegandam gratiam, vitiare conceſſionem; ſed ea tantum, de quibus reperitur jure expreſſum, quod eis expresſis gratiam non conceſſiſſet, &c.

37 Nono, quod pendente * lite impetratum eſt, privilegium, nullum eſt, *l. ex illo, 13. C. de appellat. auth. in medio litis non fieri ſacr. formas tot. tit. Cod. ut lite pendent. vel poſt provocationem aut definitivam ſentent. nulli liceat Imperatori ſupplicare, cap. cauſam quæ de teſt. cap. 1. cap. ult. ut lite pendente &c. Bart. in l. adultero, 19. §. ſi eo tempore 2. ff. ad leg. Juliam de adulteriis. Felin. in capit. ſuper literis, colum. 9. de reſcript.* niſi faciat litis motæ mentionem, *cap. dudum de privileg. cap. cauſam de teſtibus;* aut motu proprio detur, *Bald. in l. ſi quis quendam, 11. ff. ſi quis cautionibus.*

Non enim alioquin veri ſimile eſt, Principem voluiſſe in præjudicium litis motæ contra jura ſua jam poſita privilegium concedere, quin de litis pendentia mentionem feciſſet: ut Abbas Siculus *in d. cap. ult. ut lite pendente nil innovetur*, ait. Quanquam nec motu proprio, nec cum mentione litis data privilegia, ſi præjudicium tertii inducant, valere debere, verius mihi videatur: ſecundum illa, quibus paulo ante, privilegia in damnum
38 tertii cedentia invalida eſſe & ſubreptitia monſtravi. Huc * pertinent *l. ult. C. ſententiam reſcindi non poſſe, & d. titul. C. ut lite pendent.* quæ reſcripta poſt ſententiam definitivam & judicialem, quam provocatio nulla ſuſpendit, impetrata, admittere vetant.
39 Illud obſervare * operæ precium eſt, quod Abbas *in capit. cauſam de teſtibus*, notat, privilegia talia non omnino nulla eſſe, ſed illius tantum litis, quæ tempore impetrationis pendebat, reſpectu, invalida haberi, alterius vero inſtantiæ tempore vim utique habere. Itaque etiam Specula. *in tit. de diſpenſation. §. qualiter autem*

tem & quando versic. sed videtur, privilegium, si nulli præjudicium afferat, lite pendente posse impetrari, ait. Quibus addenda *l. 1. C. qui militare poss. lib. 12.* eos qui litis causa militiam appetierint, postulantibus adversariis solvi sacramento solere affirmans.

Decimum * est quod observabis, ut in petitione novi privilegii, veterum (si quæ olim impetrasti) maxime quæ ejusdem sunt generis, facias mentionem, *cap. ex tenore. cap. cum adeo, ubi Felin. & alii, cap. postulasti, cap. si proponente, cap. ad aures, ubi Felinus, Abbas & Dd. cap. in nostra, ubi iterum Felinus & alii de rescriptis. juncto capitul. si motu proprio, & capitul. non potest. in princip. de præbend. in sex. Jacob. Menoch. de arbitr. jud. quæstio. lib. 2. casu 203. numer. 34. & sequenti.* Cujus generis est, quod (referente Felino *in d. capit. postulasti. colum. 4.*) notat Guil. de Cun. eum qui semel habuit gratiam de commisso homicidio, ac postea obtinuit alteram de secunda cæde, non fruiturum secunda gratia, *per tex. in l. 3. ubi & Bart. C. de Episcopali audien.* Propter quem dicit An. Siculus *in cap. super literis 34. col. de rescript.* Se vidisse quendam capite mulctari Bononiæ, non obstante gratia quam habuerat, postquam tacuisset de priore homicidio. His adde Hippolit. de Marsil. *singul. 111.* 40

Undecimum * est, ut privilegium impetretur præsentibus ac citatis his, quorum præjudicium agitur, *l. nam ita Divus, 39. ff. de adoption. l. in causa 13. ibi, præsentibus adversariis, vel si per contumaciam desint. l. etiam, 29. §. ult ff. de minoribus. Bart. in l. adoptio, 16. ff. de adoption l. de unoquoque, 47. ff. de re judic. l. in concedendo, 8. ff. de aqua & aquæ plu. arc.* Nam & illud caveri debet, ne quod aliis prius concessum est in ipsorum fraudem indulgeatur, *gloss. in l. ait Prætor, 7. §. sed quod Papinianus, in verbo substituto. ff de minoribus.* 41

Contrarium * vero, quod videlicet uti privilegium conceditur non sit de mero jure, ut aliquis citetur, statuit. Bal *in l. nam ita Divus, col. 1. ff. de adopt. arg. l. libertus ff. de in jus vocan. &c. eum qui, de præbend. in sex. Et idem in rubr. de rescript. in decretal.* Nam sicut solus Princeps legem condit, ita solus privilegia nemine 42

citato ferre videtur: ut idem arguit *in l. fin. quibus res judic. non obstat:* actum enim privilegiandi esse supremæ potestatis, quem alterius contradictio non impediat, ait *in l. fin. ad fin. versicul. extra opposit. C. de fructib. & lit. expendent.* Idem ajunt Innoc. *in cap. Albericus in fine de testib. Archid. in capit. contra morem, post princ. dist. 100. Butr. in c. debitores. col. ult. de jurejur. Immola. in c. cum dilecta, colum. ult. de confirmat. utili vel inut.*

43 Eadem tamen * tribus exceptionibus declarat Felinus *in capit. cum olim, colu. 6. de re judic.* Primo licet nemo sit vocandus, non tamen ideo alteri jus quæsitum tolli. Secundo evidens esse jubet quod Princeps uti voluerit potestatis plenitudine, cum statuit in præjudicium tertii non vocati. Denique si is cujus interest, sit præsens in curia, citandum, secundum gloss. & Doct. complures ibi allegatos. Hoc loco leges & ratio citandi obser-
44 vanda: quæ * ex aliis hauriri malo. De privilegiis enim in præsentia, non de citationibus, scribere propositum fuit. Quid si tam istam, quam alias passim occursantes materias explicare (ut quidem solent) vellemus? facile unius materiæ occasione totius juris interpretatione nos ipsos & alios onerari contingeret; quod quam non ineptum modo indoctumque, sed inutile quoque hoc loco ac supervacuum foret, quisque sanæ mentis judicabit. Sunt tamen, qui talia & solicite & copiose consectentur. Unde si quis τὰ πάρεργα & quæ non proposuerunt, detraxerit, in breves libellos ingentia eorum volumina redegerit. Sed ad rem: ne & ipse præter rem.

45 Duodecimo, præter * hæc omnia sunt petentis & ejus quod petitur circumstantiæ narrandæ, ea inprimis, quæ in diversum movendi Principem vim aliquam causamve habere videntur, *l. idem, 12. §. 1. ff. de excusation. gloss. in capitul. super literis, in verbo dedissemus, & ibid. Dd. de rescriptis. Julius Clarus, libr. 5. sententiar. §. final. quæstion. 59. numer 9.* Ubi narrat, sicarium quendam insignem, qui obtinuerat literas impunitatis à Principe, neque expresserat, quod tempore impetrationis erat carceribus detentus,

tentus, laqueo suspensum. Idem docet Joannes Mynsingerus *singul. observat. centur. 1. observatio. 31.* Quam regulam copiose & in omnes partes disputant Abbas, Felinus, & *Dd. in capitul. ad aures, de rescriptis.* Et quæ sint illa, quorum mentio ab impetraturo fieri debet, decem regulis comprehendit id Felinus, *in d. capit. super literis, col. 7. & sequent.* quas hactenus dictis tamen contineri puto.

Decimo tertio, quod in * privilegiis, quæ spontaneo motu 46
& ultronee Princeps confert, requiri supra dictum est, ut nimirum qui privilegio frui cupit, idoneus & iis conditionibus præditus inveniatur, quas natura & conditio privilegii unius cujusque requirit: ita multo magis in istis, quæ ad preces supplicantis dantur, eadem ratio diligentissime observanda est. Cum enim illa, quæ multo sunt firmiora, personæ defectum non tollant, ut ibidem ostensum: multo minus ista leviore fundamento innixa, tantum valebunt.

Rationem * item & æquitatem, desiderium, precesque pri- 47
vilegium petentis continere debent, si repulsam pati non vult, *l. 2. Cod. si adversus venditio, pignor. l. 2. Cod. de jurisdictio. om. judic. l. antiquitas, 14. ante fin. Cod. de usufruct. l. si constiterit, Cod. finium regund. l. unica. Cod. de prohibit. sequestr. pec. l. desiderium, 7. Cod. depositi.* Summa * maxime in horum impetratione circumspe- 48
ctum esse oportet, qui privilegio frui cupit: nec causæ quidquam relinquere quod revocandi liberalitatem suam occasionem concedendi dare possit.

Itaque * postremo stylum quoque, petitionibus seu suppli- 49
cationibus istiusmodi adhiberi consuetum, observare te non negligenter velim. In eo namque plus sæpe momenti est, quam in cæteris; sæpe una dictio omissa, adjecta, male posita, repulsam parit. Quapropter & isti non postrema cura adhibenda.

Hæc fere sunt quæ fugere, quæ sequi te, in privilegiorum impetratione instituenda velim. His enim * neglectis aut viola- 50
tis, per obreptionem seu subreptionem privilegium impetrasse

 haberis:

haberis : ut docet *l. unica, Cod. ad leg. Juliam de ambitu. l. si ut pro-*
ponis, 5. Cod. quomodo & quando jud. sentent. proferre debeat, l. final.
Cod. ne rei dominicæ, l. si quis, Cod. de aquæductu. Libr. XI. l. 2. Cod.
de Princip agent. &c. in rebus, Libr. XII. l. 1. C. si nuptiæ ex re-
51 *script petantur &c.* Surreptione * tamen in una parte commissa,
regulariter non vitiatur in aliis rescriptum; *capitul. si eo tempore,*
de rescript. Libr. VI. Abbas in capitul. sedes Apostolica, & in capitul.
cæterum, colum. 1. ibid. & in Clement. 1. versicul. 3. lect. de præbend.
& in capitul. ad dissolvendum, de dispensat. impuber. & in capitul.
ex literis in fin. de fide instrumentor. Immola in Clem. final 31. colum.
de rescript. Butri. in capitul. exhibita, in fine, de jud Qubus adde
Bartolum *in l. filius familias. §. sequens quæstio, ff. de falsis.* Et
universe de hac quæstione circa instrumenta, dicta testium, & si-
milia, an vitium partis perdat totum, vide Innocentium & alios
in capitul fraternitatis, de hæreticis. Regulam tamen illam quinque
modis limitat Felinus *in d. capitul sedes Apostolica, colum. 1.* Nam
primo si à negotio, circa quod fuit commissa surreptio, depen-
deant alia: tunc vitium illius partis ad cætera pertingere, colligit
Abbas *in dict. capitul.* Deinde regulam illam tantum in iis lo-
cum habere, quibus verum tacetur; quod si vero falsa narran-
do committatur subreptio, tunc in pœnam mentientis totum ca-
dere: ait idem *in dict. capitul. per illa verba; Mendax precator.*
Tertio corruit totum, si surreptio, quamvis in parte tantum ad-
missa, causa fuit totius obtinendi rescripti; secundum eund. ibid.
Quarto, ex dolo commissa surreptione totum vitiari idem docet.
Denique si rescriptum contineat repugnantiam manifestam in una
52 parte, totum infici censet Cardinal. *in consil. 137.* Vocabula * ista,
à verbis obripio & surripio descendere quidam æstimant; veluti
Jaco. Menochius *de arbitrar. jud. sent. libr. 2. casu 201. n. 14. &*
seq. ego à verbis obrepo & subrepo: argumento *l. unicæ ibi* ...
sacras literas irrepserit. C. ad. l. Ju. de ambitu. l. si quis obr...
C. de lege Cornel. de falsis, capit. nullus, dist. 55. ib...
subrepat.

Ita Cicero lib. 16. epistol. ad fam. de Gratipo: sæpe, inquit, nobis cœnantibus & inscientibus obrepit. Et Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 34. Si sciam ingratum esse, non dabo beneficium, ait. At obrepsit, at imposuit. Nulla hic culpa tribuentis est, quoniam tanquam grato dedi. Sed talia parvi referunt. Ut nec * illud tanti momenti est discrimen inter duo ista vocabula ha- 53
beatur, an nullum.

Non pauci differre ajunt: quos recenset Menochius *d. loco, numero 9.* Sed nihil interesse, tum illa argumenta, quæ ibidem *n. 10. & sequenti. affert.* Menoch. tum manifeste *l. 1. Cod. si nuptiæ ex rescripto pet.* evincit, indifferenter his vocibus utens. Illud scire refert, per * obreptionem, elicita tam privilegia quam 54
rescripta, non infirma, sed ipso jure nulla esse, ut patet *ex l. tres tutores, 55. in fine, ff. de administr. & peric. tutel. l. de his qui, 27. §. 1. C. de Episcop. audien. l. cum vero, 26. §. hoc Senatus consultum & ibid. gloss. ff. de fidei com. libert. l. sed si, 10. §. 2. ff. de in jus vocando, l. æternam, 8. Cod. de murilegulis Lib. X. l. 1. ff. de natal. restitut. l. si non cognitio. C. si contra jus vel utilit. publ. l. 1. Cod. si tutor vel cur. falsi alleg. excus. sit, l. non dubium, 5. Cod. de legibus cap. ex multiplici, de decimis cap. 1. de fide presbyt. in sex. capit. non potest, de prebend. ibid. ut & Innocent. Joan. Andr. Felino, & communiter omnibus Dd. in capit. ad audientiam, de rescript. & alibi.* Imo qui * tali via impetravit privilegium, pœnæ plerunque (le- 55
vius tamen, aut gravius, pro ratione delicti, *l. penult. 5. C. si contra jus vel util publ.*) *subjicitur, l. 1. C. si nupt. ex rescript. pet. l. nullus ex his, 2. C. de divers. offic. l. unica, C. de Senatusconf. l. ult. C. de falsa moneta &c.* De quibus vi[illegible] [illegible]uper Jac. Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2. casu 314.*

Et de impetr[illegible] seu a[illegible] e priv[illegible] n *hactenus.*
In d[illegible] aur[illegible] a a[illegible] oner[illegible] *io motu,* 56
c[illegible] pri[illegible] cre[illegible] vi[illegible] *1. num.*
[illegible] *bon. subl.*
[illegible] *X.* [illegible] *mer*[illegible] *lib,*

lib. eod. & accuratius in auth. de Ecclesiasticis tit. §. pro temporalib. & Felin. in c. causam quæ, col. antepen. not. 11. de testibus.

CAPUT VII.

Quæstiones, an quis sibi ipse dare privilegium possit, & unde sua privilegia Princeps habeat? disceptantur.

EPITOMA.

1. *Quod nemo sibi dare privilegium possit, multis argumentis probatur.*
2. *Nec impetrare sibi, nec se prohibere quisquam potest.*
3. *Nemo sibi jus dicere vel suis potest.*
4. *Substantiale judicii est, ut adsint tres personæ.*
5. *Non potest quis secum ludere ad calculos.*
6. *Testimonii domestici fides improbatur.*
7. *Heredi à semetipso dari legatum nequit.*
8. *Nulli res sua servit.*
9. *Nemo sibi ipsi beneficium aut liberalitatem conferre potest.*
10. *Patronus non potest præsentare seipsum.*
11. *Prætor non potest seipsum dare tutorem.*
12. *Nemo se ipsum eligere potest.*
13. *App. Claudius Rom. pessimo exemplo seipsum creavit Decemvirum.*
14. *Tutor in rem suam auctor fieri nequit.*
15. *In privilegiis plures semper personæ requiruntur.*
16. *Nemo sibi ipsi dare vel donare potest.*
17. *Verbum dare non habet nisi inter duos locum.*
18. *Quæ privilegia motu proprio data dicantur.*
19. *Quæ ad postulationem?*
20. *Neutro modo quis sibi ipsi dare privilegia potest.*
21. *Argumenta quædam, quod Principes sibi ipsi dederint privilegia, afferuntur.*

22. *Ju-*

22. Judex aliquando judicare potest in causa propria.
23. Qui superiorem non agnoscunt in causa propria, judicare posse creduntur.
24. Maxime Princeps rei Romanæ.
25. Hæc exemplo illustrantur populi R. & Johannis XXII. P. R.
26. De honestate Princeps in causa propria non debet judicare.
27. Non si judicare Princeps in causa propria potest, ideo privilegium sibi dare posse sequitur.
28. Unde Princeps sua habeat privilegia?
29. Quod non acceperit à seipso.
30. Quod Princeps à populo potestatem omnem, & ita privilegia quoqué initio acceperit.
31. Princeps legibus solutus.
32. Principes potestate & privilegiis à populo datis modeste uti solent.
33. Quare Princeps sibi ipse privilegio dare videatur?

ANtequam ad ulteriora progrediamur, utilem & * necessariam disputationem, an sibi quis ipsi privilegia dare possit, hoc maxime loco proponere visum est. Breviter, non posse id quenquam, argumento est primo; quia * nec imperare sibi nec se prohibere quisquam potest, *l. penul. ff. de arbitris, l. nemo, 61. ff. de pact. ille à quo, 13. §. pen. ff. ad Senatusconf. Trebell.* Hinc enim neque legem sibi quis imponere potest, ut colligit ibid. Baldus, & Joh. *de Platea. Instit. de adempt. leg. n. 1.* & eo multo minus privilegium. 1 2

Idem confirmat, quod nemo * sibi jus dicere vel suis potest, 3 *leg. qui jurisdictioni, ubi Bart. ff. de jurisdict. l. observandum, 47. ff. de judic. l. Senatusconsulto, & ibi Bart. l. præses, 5. ff. de offic. præsid. l. ult. ff. de offic. præ. l. pen. ff. de arbitr. l. unica, C. ne quis in sua causa &c.* adeo id quidem, ut licet in civitate nullus sit rector, non * posse tamen 3 aliquem sibi jus dicere propria auctoritate, dicat Baldus *in l. 2. §. post origin. ff. de orig. juris;* & jus suum amittat, qui sibi ipsi jus reddere conatur, *l. extat, 13. ff. quod metus causa.* Est enim * substantiale judicii, ut adsint tres personæ, *cap. forus, de verb. signific.* 4

Unde nemo poteſt ſimul judex eſſe, & pars, *l. quisquis, 6. C. de poſtul.* & ſi ipſe Prætor inſtitutus ſuſpectam dicit hæreditatem, ipſe ſe cogere non poterit, quia triplici officio fungi non poteſt, ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis, *l. ille, 13. §. pen. ff. ad*
5 *Trebell.* Quomodo * etiam unum non poſſe ſecum ludere ad calculos, quia non reperiretur, quis eſſet victor, vel victus, ait Bartolus *in l. licet, 42. §. ult. num. ult. ff. de procurat.*

6 Sic * teſtimonii domeſtici fides improbatur, *leg. 3. leg. parentes, 6. leg. omnibus, leg. nullus, Cod. de teſtibus.* Nam ut Cyprianus ait lib. *4. epiſt. 9. ad Pupian.* Quisque ſibi favet: nemo contra ſe mala dicit, Chriſtus non voluit ſibi in propria cauſa credi, Joh. 5, 31. Si ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum non
7 eſt idoneum, inquit. Ita * hæredi à ſemetipſo dari legatum poſ-
8 ſe, negat *l. legatum, §. hæredi, de legat. 2.* & * nulli rem ſuam ſervire, *l.* ait, *leg. in re, 26. ff. de ſervit. urban. prædi. l. quicquid ven-*
9 *ditor, 10. ff. communia prædiorum.* Habentem * jus conferendi beneficium, non poſſe ſibi illud ipſi conferre, ait Abbas *in c. cum ad noſtram, de inſtit.* diſtinctionem quippe eſſe debere inter agentem & patientem: & eo habentem facultatem diſtribuendi certam quantitatem pecuniæ, non poſſe ſibi ipſi diſtribuere: patro-
10 num * etiam non poſſe præſentare ſeipſum, *cap. pervenit, de jure*
11 *patron.* Quomodo * nec prætor ſeipſum dare tutorem poteſt, *l.*
12 *4. ff. de tut. & curat. datis ab his &c.* Cui * affine eſt, quod quis non poteſt eligere ſeipſum, ut notat Baldus *in l. ſi mandavero, 22. §. ſi tibi centum, 7. per illum tex. ff. mand. de quo in c. cum in jure, de elect. & fac. l. plane, ff. quod cujusque, &c.*

13 Exemplo * ſit App. Claudius Decemvir Rom. qui cum ei comitiorum habendorum injunctum munus fuiſſet, novo & peſſimo exemplo ſeipſum creavit; quod haud ſecus factum improbabant boni, quam nemo facere augurum crediderant: ut T. Livius ait. Adde, quod neque * tutor in rem ſuam auctor fieri poteſt, *l. 1. in*
14 *pr. l. pupillus, l. quod dicimus, in princ. ff. de auctor. tut.*
15 Quæ * eo fiunt omnia, quia in his ſemper plures perſonæ neces-

necessario requiruntur. Id quod in privilegiis quoque fieri debere, res ipsa docet. Dari enim privilegia, concedi, indulgeri, dicuntur. Non * igitur magis sibi ipsi quis dare privilegium pot- 16
est, quam donare, vendere, locare, commodare. Quæ omnia absurde dici, vel hoc uno verbo intelliges, Qui dat, qui donat, is in potestate habuit sua, quod dedit vel donavit. Rursus cui datur aliquid vel donatur, is in potestate illud antea non habuit. Si igitur aliquem sibi ipsi quid dare dixeris vel donare, sequitur, eandem rem eundem habuisse, & non habuisse. Ita si privilegium Principem sibi ipsi dare dixeris, protinus illud sequetur, quod dedit habuisse, quod accepit non habuisse; atque ita idem privilegium eundem habuisse, & non habuisse. Verbum * igitur hoc 17
Dare, non habet nisi inter duos locum. Itaque alius dare debet, alius accipere privilegium. Non dat autem, nec recipit, qui aliquid in dexteram manum è sinistra transfert. Nam, ut Seneca ait *de benef. lib. 7. c. 9.* quemadmodum vendere, sic dare aliquid, à se dimittere est, & id quod tenueris, alteri habendum tradere. Non potest igitur sine absurditate quidquam hujus generis dici. Quomodo leges quoque, quæ in privilegiis dandis accipiendisque in usu eorum, & effectu, & similib. observandæ sunt, hoc casu nullum habere locum possunt. Rem uno exemplo notasse sufficerit. Dantur privilegia omnia, vel proprio * Principis mo- 18
tu, vel ad postulationem alterius, ut supra dictum est. Motu proprio * dantur privilegia illa, quæ ultronea liberalitate Princeps, non petenti, nec cogitanti, certe nihil hujus supplicatione motus largitur, *gloss. & Bart. in auth. quas actiones, C de S. Ecclesiis, Bart. in l. 1. in fine, C. de bon. vocant. Lib. X. l. pen. C. de officio Rect. provin. l. imperialis, 23. §. similes, C. de nupt.*

Ad * postulationem dantur illa, quæ petentis supplicatione 19
motus dedit Princeps. Illo modo dantis, hoc accipientis, voluntas & affectio procedere debent. Utro * horum modorum pri- 20
vilegia Principem sibi dare dicemus? Motu proprio sibi dedisse fabimur illum, qui hoc maxime voluit accipere, qui ut daret sibi

 ipsi

ipsi persuasit auctorque fuit? Non accepit autem motu proprio dantis privilegium, qui dantem ad hoc induxit. Ad postulationem vero dedisse illum, multo minus dicere licebit. Quis enim à seipso aliquid postulare solet? aut quomodo postulantis voluntatem prævenisse dantem dicemus? Nec enim potest idem eodem tempore eandem rem cupiisse & noluisse, aut certe non cogitasse. Non possunt ista omnia, nisi maxime improprie & per abusum dici. Nos autem hoc loco quid vere de his & proprie statuendum censendumque, investigamus.

21 Sane quidem * non paucas juris civilis leges atque exempla passim habemus, quæ Principes sibi ipsis privilegia quædam dedisse ostendere videantur. Veluti, *l. cum multa, 7. C. de bonis quæ liberis, l. bene à Zenon. C. de quadrienni præscript. l. sancimus omnem, 34. in princ. ff. de donat. auth. ut non fiant pignorat. &c.* §. *ult. l. pen. C. de donatio. inter virum & uxorem, & similes.* Ità Antiochensium civitas lege sua privilegium in bonis defuncti debitoris accepisse dicitur, *l. antepen. ff. de privil. credit.* Et unde tot ac tanta, quæ passim in jure descripta extant, privilegia Principes habent, nisi à seipsis acceperunt? Princeps enim majorem aut superiorem habet neminem, *fac. l. quod Principi, ff. de constit. princ. l. pen. C. de bonis, quæ lib. l. ult. C. de legib.* In apertis igitur non est opus conjectura: & cum privilegia Principes sibi dedisse & dare videamus, an fieri possit, quod factum cernimus, non quærendum videtur.

22 Nam * & quod supra est dictum, non posse aliquem in propria causa judicem esse, non omnino nec penitus verum esse constat. Judicem quippe in facto notorio, & in his quæ dignitatem illius attingunt, judicare posse de injuria sibi illata, ajunt Bald. & Dd. *in d. l. unica, C. ne quis in sua causa jud. argum. l. ea quidem, 7. C. de accusat. l. nullum, 14. C. de testibus, cap. ex parte, in Christo. de verborum signific. c. si quis erga, 2. q. 7.* Idem ait Oldradus *in consil. quadam maledicta, 7. argum. l. 1. in princip. ff. de postul. l. si familia, 7. in princ. ff. de jurisd.* Ita Prætoris esse, æstimare, an sua sit jurisdictio, ait *l. 5. ff. de judic.* Et multa hujus generis exempla & casus

casus habes apud Baldum *in l. si consul, ff. de adoption.* Sed & * universe, de his judicibus qui superiorem non agnoscunt, posse eos judicare in propria causa, asserunt communiter Barto. *in l. est receptum, 14. ff. de jurisd. & in l. si alius, §. bellissime, ff. quod vi aut clam. Angel. in d. l. unica, C. ne quis in sua causa, Bald. in l. 2. ad fin. C. de sentent. quæ sine certa quantit. & in cap. 1. tit. de investit. in mar. facta, & in l. ult. ff. de rerum divis. Alexand. & Jason in l. qui jurisdictioni, ff. de jurisdictione, Felinus & alii in c. cum venissent, de judic. Natta consil. 482. num. 43. volum. 3.* Quod inprimis * de Principe summo affirmant, *l. & hoc Tyberius, ff. de hæred. instit. l. proxime, ff. de his quæ in test. dele. §. ult. instit. de vulg. substitut. Innocent. Hostiens. Joan. And. in c. ex parte, de verb. signific. Dd. in d. l. unica, C. ne quis in causa propria, Baldus in l. rescripta, C. de precibus Imp. offeren. Ægid. Boss. in tit. de foro competen. num. 170. & seqq. Jo. Corasius in sacerdotiorum paraphrasi, par. 1. cap. 8. num. 7.* Idque olim * exemplo statuit Populus Romanus, qui ab Aricinis & Ardeatibus judex factus de agro inter illos ambiguo, à P. Scaptio edoctus, agrum illum finium Coriolanorum fuisse, captisque Coriolis jure belli publicum populi R. factum, suum esse agrum illum judicavit, ut T. Livius lib. 3. Annal. describit. Quo pertinet exemplum Johannis XXII. Pont. Rom. qui, permisso sibi post mortem antecessoris arbitrio eligendi Pontificis, seipsum nominavit. Quod referens Joha. Nauclerus in historicis *volum. 2. generat. 44.* quamvis, inquit, in aliis electionibus quis seipsum eligere non valeat, tamen in electione Papæ non prohibetur, cum sibi committitur electio. Ex quibus & similibus, non adeo absurdum esse, aut insolens apparet, si Princeps privilegium sibi dare posse dicatur, qui alioquin in causa propria judicare posse invenitur. 23 24 25

Verum enimvero * utcunque hoc sit (nec enim de eo hic disputandi locus est) illud tamen, iisdem auctoribus assentientibus, non est nisi de rigore juris accipiendum; de honestate enim alteri causam delegandam, C. Tapta *in rubr. tit. Dig. de constit.* 26

citato ferre videtur: ut idem arguit *in l. fin. quibus res judic. non obstat:* actum enim privilegiandi esse supremæ potestatis, quem alteriut contradictio non impediat, ait *in l. fin. ad fin. versicul. extra opposit. C. de fructib. & lit. expendent.* Idem ajunt Innoc. *in cap. Albericus in fine de testib. Archid. in capit. contra morem, post princ. dist. 100. Butr. in c. debitores. col. ult. de jurejur. Immola. in c. cum dilecta, colum. ult. de confirmat. utili vel inut.*

43 Eadem tamen * tribus exceptionibus declarat Felinus *in capit. cum olim, colu. 6. de re judic.* Primo licet nemo sit vocandus, non tamen ideo alteri jus quæsitum tolli. Secundo evidens esse jubet quod Princeps uti voluerit potestatis plenitudine, cum statuit in præjudicium tertii non vocati. Denique si is cujus interest, sit præsens in curia, citandum, secundum gloss. & Doct. complures ibi allegatos. Hoc loco leges & ratio citandi obser-
44 vanda: quæ * ex aliis hauriri malo. De privilegiis enim in præsentia, non de citationibus, scribere propositum fuit. Quid si tam istam, quam alias passim occursantes materias explicare (ut quidem solent) vellemus? facile unius materiæ occasione totius juris interpretatione nos ipsos & alios onerari contingeret; quod quam non ineptum modo indoctumque, sed inutile quoque hoc loco ac supervacuum foret, quisque sanæ mentis judicabit. Sunt tamen, qui talia & solicite & copiose consectentur. Unde si quis τὰ πάρεργα & quæ non proposuerunt, detraxerit, in breves libellos ingentia eorum volumina redegerit. Sed ad rem: ne & ipse præter rem.

45 Duodecimo, præter * hæc omnia sunt petentis & ejus quod petitur circumstantiæ narrandæ, ea inprimis, quæ in diversum movendi Principem vim aliquam causamve habere videntur, *l. idem, 12. §. 1. ff. de excusation. gloss. in capitul. super literis, in verbo dedissemus, & ibid. Dd. de rescriptis. Julius Clarus, libr. 5. sententiar. §. final. quæstion. 59. numer 9.* Ubi narrat, sicarium quendam insignem, qui obtinuerat literas impunitatis à Principe, neque expresserat, quod tempore impetrationis erat carceribus detentus,

:entus, laqueo suspensum. Idem docet Joannes Mynsingerus *ingul. observat. centur. 1. observatio. 31.* Quam regulam copiose k in omnes partes disputant Abbas, Felinus, & *Dd. in capitul. ad ures, de rescriptio.* Et quæ sint illa, quorum mentio ab imperaturo fieri debet, decem regulis comprehendit id Felinus, *in d. apit. super literis, col. 7. & sequent.* quas hactenus dictis tamen :ontineri puto.

Decimo tertio, quod in * privilegiis, quæ spontaneo motu 46
k ultronee Princeps confert, requiri supra dictum est, ut nimium qui privilegio frui cupit, idoneus & iis conditionibus prædius inveniatur, quas natura & conditio privilegii unius cujusque equirit: ita multo magis in istis, quæ ad preces supplicantis danur, eadem ratio diligentissime observanda est. Cum enim illa, |uæ multo sunt firmiora, personæ defectum non tollant, ut ibilem ostensum: multo minus ista leviore fundamento innixa, tanum valebunt.

Rationem * item & æquitatem, desiderium, precesque pri- 47
ilegium petentis continere debent, si repulsam pati non vult, *l. . Cod. si adversus venditio, pignor. l. 2. Cod. de jurisdictio. om. judic. antiquitas, 14. ante fin. Cod. de usufruct. l. si constiterit, Cod. finium egund. l. unica. Cod. de prohibit. sequestr. pec. l. desiderium, 7. Cod. epositi.* Summa * maxime in horum impetratione circumspe- 48
tum esse oportet, qui privilegio frui cupit: nec causæ quidquam elinquere quod revocandi liberalitatem suam occasionem concecendi dare possit.

Itaque * postremo stylum quoque, petitionibus seu suppli- 49
ationibus istiusmodi adhiberi consuetum, observare te non ne;ligenter velim. In eo namque plus sæpe momenti est, quam in aeteris; sæpe una dictio omissa, adjecta, male posita, repulsam arit. Quapropter & isti non postrema cura adhibenda.

Hæc fere sunt quæ fugere, quæ sequi te, in privilegiorum npetratione instituenda velim. His enim * neglectis aut viola- 50
s, per obreptionem seu subreptionem privilegium impetrasse

 haberis:

haberis: ut docet *l. unica, Cod. ad leg. Juliam de ambitu. l. si ut proponis, 5. Cod. quomodo & quando jud. sentent. proferre debeat, l. final. Cod. ne rei dominicæ, l. si quis, Cod. de aquæductu. Libr. XI. l. 2. Cod. de Princip agent. &c. in rebus, Libr. XII. l. 1. C. si nuptiæ ex re-*
51 *script petantur &c.* Surreptione * tamen in una parte commissa, regulariter non vitiatur in aliis rescriptum; *capitul. si eo tempore, de rescript. Libr. VI. Abbas in capitul. sedes Apostolica, & in capitul. cæterum, colum. 1. ibid. & in Clement. 1. versicul. 3. lect. de præbend. & in capitul. ad dissolvendum, de dispensat. impuber. & in capitul. ex literis in fin. de fide instrumentor. Immola in Clem. final 31. colum. de rescript. Butri. in capitul. exhibita, in fine, de jud.* Qubus adde Bartolum *in l. filius familias. §. sequens quæstio, ff. de falsis.* Et universe de hac quæstione circa instrumenta, dicta testium, & similia, an vitium partis perdat totum, vide Innocentium & alios *in capitul fraternitatis, de hæreticis.* Regulam tamen illam quinque modis limitat Felinus *in d. capitul. sedes Apostolica, colum. 1.* Nam primo si à negotio, circa quod fuit commissa surreptio, dependeant alia: tunc vitium illius partis ad cætera pertingere, colligit Abbas *in dict. capitul.* Deinde regulam illam tantum in iis locum habere, quibus verum tacetur; quod si vero falsa narrando committatur subreptio, tunc in pœnam mentientis totum cadere: ait idem *in dict. capitul. per illa verba; Mendax precator.* Tertio corruit totum, si surreptio, quamvis in parte tantum admissa, causa fuit totius obtinendi rescripti; secundum eund. ibid. Quarto, ex dolo commissa surreptione totum vitiari idem docet. Denique si rescriptum contineat repugnantiam manifestam in una
52 parte, totum infici censet Cardinal. *in consil. 137.* Vocabula * ista, à verbis obripio & surripio descendere quidam æstimant; veluti Jaco. Menochius *de arbitrar. jud. sent. libr. 2. casu 201. n. 14. & seq.* ego à verbis obrepo & subrepo: argumento *l. unicæ ibi, per sacras literas irrepserit. C. ad. l. Ju. de ambitu. l. si quis obrepserit, 29. C. de lege Cornel. de falsis, capit. nullus, dist. 55. ibi, suggestio iniqua subrepat.*

Ita

Ita Cicero lib. 16. epistol. ad fam. de Gratipo: sæpe, inquit, nobis cœnantibus & inscientibus obrepit. Et Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 34. Si sciam ingratum esse, non dabo beneficium, ait. At obrepsit, at imposuit. Nulla hic culpa tribuentis est, quoniam tanquam grato dedi. Sed talia parvi referunt. Ut nec illud tanti momenti est discrimen inter duo ista vocabula ha- 53
beatur, an nullum.

Non pauci differre ajunt: quos recenset Menochius *d. loco, numero 9.* Sed nihil interesse, tum illa argumenta, quæ ibidem *n. 10. & sequenti. affert.* Menoch. tum manifeste *l. 1. Cod. si nuptiæ ex rescripto pet.* evincit, indifferenter his vocibus utens. Illud scire refert, per * obreptionem, elicita tam privilegia quam 54
rescripta, non infirma, sed ipso jure nulla esse, ut patet *ex l. tres tutores, 55. in fine, ff. de administr. & peric. tutel. l. de his qui, 27. §. 1. C. de Episcop. audien. l. cum vero, 26. §. hoc Senatus consultum & ibid. gloss. ff. de fidei com. libert. l. sed si, 10. §. 2. ff. de in jus vocando, l. æternam, 8. Cod. de murilegulis Lib. X. l. 1. ff. de natal. restitut. l. si non cognitio. C. si contra jus vel utilit. publ. l. 1. Cod. si tutor vel cur. falsi alleg. excus. sit, l. non dubium, 5. Cod. de legibus ap. ex multiplici, de decimis cap. 1. de fide presbyt. in sex. capit. non potest, de præbend. ibid. ut & Innocent. Joan. Andr. Felino, & communiter omnibus Dd. in capit. ad audientiam, de rescript. & alibi.* Immo qui * tali via impetravit privilegium, pœnæ plerunque (le- 55
vius tamen, aut gravius, pro ratione delicti, *l. penult. 5. C. si contra jus vel util publ.*) *subjicitur, l. 1. C. si nupt. ex rescript. pet. l. nullus ex his, 2. C. de divers. offic. l. unica, C. de Senatusconf. l. ult. C. de falsa moneta &c.* De quibus vide insuper Jac. Menoch. *de arbitr. judic. lib. 2. casu 314.*

Et de impetratione seu adquisitione privilegiorum hactenus. In dubio * autem utrum ad postulationem, an proprio motu, 56
concessum privilegium credendum sit? vide Bartol. *in l. 1. num. 1. C. de bon. vac. Lib. X. & in l. 1. numer. 10. C. de petit. bon. subl. lib.*

lib. eod. & accuratius in auth. de Ecclesiasticis tit. §. pro temporalib, & Felin. in c. causam quæ, col. antepen. not. 11. de testibus.

CAPUT VII.

Quæstiones, an quis sibi ipse dare privilegium possit, & unde sua privilegia Princeps habeat? disceptantur.

EPITOMA.

1. *Quod nemo sibi dare privilegium possit, multis argumentis probatur.*
2. *Nec impetrare sibi, nec se prohibere quisquam potest.*
3. *Nemo sibi jus dicere vel suis potest.*
4. *Substantiale judicii est, ut adsint tres personæ.*
5. *Non potest quis secum ludere ad calculos.*
6. *Testimonii domestici fides improbatur.*
7. *Hæredi à semetipso dari legatum nequit.*
8. *Nulli res sua servit.*
9. *Nemo sibi ipsi beneficium aut liberalitatem conferre potest.*
10. *Patronus non potest præsentare seipsum.*
11. *Prætor non potest seipsum dare tutorem.*
12. *Nemo se ipsum eligere potest.*
13. *App. Claudius Rom. pessimo exemplo seipsum creavit Decemvirum.*
14. *Tutor in rem suam auctor fieri nequit.*
15. *In privilegiis plures semper personæ requiruntur.*
16. *Nemo sibi ipsi dare vel donare potest.*
17. *Verbum dare non habet nisi inter duos locum.*
18. *Quæ privilegia motu proprio data dicantur.*
19. *Quæ ad postulationem?*
20. *Neutro modo quis sibi ipsi dare privilegia potest.*
21. *Argumenta quædam, quod Principes sibi ipsi dederint privilegia, afferuntur.*

22. Ju-

12. *Judex aliquando judicare potest in causa propria.*
13. *Qui superiorem non agnoscunt in causa propria, judicare posse creduntur.*
14. *Maxime Princeps rei Romanæ.*
15. *Hac exemplo illustrantur populi R. & Johannis XXII. P. R.*
16. *De honestate Princeps in causa propria non debet judicare.*
17. *Non si judicare Princeps in causa propria potest, ideo privilegium sibi dare posse sequitur.*
18. *Unde Princeps sua habeat privilegia?*
19. *Quod non acceperit à seipso.*
20. *Quod Princeps à populo potestatem omnem, & ita privilegia quoqué initio acceperit.*
21. *Princeps legibus solutus.*
22. *Principes potestate & privilegiis à populo datis modeste uti solent.*
23. *Quare Princeps sibi ipse privilegio dare videatur?*

ANtequam ad ulteriora progrediamur, utilem & * necessariam disputationem, an sibi quis ipsi privilegia dare possit, hoc maxime loco proponere visum est. Breviter, non posse id quenquam, argumento est primo; quia * nec imperare sibi nec se prohibere quisquam potest, *l. penul. ff. de arbitris, l. nemo, 61. ff. de pact. ille à quo, 13. §. pen. ff. ad Senatuscons. Trebell.* Hinc enim neque legem sibi quis imponere potest, ut colligit ibid. Baldus, & Joh. *de Platea. Instit. de adempt. leg. n. 1.* & eo multo minus privilegium. 1 2

Idem confirmat, quod nemo * sibi jus dicere vel suis potest, *leg. qui jurisdictioni, ubi Bart. ff. de jurisdict. l. observandum, 47. ff. de judic. l. Senatusconsulto, & ibi Bart. l. præses, 5. ff. de offic. præsid. l. ult. ff. de offic. præ. l. pen. ff. de arbitr. l. unica, C. ne quis in sua causa &c.* adeo id quidem, ut licet in civitate nullus sit rector, non * posse tamen aliquem sibi jus dicere propria auctoritate, dicat Baldus *in l. 2. §. post origin. ff. de orig. juris;* & jus suum amittat, qui sibi ipsi jus reddere conatur, *l. extat, 13. ff. quod metus causa.* Est enim * substantiale judicii, ut adsint tres personæ, *cap. forus, de verb. signific.* 3 3 4

 Unde

Unde nemo poteſt ſimul judex eſſe, & pars, *l. quisquis, 6. C. de poſtul.* & ſi ipſe Prætor inſtitutus ſuſpectam dicit hæreditatem, ipſe ſe cogere non poterit, quia triplici officio fungi non poteſt, ſuſpectam dicentis, & coacti, & cogentis, *l. ille, 13. §. pen. ff. ad*
5 *Trebell.* Quomodo * etiam unum non poſſe ſecum ludere ad calculos, quia non reperiretur, quis eſſet victor, vel victus, ait Bartolus *in l. licet, 42. §. ult. num. ult. ff. de procurat.*

6 Sic * teſtimonii domeſtici fides improbatur, *leg. 3. leg. parentes, 6. leg. omnibus, leg. nullus, Cod. de teſtibus.* Nam ut Cyprianus ait lib. *4. epiſt. 9. ad Pupian.* Quisque ſibi favet: nemo contra ſe mala dicit, Chriſtus non voluit ſibi in propria cauſa credi, Joh. 5, 31. Si ego teſtor de me ipſo, teſtimonium meum non
7 eſt idoneum, inquit. Ita * hæredi à ſemetipſo dari legatum poſ-
8 ſe, negat *l. legatum, §. hæredi, de legat. 2.* & * nulli rem ſuam ſervire, *l.* ait, *leg. in re, 26. ff. de ſervit. urban. prædi. l. quicquid ven-*
9 *ditor, 10. ff. communia prædiorum.* Habentem * jus conferendi beneficium, non poſſe ſibi illud ipſi conferre, ait Abbas *in c. cum ad noſtram, de inſtit.* diſtinctionem quippe eſſe debere inter agentem & patientem: & eo habentem facultatem diſtribuendi certam quantitatem pecuniæ, non poſſe ſibi ipſi diſtribuere: patro-
10 num * etiam non poſſe præſentare ſeipſum, *cap. pervenit, de jure*
11 *patron.* Quomodo * nec prætor ſeipſum dare tutorem poteſt, *l.*
12 *4. ff. de tut. & curat. datis ab his &c.* Cui * affine eſt, quod quis non poteſt eligere ſeipſum, ut notat Baldus *in l. ſi mandavero, 22. §. ſi tibi centum, 7. per illum tex. ff. mand. de quo in c. cum in jure, de elect. & fac. l. plane, ff. quod cujusque, &c.*

13 Exemplo * ſit App. Claudius Decemvir Rom. qui cum ei comitiorum habendorum injunctum munus fuiſſet, novo & peſſimo exemplo ſeipſum creavit; quod haud ſecus factum improbabant boni, quam nemo facere augurum crediderant: ut T. Livius ait. Adde, quod neque * tutor in rem ſuam auctor fieri poteſt, *l. 1. in*
14 *pr. l. pupillus, l. quod dicimus, in princ. ff. de auctor. tut.*

15 Quæ * eo fiunt omnia, quia in his ſemper plures perſonæ neceſ-

ıeceſſario requiruntur. Id quod in privilegiis quoque fieri debe-
'e, res ipſa docet. Dari enim privilegia, concedi, indulgeri, di-
:untur. Non * igitur magis ſibi ipſi quis dare privilegium pot- 16
:ſt, quam donare, vendere, locare, commodare. Quæ omnia
ıbſurde dici, vel hoc uno verbo intelliges, Qui dat, qui donat,
s in poteſtate habuit ſua, quod dedit vel donavit. Rurſus cui
latur aliquid vel donatur, is in poteſtate illud antea non habuit.
ŝi igitur aliquem ſibi ipſi quid dare dixeris vel donare, ſequitur,
:andem rem eundem habuiſſe, & non habuiſſe. Ita ſi privilegium
'rincipem ſibi ipſi dare dixeris, protinus illud ſequetur, quod de-
lit habuiſſe, quod accepit non habuiſſe; atque ita idem privile-
;ium eundem habuiſſe, & non habuiſſe. Verbum * igitur hoc 17
)are, non habet niſi inter duos locum. Itaque alius dare debet,
ılius accipere privilegium. Non dat autem, nec recipit, qui ali-
]uid in dexteram manum è ſiniſtra transfert. Nam, ut Seneca
ıit *de benef. lib. 7. c. 9.* quemadmodum vendere, ſic dare aliquid,
ì ſe dimittere eſt, & id quod tenueris, alteri habendum tradere.
Non poteſt igitur ſine abſurditate quidquam hujus generis dici.
Quomodo leges quoque, quæ in privilegiis dandis accipiendiſ-
]ue in uſu eorum, & effectu, & ſimilib. obſervandæ ſunt, hoc
:aſu nullum habere locum poſſunt. Rem uno exemplo notaſſe
ſuffecerit. Dantur privilegia omnia, vel proprio * Principis mo- 18
u, vel ad poſtulationem alterius, ut ſupra dictum eſt. Motu
ɔroprio * dantur privilegia illa, quæ ultronea liberalitate Prin-
:eps, non petenti, nec cogitanti, certe nihil hujus ſupplicatione
notus largitur, *gloſſ. & Bart. in auth. quas actiones, C de S. Eccle-
ſiis, Bart. in l. 1. in fine, C. de bon. vocant. Lib. X. l. pen. C. de officio
Rect. provin. l. imperialis, 23. §. ſimiles, C. de nupt.*

Ad * poſtulationem dantur illa, quæ petentis ſupplicatione 19
motus dedit Princeps. Illo modo dantis, hoc accipientis, volun-
:as & affectio procedere debent. Utro * horum modorum pri- 20
vilegia Principem ſibi dare dicemus? Motu proprio ſibi dediſſe
ſabimur illum, qui hoc maxime voluit accipere, qui ut daret ſibi

ipsi persuasit auctorque fuit? Non accepit autem motu proprio dantis privilegium, qui dantem ad hoc induxit. Ad postulationem vero dedisse illum, multo minus dicere licebit. Quis enim à seipso aliquid postulare solet? aut quomodo postulantis voluntatem prævenisse dantem dicemus? Nec enim potest idem eodem tempore eandem rem cupiisse & noluisse, aut certe non cogitasse. Non possunt ista omnia, nisi maxime improprie & per abusum dici. Nos autem hoc loco quid vere de his & proprie statuendum censendumque, investigamus.

21 Sane quidem * non paucas juris civilis leges atque exempla passim habemus, quæ Principes sibi ipsis privilegia quædam dedisse ostendere videantur. Veluti, *l. cum multa, 7. C. de bonis quæ liberis, l. bene à Zenon. C. de quadrienni præscript. l. sancimus omnem, 34. in princ. ff. de donat. auth. ut non fiant pignorat. &c.* §. *ult. l. pen. C. de donatio. inter virum & uxorem, & similes.* Ita Antiochensium civitas lege sua privilegium in bonis defuncti debitoris accepisse dicitur, *l. antepen. ff. de privil. credit.* Et unde tot ac tanta, quæ passim in jure descripta extant, privilegia Principes habent, nisi à seipsis acceperunt? Princeps enim majorem aut superiorem habet neminem, *fac. l. quod Principi, ff. de constit. princ. l. pen. C. de bonis, quæ lib. l. ult. C. de legib.* In apertis igitur non est opus conjectura: & cum privilegia Principes sibi dedisse & dare videamus, an fieri possit, quod factum cernimus, non quærendum videtur.

22 Nam * & quod supra est dictum, non posse aliquem in propria causa judicem esse, non omnino nec penitus verum esse constat. Judicem quippe in facto notorio, & in his quæ dignitatem illius attingunt, judicare posse de injuria sibi illata, ajunt Bald. & Dd. *in d. l. unica, C. ne quis in sua causa jud. argum. l. ea quidem, 7. C. de accusat. l. nullum, 14. C. de testibus, cap. ex parte, in Christo. de verborum signific. c. si quis erga, 2. q. 7.* Idem ait Oldradus *in consil. quadam maledicta, 7. argum. l. 1. in princip. ff. de postul. l. si familia, 7. in princ. ff. de jurisd.* Ita Prætoris esse, æstimare, an sua sit jurisdictio, ait *l. 5. ff. de judic.* Et multa hujus generis exempla & casus

;asus habes apud Baldum *in l. si consul, ff. de adoption.* Sed & * uni- 23
'erse, de his judicibus qui superiorem non agnoscunt, posse eos
ıdicare in propria causa, asserunt communiter Barto. *in l. est re-
eptum, 14. ff. de jurisd. & in l. si alius, §. bellissime, ff. quod vi aut
lam. Angel. in d. l. unica, C. ne quis in sua causa, Bald. in l. 2. ad fin.
'. de sentent. quæ sine certa quantit. & in cap. 1. tit. de investit. in
ıar. facta, & in l. ult. ff. de rerum divis. Alexand. & Jason in l. qui
ırisdictioni, ff. de jurisdictione, Felinus & alii in c. cum venissent,
: judic. Natta consil. 482. num. 43. volum. 3.* Quod inprimis * de 24
rincipe summo affirmant, *l. & hoc Tyberius, ff. de hæred. instit. l.
roxime, ff. de his quæ in test. dele. §. ult. instit. de vulg. substitut.
ınocent. Hostiens. Joan. And. in c. ex parte, de verb. signific. Dd. in
. l. unica, C. ne quis in causa propria, Baldus in l. rescripta, C. de
recibus Imp. offeren. Ægid. Boss. in tit. de foro competen. num. 170.
* seqq. Jo. Corasius in sacerdotiorum paraphrasi, par. 1. cap. 8. num. 7.*
ıque olim * exemplo statuit Populus Romanus, qui ab Aricinis 25
: Ardeatibus judex factus de agro inter illos ambiguo, à P. Sca-
:io edoctus, agrum illum finium Coriolanorum fuisse, captisque
oriolis jure belli publicum populi R. factum, suum esse agrum
um judicavit, ut T. Livius lib. 3. Annal. describit. Quo per-
net exemplum Johannis XXII. Pont. Rom. qui, permisso sibi post
ıortem antecessoris arbitrio eligendi Pontificis, seipsum nomi-
ıvit. Quod referens Joha. Nauclerus in historicis *volum. 2. ge-
rat. 44.* quamvis, inquit, in aliis electionibus quis seipsum eli-
:re non valeat, tamen in electione Papæ non prohibetur, cum
ɔi committitur electio. Ex quibus & similibus, non adeo ab-
rdum esse, aut insolens apparet, si Princeps privilegium sibi da-
: posse dicatur, qui alioquin in causa propria judicare posse in-
:nitur.

Verum enimvero * utcunque hoc sit (nec enim de eo hic 26
sputandi locus est) illud tamen, iisdem auctoribus assentienti-
ıs, non est nisi de rigore juris accipiendum; de honestate enim
:eri causam delegandam, C. Tapta *in rubr. tit. Dig. de constit.*

Princip. cap. 1. num. 34. notat ex Decio *in d. cap. cum venissent, num. 34.* qui Petri Apostoli, Gregorii Damasc. Sixti & Leonis Pontificum hoc probat exemplis, & à Principibus constitutum ait *in l. 1. & 2. C. si adver. fisc. in l. nec quiquam, ff. de officio proconf. & tot. tit. Cod. ubi causa fiscal.* quibus probatur, omneis Principis causas apud procuratorem Cæsaris esse tractandas. Sic & Innocent. *in cap. ex parte, de verb. signif.* Principem, ait, debere hoc casu negotium alicui delegare, aut in arbitros compromittere, aut sese submittere aliquibus subditis: exemplo Friderici Primi, qui in causa contra Longobardos id fecit. Unde secuta pax Constantiæ. Hinc maxime laudat justitiam Regum suorum B. Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi, par. 5. consid. 5.* quos dicit, judicio suorum officialium, non tantum curiarum Parlamenti, sed etiam Seneschallorum seu Ballivorum suorum, Sponte se submisisse, & judicatum contra se efficaciter statui passos, judicatoque obedisse, imo propriis illud patentibus literis mandasse. Judicium populi Rom. quam omnibus bonis tunc ingratum improbatumque fuerit, ex eodem Livio disces. De Pub. Africano Cicero in oratione pro Cluentio: Non enim mihi, inquit, exemplum summi & clarissimi viri P. Africani prætereundum videtur: qui cum esset censor, & in equitum censu C. Licinius sacerdos prodiisset, clara voce, ut omnis concio audire posset, dixit, se scire, illum verbis conceptis pejerasse: Si quis contra dicere vellet, usurum eum esse suo testimonio; deinde cum contra nemo diceret, jussit eum equum traducere. Itaque is, cujus arbitrio & P. R. & exteræ gentes contentæ esse consueverunt, ipse sua conscientia ad alterius ignominiam contentus non fuit. Hæc Cicero. Ex quibus & similibus apparet, quantumcunque ista in causa propria judicandi potestas Principi tribuatur, naturali tamen jure & verecundia optimum quemque admoneri, ut hoc casu judicis personam officiumque deponat, & tertio injungat, jus suum cuique redditurо. Quod quidem primam sententiam confirmat, quæ Principem, ut judicare seipsum, ita privilegium dare sibi ipsi non

posse

posse censet. Sed ego * hoc totum in medio relinquo (neque 27
enim breviter res tanta explicari potest) & illud tantum dico, argumentationem à judicando ad privilegiorum concessionem, probabilem esse magis quam necessariam, & ideo in neutram partem certi quidquam exinde firmari. Nam judicare Princeps in propria causa, si non de æquitate, certe de facto potest. Quanquam enim ipse tunc est actor & judex, alius tamen ab ipso reus est seu pars, de qua judicat. Ut vero idem judex simul, & actor, & reus sit: hoc etiam cogitare aut fingere ridiculum est. At hoc in ista quæstione tum maxime evenit, cum ipse sibi ipsi privilegium dat Princeps. Una enim est persona, quæ dat, & quæ accipit. Et ita omnia illa absurda oriuntur, quæ supra allegavi. Quod in judicio prædicto tamen, ubi alius est, quem contra causam habet Princeps, non evenit. Nam licet in propria causa judicet ille, judicat tamen non de sua tantum, sed etiam alterius persona.

Ut vero * unde Princeps sua habeat privilegia, & qua de causa 28
sibi ipsi ea dare videatur, scias, altius est res tota arcessenda, & quæ sit in his Principis potestas, quod jus, diligentius explicandum. Enimvero quod sibi ipsi * dare privilegia nequeat, etiam 29
hac ratione intelligitur. Privilegia contra jus commune introduci, & eum qui privilegia accipit, jure communi solvi atque eximi, in præcedentibus est dictum. Apparet igitur illum, qui solvitur lege, vinctum antea subjectumque legi fuisse. Patet etiam, ab alio eum, cujus in manu lex illa fuit, solutum; neque enim qui se ipse pro lubitu solvere potest, vinctus vere dici potest: neque solutus, qui vinctus non fuit. His ita positis, sequitur necessario, si quidem privilegia aliqua Princeps accepit, juri illum antea & legibus communibus obnoxium fuisse. Sequitur & illud, ab alio & ab illo ipso, qui ligaverat eum, privilegia eum accepisse. Quod cum ita sit, * ratione certe originis suæ Princeps 30
superiorem seu auctorem habet, à quo potestatem suam imperiumque, à quo jus omne, à quo privilegia, quibus utitur fruiturque,

turque, accepit. Populus hic eſt, quem penes imperium antea fuiſſe, nemo eſt qui neget. Hic lege de imperio Principis lata, ei & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem contulit, *l. 1. ff. de conſtit. Princip.* imperium Auguſto confirmavit ſecundum
31 Dionem *lib. 53. in princ.* & ita legibus * quoque illum ſolvit, *l. Princeps, 31. ff. de legibus, l. 3. C. de teſtamentis, Dion Caſſ. lib. 53.* Hinc igitur privilegia ſua & jura propria Principem habere dico. Quod ut planius intelligatur, & firmius credatur, hanc ipſam quæſtionem, quomodo ſc. & quatenus legib. ſit ille ſolutus, cap. ſequenti plurib. exequi viſum eſt. Unde non hoc tantum, quod propoſui, clarius apertiusque fiet, ſed & alia multa ad præſentem materiam vehementer utilia & neceſſaria percipientur. Uno verbo, in genere atque univerſe privilegia ſua, ut ipſam poteſtatem,
32 populo tradente Principes accepere. Quod vero non * omnia ab illo data privilegia & jura de facto & re ipſa obſervant, moderationi eorum & juſtitiæ eſt acceptum ferendum. Itaque cum univerſis legibus ſoluti generali quodam privilegio fuiſſent, ipſi quædam ex his amplexi, ea tantum privilegia circa ſe obſervari velle oſtenderunt, quæ expreſſe obſervanda nobis indicarent. Inde fa-
33 ctum, * ut quia certis tantum in caſibus & cauſis legibus ſe ſolutos, prout viſum, oſtenderunt, privilegia à ſe ipſis accipere viderentur. Et ita illæ omnes leges & conſtitutiones Imperatorum ſunt accipiendæ, non quaſi tum demum privilegium, quod promulgant, accipiant, ſed quod illud, quod jure & habitu eis ſemper competebat, actu in poſterum factoque exerceri velint: ut ex his, quæ cap. ſeq. dicentur, planius apertiusque fiet. Interim illud, quod propoſuimus, certum fixumque manet, privilegium proprie ac vere ſibi ipſi neminem dare poſſe: ſed re ipſa ſemper privilegii conditorem ab eo, qui accipit illud, diſtinctum & ſeparatum eſſe debere.

CA-

CAPUT VIII.

An, quomodo, & quibus legibus Princeps solutus sit? explicatur.

EPITOMA.

1. *Quid sit solvi legibus? explicatur.*
2. *Legibus obligamur non tantum cum secundum illas, sed etiam cum contra facimus.*
3. *Princeps legibus solutus affirmatur.*
4. *Quibus legibus Princeps solutus sit? disquiritur.*
5. *Quod non Julia tantum & Papia legibus Princeps solutus sit; ostenditur.*
6. *Quod etiam non solennibus tantum juris.*
7. *Omnibus omnino juribus & legibus Principem solutum, ex sententia quorundam affirmatur.*
8. *Quos inter non pauci Cæsarum priorum.*
9. *Sed repudiatur penitus sententia illa.*
10. *Quid de plenitudine potestatis sentiendum? indicatur.*
11. *Quid lex in jure civili proprie dicatur? habes.*
12. *Jus positivum idem quod lex est.*
13. *Idque mutabile & mortale.*
14. *Princeps legibus & jure positivo solutus credendus.*
15. *Quibus juribus Princeps solutus non sit? copiose monstratur.*
16. *Jure divino Principem non solutum probatur.*
17. *Princeps fœnus in Rep. admittere non potest.*
18. *Nec scortationes.*
19. *Nec facere potest mala ut eveniant bona, nec malum malo sanare.*
20. *Quid jus naturæ sit? dicitur; & num. 40.*
21. *Eoque Principem non esse solutum, ostenditur; & num. 42.*
22. *Jus naturæ pars est juris divini.*
23. *Jus divinum & naturale perpetua sunt & immutabilia.*
24. *Nihil contra naturam fieri potest.*
25. *Princeps non potest non esse animal rationale, nec absolvi à lege naturæ, vel dictamine rectæ rationis.*

K

26. Prin-

26. Princeps omnia secundum naturam agere debet.
27. Omnes bonæ & naturales rationes ligant Principem.
28. Defensio juris est naturalis.
29. Ideo nec Princeps illam tollere potest.
30. Nisi quatenus aliquid juris positivi adjunctum habet.
31. Quid jus naturale, gentium, civile, unde discendum? & num. 39.
32. Jus naturale non est nobis cum brutis commune, nec cadit in ista.
33. Jus naturale & gentium sæpius confundi inter se & commisceri, monstratur.
34. De primis juris naturalis principiis.
35. Ex quibus jus omne seu naturale, seu gentium, seu civile, nascantur fiantque, commonefacio.
36. Ex his enim descendunt postea aliæ conclusiones; partim necessaria & proxima.
37. Partim necessariæ quidem, non tamen proximæ.
38. Partim nec necessariæ, nec proximæ sed probabiles.
41. Bellum an jure naturali probari possit? & num. 48.
43. Jus gentium describitur; & num. 45.
44. Unde fiat, ut toties jus naturæ cum jure gentium commisceatur?
46. Gentium jus à naturali differre ostenditur.
47. Imo vero sæpius cum hoc illud pugnat.
49. Quid jus civile sit? exponitur.
50. Princeps an & quomodo jure gentium solutus sit? explicatur.
51. De jure servitutis.
52. De jure belli.
53. Jure positivo, quod ratione vel æquitate naturali nititur, Principem solutum, negatur.
54. Æquitas ex natura originem ducit, & nihil est aliud, quam ratio naturalis.
55. Objectio hactenus dictis opposita removetur.
56. Quomodo ex jure naturali omnia jura, & quatenus descendant, repetitur.
57. Quando ratione vel æquitate legis Princeps teneatur? doceo.
58. Quomodo agnoscere liceat, quæ leges suapte natura, & quæ hominum judicio ex jure naturali descendant?
59. Leges, quarum jus & origo dubia, Principis religioni permittenda sunt.

60. De

60. De Principe hic loquimur, qualis esse de jure debet.
61. In alterius damnum vel injuriam Princeps nihil statuere potest.
62. Juris reique publicæ legibus Principem solutum non esse, confirmatur.
63. Princeps non potest mutare jus publicum, nec facere aliquid in præjudicium regni & coronæ, & num. 66.
64. Nec contra consuetudines imperii à majoribus acceptas.
65. Consuetudo tamen distinguitur.
67. Principes se legibus, quibus soluti fuerant, sponte subjecerunt.
68. Id quod justitiæ vis & æquitatis ratio suasit.
69. Ut exemplum quoque in subditos.
70. Hinc multos istud Reges & Imperatores exemplo suo sanxisse, monstratur
'1. Principes non usque eo legibus se subjecerunt, ut non solutos iisdem sese quandoque docerent.
'2. Principem legibus quatenus cogant solutum, nonnulli opinantur,
'3. Quod mihi non idem videtur, & num. 78.
'4. Etiam virum bonum legi coactivæ obnoxium, probatur.
5. Principes etiam coactivis legibus se subjecisse, monstratur.
6. An quis seipsum cogere possit?
7. Princeps ab lege sua judicatur.
9. Quomodo idem legibus & solutus & subjectus sit? explicatur.
'0. Princeps legibus & jure communi utitur, præterquam in c sibus expressis.
1. In non expressis jure communi uti & vivere; monstratur.
2. Princeps quotidie alios casus exprimere potest, in quibus jure speciali uti velit.

IGitur ut quod promisimus, quomodo legibus & quibus Princeps solutus sit, explicemus, ante omnia, quid * sit, legibus 1
solvi, tradere necessarium puto. Unusquisque autem intelliit, translationem in his verbis & similitudinem inesse, ab eis, ui vinculis ligantur & solvuntur. Ita cum legibus ligari, alliga-i, seu obligari dicamur, *l. obligamur, 52. §. lege, 5. ff. de obligaon. & act. l. digna vox, C. de legibus,* hoc est, ut secundum leges ivamus, omniaque secundum illarum præscriptum agamus: soli vicissim legibus dicimur, cum quod illæ à nobis requirunt,

 omit-

omittere & negligere impune ac sine obstaculo licet: quemadmodum qui vinculis solutus est, quidquid illis non impedientibus, agit. Exemplum est apud T. Livium *lib. 31. Annal. in fine*. Magistratum Romæ, nisi qui jurasset in leges, plus quinque dies gerere non licebat. Igitur C. Valerius Flaccus ædilis curulis creatus, quia flamen Dialis erat, & eo jurare non poterat: ut ædilis nihilominus esse posset, petiit, ut legibus solveretur. Annuit petitioni Senatus populusque, decernens, ut si daret qui pro se juraret, id perinde esset, ac si ipse ædilis jurasset. Lege igitur Flaccum solutum fuisse apparet, ut non obstante vinculo ejus, ædilis etiam non juratus maneret. Sic apud eund. Livium lib. 10. cum Fabium diu recusantem populus Consulem creare vellet, Fabius eorum studia legum verecundia restinguenda ratus, legem recitari jussit, qua intra decem annos eund. Consulem refici non liceret. Vix præ strepitu audita lex est, Tribunique plebis nihil id impedimenti futurum ajebant: se ad populum laturos, ut legibus solveretur. Et hoc modo omnes, qui contra leges jusque commune privilegia accipiunt, lege certa solvuntur, Quod aliquando etiam aliter exprimitur. Ut speciali privilegio juris observationem relaxare, *l. 9. C. de testament.* remittere jus strictum, *l. Pannonius, 86. in princ. ff. de adquir. vel. omitt. hered. l. & ab antiquis, 31. C. de testam. l. Sunt personæ, 43. ff. de religiosis, l. placuit, 8. C. de judiciis &c.* Translationem tamen in his eandem, quam in priore phrasi, vides. Ex quibus, quod uni vel alteri personæ aut causæ circa certum jus legemve dari solet juris beneficium, idem hac lege Principi circa universum jus legesque datum apparet: ut quomodo alii hac vel illa lege, sic iste omnibus universe solutus esse videatur. Hoc idem Græcos ita interpretari, Ἡγεμὼν ἁμαρτίζας ὐ κολάζεται, scribit Jacobus Cujacius *lib. 15. observation. cap. 30.* quod etiam attingit Felinus *in cap. 1. de constitution. column. 10.* secundum Thomam, Principem legibus solutum dicens; quia in ipsum nullus potest judicium condemnationis facere, secundum illud: Tibi soli peccavi, Domine. Quasi ille sit legibus solutus,

solutus, qui legum pœnas metuere non cogitur; quod angustius tamen dici puto. Legibus * enim obligamur, non tantum cum contra illas, (quo casu pœnæ locus datur) sed etiam cum secundum præcepta earum facimus, *d. l. obligamur. 52.* §. *lege. 5. ff. de obligation.* id quod ipse hoc modo interpretatur Cujacius *lib. 17. observ. cap. 18.* Quid sit igitur legibus solvi, sic generatim patet. 2

Ad hunc vero modum * Principem legibus solutum affirmant *l. Princeps, cap. 31. ff. de legibus, & l. 3. C. de testam.* & Dion. Cass. *in d. lib. 53.* ubi Augustum omni legum necessitate liberatum, & universe legibus solutos Imperatores, scribit. Quomodo Justinianus etiam Imp. *in auth. de consulibus, §. 2. in fine.* omnibus, inquit, à nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna: cui & ipsas Deus leges subjecit, legem animatam eum mittens hominibus &c. Et legibus eum solutum, ostendunt plurima in toto jure civili apparentia privilegia illius, quæ hic non est operæ enumerare. 3

Illud demonstrandum, * quibus nam legibus solutus sit? In hoc quippe summa & vis omnis præsentis doctrinæ consistit, omnibusne omnino juribus & legibus, an certis tantum, Princeps solutus inveniatur. Jac. enim Cujac, *in d. c. 30.* ex inscriptione *d. l. Princeps 31.* legibus tantum caducariis Julia & Papia Principem solutum fuisse interpretatur. Sed hoc, salvo judicio viri maximi, non * est ita prorsus accipiendum: cum etiam aliis pluribus legibus Princeps in specie solutus reperiatur; & tum ex declaratione Imperatoris *in confirmatione Digestorum*, tum ratione ipsa, appareat, infirmum esse admodum argumentandi genus: quia ex illa seu effatum in commentario Ulpiani ad leges Juliam & Papiam positum invenitur; ideo de his tantum legibus, quidquid ibi dicitur, accipiendum. Neque enim etiam Ulpianus primus hujus privilegii fuit auctor, sed Populus R qui Imperatores legibus solvit, omneque in eos jus suum transtulit & potestatem. Alii solemnibus * tantum juris solutum Imp. censent, argumento *l.* *. Cod. de testam.* Ubi lex imperii solemnibus juris Imperatorem 4 5 6

dicitur solvisse. Ita sentit Johan. Corasius *lib. 2. miscell. cap. 25.* idque probare etiam videtur Jac. Menochius *de arbitr. jud. lib. 1. quæst. 7. numer. 70.* Sed & hoc angustius omnino dictum videtur. Quanquam enim solemnibus juris solutus est Imperator, non tamen his solis, sed & aliis juribus ac legibus solutum, ne illi
7 quidem ipsi negabunt. Alii * contra in majus ista accipiunt, & ultra quam decet Principem solvunt. Glossa enim *in dict. l. 3. Cod. de testament.* Principe legibus soluto, datam ei supremam potestatem affirmat. Quod quidem, si modeste & convenienter accipiatur, non est ita male dictum. Ita vero etiam Dion Cass. *in d. lib. 53.* hæc circumscribit : λέλυνται γὰρ δὴ τῶν νόμων, ὡς αὐτὰ τὰ λατινικὰ ῥήματα λέγει. τουτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως εἰσὶ, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται : hoc est, legib. soluti sunt, ut Latina verba habent, liberi nimirum ab omni legum necessitate sunt, nec ullis constitutionibus seu scriptis coercentur. Et non multo postea : πάσης αὐτὸν τῆς τῶν νόμων ἀνάγκης ἀπήλλαξαν, ἵν', ὥσπερ εἴρηταί μοι, καὶ αὐτοτελὴς ὄντως καὶ αὐτοκράτωρ καὶ ἑαυτοῦ καὶ τῶν νόμων, πάντα τε ὅσα βούλοιτο ποιῇ, καὶ πάνθ' ὅσα ἂν μὴ ἐθέλοιτο μὴ πράττῃ, hoc est, omni eum legum necessitate absolverunt, ut quemadmodum dictum est, omne in se ipsum & leges, jus, potestatem, arbitrium habens, omnia quæ vellet ageret, & quæ non vellet omitteret. Quibus generalibus verbis, summæ quædam nullisque limitibus circumscripta in leges & omnia jura Imperatori data potestas describitur. Nec Dion modo privilegium istud ad hunc modum intellexit,
8 sed ipsorum * etiam Imperatorum non pauci. Hinc enim Caligula Cæsar aut frugi hominem esse oportere aut Cæsarem dictitabat, ut scribit Suetonius in vita illius *capitul. 37.* nihil scilicet tam improbum impiumve, nullum tantum scelus aut facinus esse judicans, quod Cæsari non fas licitumque soleat esse. Unde & Nero, eodem teste, negavit, quenquam Principum scisse, quid sibi liceret. Quod Seneca etiam in Octavia sub persona Neronis effert : inertis est, nescire quid liceat sibi. Qua de causa ipse Brittannicum fratrem veneno pempturus, cum primo non processisset

ſiſſet res, excuſanti Locuſtæ veneficæ, minus datum ad occultandam facinoris invidiam: ſane, inquit, legem Juliam timeo. Ac teſtantur omnia, quæ de his memoriæ prodita ſunt, nihil uſpiam divini humanique juris aut rei fuiſſe, in quæ non iſti ſummam ſibi & pleniſſimam licentiam arbitriumque ſumpſerint. Antoninus Caracallus, quanquam omni crudelitatis genere infamis, tamen & fratrem Getam jure ſe, non pro arbitrio, occidiſſe videri voluit: & cum Julia noverca, quaſi per negligentiam maximam corporis partem nudaſſet, Vellem, inquit, ſi liceret. Adhuc ſcilicet animi eum conſcientia legum & juris admonuit. At Julia illa, memor nimirum ſummæ hujus licentiæ: ſi libet, inquit, licet. An neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere. Hac igitur tam præclara juris Cæſarei commonefactione ad ingenium reductus Antoninus, matrem duxit uxorem, ad parricidium junxit inceſtum, nuptiasque eas celebravit, quas, ſi ſciſſet leges dare, verè ſolus prohibere debuiſſet: ut Spartianus ait. His addere poſſis, quamvis ex alio genere, Pharaonem Ægypti Regem, qui Moyſi mandata Dei exponenti: quis eſt, inquit, Dominus ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael. Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam. Sed paſſim obvia ſunt exempla, tum R. Imperatorum, tum aliorum Principum, qui hujus privilegii beneficio divina omnia humanaque pedibus ſuis ſubjecta putarunt. **Quod tamen * non ita eſſe quivis pius bonusque facile æſtimabit; &** 9
poſtea pluribus oſtendam, Imperatores divinis & naturalibus legibus non magis quam alios homines eſſe ſolutos. Equidem * huc 10
etiam poteſtas illa, quam plenitudinem poteſtatis vocant, ſeſe non parum extendit; quam ſupra modum exaggerant juris quidam interpretes, & cujus vi nihil non poſſunt Imperatores: ſed iſti non ſatis forte diſtinctè loquuntur, aut certe non ita, ut prima ſpecie apparet, ſenſerunt.

Veram autem circa præſentem materiam ſententiam, inde rectiſſimè hauriri non dubitaverim, ſi * quid jure civili lex pro- 11
priè dicatur, ad animum revocetur. **Legis tamen vocabulum, tam**

tam in præſenti caſu quam aliis plerisque, non & ſecundum illam, quæ in *l. 1. & 2. ff. de legibus* extat, deſcriptionem accipiendum, ajo. Eſt enim illa generalior, neque tam legibus Romanis; quam aliis omnibus quibuscunque convenit: ut hanc conſideranti cuilibet facillime patebit. Lex autem Romana ſeu juris Romani, definitur primo in *§. 4. Inſtitut. de jure naturali &c.* quod ſit jus ſcriptum à pop. R. Senatorio, Magiſtratu interrogante, conſtitutum. Sed & hæc definitio illis tantum congruit legibus, quæ antequam ad Principes tranſiret populi poteſtas, latæ fuerunt. Poſteaquam vero hic ad Principes ſuos omne imperium ſuum & poteſtatem transtulit, illud quoque, quod Principi placuit, legis accepit vigorem, *Inſtitut. de tit.* §. *6. & l. 1. ff. de legibus*, *l. ultim. Cod. eod. tit.* Quibus adde etiam quæ ſine aliquo ſcripto, inveterata conſuetudine introducta, & pro lege obſervata, tacito populi R. & Principis conſenſu recepta ſunt, *§. ſine ſcripto*, *Inſtitut. d. t. & l. de quibus, 32. §. 1. ff. de legibus.* Ex quibus omnibus legem eſſe apparet, quidquid vel expreſſe Populus R. & Princeps il-
12 lius, vel tacito conſenſu, conſtituerunt. Atque hoc * eſt, quod poſitivum jus hodie vulgo appellant. Differt enim lex à jure naturali, *l. jubemus, 37. in fin. Cod. de Epiſc.*

13 Jus enim * poſitivum illud proprie dicitur, quod manu fit, hoc eſt, pro voluntate & judicio legislatoris ponitur & deponitur: ut loquitur Fra. Zabarella, *in capit. cum tanto*, *§. licet*, *not. 4. de conſuetud.* Nam quod perpetuum eſt & immutabile, naturale eſt vel divinum, *§. ſed naturalia*, *Inſtitut. de jure naturali, &c.* Leges autem à Pop. R. vel Principe ejus latas mutabiles eſſe & variabiles res ipſa teſtatur, & confirmat definitio earum, quæ originem harum conſtitutionemque, imo & diuturnitatem, *d. l. de quibus, 32. in fine.* in Populi & Principis arbitrio ponit. Voluntas item humana varia eſſe & ambulatoria usque ad ſupremum vitæ exitum ſolet, *l. quod ſi iterum, 4. ff. de adim. vel transfer. legatis*, *l. 4. ff. ad Trebell. l. cum hic ſtatus, 32. §. 3. ff. de donat. inter virum & uxo.* & talia omnia, quæ ab hac proficiſcuntur aut pendent.

Legi-

Legibus * igitur illis, quæ juris positivi nomine appellantur, 14
Principem solutum ajo: & confirmant, *d. l. Princeps, 31. ff. de legibus, & d. l. 3. Cod. de testament.* itaque censent glossa ultim. *in extravagant. rem non novam, de dolo & contum. Felinus in capit. in causis, in princip. de re judic. Angel. & Dd. communiter in d. l. Princeps, & passim.* Quod non * alia via rectius intelligetur, quam si 15
quibus juribus Princeps non sit solutus, probe cognitum habeatur. Contraria enim prope collata magis illustrantur ambo, & contrariorum est communis scientia, *l. 1. in princip. ubi Baldus ff. de his, qui sui vel alien. juris sunt, l. 4. ff. de justit. & jure, l. si merces, 25. §. vis major. ff. locati, l. 3. §. fin. ff. ubi pupil. educt. debe. l. fin. in fi. de legat. 3. l. si is qui, 14. §. utrum, ff. de rebus dubiis, l. 1. §. sed consulto, ff. de his quæ in testament. del. Aristotel. libr. 1. priorum Analyt. capit. 38. libr. 8. Top. capit. 1.* Adeo quidem, ut etiam definitionem propositi ex contrarii definitione colligi, dicat idem *Aristotel. libr. 1. Top. capit. 2.* Id ergo nunc, quanta fieri poterit brevitate simul & perspicuitate, persequemur.

Ac * primum, ut ab Jove principium, jure Divino princi- 16
pem solutum, negant communiter Dd. Quantumcunque enim sit maximus Imperator, quanta etiam cunque illius libertas & privilegia, Deo tamen se minorem, & mandatis illius ac legibus obnoxium se subditumque, si sana mens sit, lubens volensque fatebitur. Qua de causa ita Imperatorem alloquitur Ambrosius *in c. convenior. 23. quæstion. 8.* Noli te gravare, Imperator, ut putes, te in ea quæ divina sunt imperiale aliquod jus habere: noli te exaltare, sed SI VIS DIUTIUS IMPERARE, ESTO DEO SUBDITUS. Et Nicolaus Papa *in capitul. 1. distinct. 10.* Lex Imperatorum, inquit, non est supra legem Dei, sed subtus. Ita Symmachus *in capitul. 2. ibidem:* Non licet Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra divina mandata præsumere, nec quidquam quod Evangelicis, Propheticis, aut Apostolicis regulis obviet, agere. Igitur quæ divina constitutione debentur, ab his neminem eximi concessione imperiali, quantumcunque

generaliter fiat, recte ait *capitul. tua de decimis.* & præmium grande illum adquirere; qui legibus contra Dei voluntatem latis obtemperare non vult, ait Augustinus *in capitul. 1. distinct. 9.* Hac de causa Deum super omnia, homines quoscunque æque ac seipsum, Princeps amare tenetur. Illud est enim primum, imo summa
17 omnium præceptorum Dei. Hinc * quoniam, exempli causa, pecuniam fœnori dare lex divina prohibet: Princeps neque ipse pecunias suas fœnori dare, nec subditis idem permittere potest, *capitul. 1. ubi Cardin. & capitul. quanto, capitul. post miserabilem, de usuris. Bald. in l. 1. ff. de constitut. Princip.*

18 Quoniam * scortationes omnes & fornicationes Deus sub pœna æterni supplicii prohibuit: Princeps neque ipse scortari, neque aliis id permittere, aut occasionem dare debet. Quanquam enim Ecclesiam tolerare publicas meretrices, & sub dissimulatione transire, ut evitetur majus malum, dicant glossa *in capitul. inter opera, de sponsalibus, & locat. Campez. de dote, part. 1. quæstion. 49. numer. 2.* & non peccare magistratum, si meretricibus certum locum urbis incolendum tribuat, quamvis certo sciat, eo loco ipsas non bene usuras (posse enim permittere minus malum, ut majora impediantur) scribit R. Bellarm. lib. 2. de amissione gra-
19 tiæ, *capitul. 18.* tamen in his * & similibus casibus pulcherrimam habemus & tutissimam ab Apostolo Paulo traditam regulam, non esse facienda mala, ut eveniant bona. Nec debet Princeps sapientior aut prudentior esse velle ipso Deo, qui cum nuspiam ullam tradiderit hujus interdicti generalis exceptionem, neque unquam ullo casu scortationem permiserit; sicut cum occidere prohibuit, aliquas tamen regulæ hujus exceptiones tradidit, &c. Princeps quoque nullam hujus regulæ exceptionem aut limitationem introducere debet. Et consentiunt Baldus *in d. leg. 1. ff. de constitution. Princip. & Abbas in cap. cum teneamur, de præbend. &c. non est, de voto.* Majora igitur illa mala aliis remediis, licitis nimirum & permissis, eradicare aggrediantur; neque Orestis exemplo κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι præsumant. Equidem casibus nonnullis jus divinum

divinum Princeps limitare posse videtur, sed hoc in illis tantum evenit casibus, in quibus ipsum se jus illud interpretari probatur, ut supra cap. 3. num. 18. dictum. Stat igitur, juri divino Principem subjectum.

Huic proximum, imo si rectius æstimare velimus, pars quædam illius est jus naturæ. Est enim * nihil aliud, quam princi- 20
piorum, quæ primo homini in creatione indidit Deus, reliquiæ quædam & semina; quæ recta, & justa, sive in Deum, sive in homines esse ipsa nos natura nostra, etiam nemine monente, docent. His * sese & Princeps subjectum fatetur *in leg.* 21
pen. Cod. de legit. hæred. l. pen. in princ. C. de adoptionibus, §. sed hodie, §. minorem, Instit. eod. l. sacris nostris, 47. in princ. ibi, consentimus naturæ, C. *de Episcopis, & cler. l. ubi pugnantia, 188. §. 1. ff. de regul. juris, & similibus.* & affirmant. *Abbas in cap. susceptis, de possess. & propriet. Baldus in l. si aquam, col. 7. C. de servit. & aqua. Felinus in cap. 1. de constitut. num. 14. P. Ancharanus in c. quæ in Ecclesiarum, num. 7. d. t. Jason, in l. quo minus, num. 4. ff. de flumi. & passim communiter Dd.* Jura * enim ista, ut dictum, 22
pars sunt quædam juris divini, *fac. l. pen. in pr. ibi, jura patris naturalis nexu divino copulata, C. de adoptionibus.* Et testatur Apostolus Paulus *ad Roman. 1. & 2.* Principia pietatis, justitiæ, honestatis, legisque adeo divinæ, mentibus & conscientiæ humanæ ita inscripta insculptaque fuisse, ut quamvis lege scripta carentes, naturæ tamen instinctu illa omnia justa & honesta, universisque observanda fateri omnino cogerentur. Ac res ipsa loquitur. Duarum enim tabularum mandata illa decem, nonne jus divinum sunt? Non vero eadem pristini illi, quibus nulla alia harum rerum notitia fere, nisi naturalis, populi, animis suis infixa atque innata ostenderunt, eoque non minus quam nos, qui scriptum id jus insuper habemus, coluerunt. Jus igitur naturale divinum, eoque & supra supremum generis humani Principem esse sequitur. Accedit quod ut * totum jus Divinum, ita naturale etiam 23
perpetuum est & immutabile, *l. si id quod, 64. ff. de condict. indeb.*

§. pen. Institu. de jure naturali, &c. gloss. in leg. quoties, 2. C. de precibus, Imper. offeren. Bald. in leg. 1. in 1. Lect. num. 5. ff. de constitut. Princip. Salic. in leg. fin. in princip. C. si contra jus vel utilit. Felinus, in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 26. ubi & Anchar. num. 7. de constitut. Jason, in dict. leg. quo minus, ff. de fluminibus, &c.
24 & eo in Principe etiam immutabile. Imo ἀδύνατον * esse & fieri non posse, quidquid est contra naturam, ajunt gloss. & Bart. *in leg. continuus, §. illud, ff. de verborum obligat. Dd. in leg. apud Julianum, §. fin. ff. de legat. 1. gloss. in leg. 1. ff. de condit. institut. & fac.*
25 *leg. filius. 15. ff. d. t.* Nulla igitur auctoritas neque * Principis neque Senatus facere potest, quod Princeps non sit animal rationale, mortale; nec absolvere eum à lege naturæ, vel dictamine rectæ rationis, aut legis æternæ: ut recte loquitur Baldus *in d. l. si equi. Cod. de servit. & aqua; & sequitur Felin. in dict. cap. 1. num.*
26 *14. de constit.* Itaque * & leges Principis, & quidquid agit, secundum naturam fieri debet; pro monstro enim habetur, quod statuitur contra naturam, *§. minorem, 4. Institut. de adoption.* Nec decet accusare naturam vel offendere, *l. fin. in Princip. Cod. de liber. præter. leg. pen. Cod. de legit. hered.* Et ideo quæ rerum prohibet natura, lege nulla confirmantur, *leg. ubi pugnantia, 188. §. 1. ff. de regul. juris*, ut contra ex naturali justitia aliquid firmari sufficit, licet constitutionem Imperatoris non habeamus, argumento *leg. scire, 13. §. si numer. 7. ff. de excusation.* Nec naturalia jura civilis ratio corrumpere potest, *l. eas, 8. ff. de capit. numer. leg. 2. ff. de usufructu earum rerum, quæ usu consum.* Imo omnes
27 * bonas & naturales rationes ligare Principem, ait Baldus *in cap. 1. §. fin. qui feud. dare possunt.* quod dictum refert, & sequitur Calca. *in consil. 52. penultim. colum. post med. Jason, consil. 1. colum. 2. lib. 1. Roman. consil. 345. colum, 3. post med. ver. ultimum patet. Cravetta de antiqu. temp. parte 1. in princip. numer. 46.* Hoc uno exemplo illustrasse operæ precium erit.

28 Adversus * periculum naturalis ratio permittit se defendere, *leg. 4. ff. ad legem Aquil.* & vim vi repellere, natura, & omnes le-

ges, omniaque jura permittunt, *leg. 1. §. vimvi. 27. ff. de vi, & vi arm. leg. scientiam, §. 4. ff. ad. leg. Aquil. leg. ut vim, 3. ff. de just. & jure, leg. sed & partus, 12. §. 1. ff. quod metus causa.* Itaque Cicero pro Milone; rationem doctis, necessitatem barbaris, morem gentibus, feris naturam ipsam præscripsisse, ait, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent. Et lib. 1. Offic. omni generi animantium, à natura tributum ait, ut se, vitam, corpusque tueatur. Defensionem igitur juris esse naturalis, hæc & similia commonstrant. Ea 29
re neque * Principem facere posse, ut adversus ipsum vel alium se defendere licitum non sit, Bald. & Dd. communiter, *in dict. leg. ut vim, Felin. in cap. ex parte, colum. 2. de officio de legat. Jul. Clarus, lib. 5. §. homicidium, numer. 24. & seqq. §. fin. quæst. 49. numer. 14. P. Anton. de Petra in tract. de jure quæst. non tollendo per Princip. cap. 26.* qui plures allegant, & communem hanc esse opinionem testantur. Itaque adeo pro salutis propriæ defensione, si quidem contra omne jus offendamur, nec effugere aliter liceat, etiam Imper. vel Papam interfici posse, ait idem Clarus *in dict. §. homicidium, numer. 29.* Citationem certe, ut juris naturalis, à Principe omitti non posse, docent Felin. *in cap. quæ in Ecclesiarum, numer. 42. limit. 6. de constitut. Meran. par. 4. distinct. 9. num. 9. & par. 6. tit. de citat. numer. 3. Panormit. in cap. in causis, de re judic. Dd. in l. nam ita Divus, ff. de adoption. tex. in Clem. pastoralis, de re judic.* Ab defensione tamen culpa debet omnis abesse, ut defensio sola, non ultio adhibeatur: ut Cujacius *lib. 5. obs. cap. 18.* & Dd. dd. locis & alibi copiose probant. Ubi & illud observandum, * cum duplex sit defensio, naturalis scilicet, & alia etiam civilis, 30
jure positivo introducta, de illa tantum hæc accipienda; ita, ut si maxime hanc certa de causa Principem auferre contigerit, naturalem tamen defensionem, in quam ipsi nihil juris est, reliquisse præsumatur: ut docent Felin. *in dict. cap. ex parte. de offic. delegation. & P. And. de Petra in dict. cap. 26. & alii.* Potest itaque talis implorare judicis officium latum: & consequi manu regia,

 quod

quod primævo jure competebat, *Cravetta de antiquitat. temp. par. 1. in princip. numero quadragesimo octavo, allegans Immolam post Anton. in dict. cap. quæ in Ecclesiarum, Innocent. in cap. novit. de jud. Socin. in consil. 164. colum. 4. ad fin. ver. non obmitto, lib. 2.* Juri igitur naturali Principem subjectum, hæc & similia demonstrant.

Jus gentium ordine nunc sequitur. De quo priusquam quidquam addamus, quid sit jus gentium, quid item naturale, quid civile jus proprie sit, scire necessarium puto. Quod quidem
31 * si accurate assequi velimus, non ex Ulpiano & cæteris juris interpretibus, quorum verba in Tit. de justitia & jure, referuntur, discendum. Illic quippe παχυλῶς, ut in principio operis adumbratur magis jus, quam definitur, & cumulatim potius in medium conjicitur, quam distincte proponitur: ut ipse ostendit Imp. *in Institut. tit. de justit. & jure, §. his igitur, ibi, si primo levi ac simplici via, &c.* Consideratur enim illic homo, ut animal, ut homo, ut civis: & hoc respectu jus triplex infertur. Quæ con-
32 sideratio latior est, quam res dividenda ferat & requirat. De * jure namque agitur, quod secundum Ulpianum & Celsum, *in l. 1. ff. de justit. & jure*, ars est boni & æqui, animi certe, habitus aut qualitas quædam, & ideo proprium hominis, nihil cum brutis & rationis expertibus animantibus commune habens. Non enim jure hæc, sed impetu feruntur: & quamvis illis sua sit natura inclinationesque certæ, jure tamen nullo reguntur aut moventur: nec magis in illa, quam justitia aut leges móresue cadunt, *l. 1. §. 3. ff. si quadrup. paup. fec. dicatur.* Non est igitur jus naturale, quod nobis cum brutis commune est: cum nulla sit juris nobis
33 cum hisce communitas. Ita * jus gentium illud esse, quo gentes humanæ utuntur, ait *l. 1. §. ult. ff. de justit. & jure*, idque à naturali recedere, ibid. Postea tamen injuriæ propulsationem jurisgentium esse, eandemque ab natura introductam, dicit *l. ut vim, 3. ibid.* Et in *l. omnes populi, 8. d. t.* Jus gentium esse dicitur, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes peræque custoditur. Rursus tamen *l. 4. l. 5. ib.* jure gentium

tium servitutes & similia contra jus naturæ introducta ajunt. Ita religionem erga Deum, reverentiam erga patriam & parentes, injuriæ propulsationem, & similia, naturalis esse juris, & jus civile ubique affirmat, & res ipsa probat: eadem tamen secundum *d. l. 1.* tanquam jure gentium introducta, à naturali recedunt. Præterea etiam in jure nostro jus naturale & gentium pro eodem ponuntur, *leg. 1. in princ. & tot. tit. ff. de adquir. rerum domin. l. cum amplius, 84. §. 1. ff. de reg. jur. l. in rebus, 30. circa med. C. de jure dot. §. 1. & §. 4. 5. §. 11. 12. 40. Instit. de rerum divis. §. jus autem civile, Instit. de jure naturali, &c.* Ut jus civile quoque & gentium. Sic enim *in l. quod attinet. 32. ff. de reg. juris*, servos jure civili pro nullis haberi dicitur: cum servitutes tamen jure gentium introductæ dicantur, *in §. jus autem, Instit. de jure naturali.* Hinc aliquando duo tantum juris membra seu genera constituuntur, ut aliud naturale seu gentium, aliud civile habeatur, *§. singulorum, 11. Instit. de rerum divisione.* Aliquando rursus jus gentium & naturale ut diversa ponuntur, ut *in l. si quod, 64. ff. de condict. in deb. l. 1. ff. de just.* Atque ita passim jura ista, eorumque & descriptiones & effectus commisceri videmus. Nec mirum, cum & ipsa ita misceantur, ut raro casus aliquis occurat, qui non & naturali & gentium & civili jure fulciendus aut decidendus inveniatur.

Ut tamen aliqua horum & descriptio & distinctio à nobis tradatur; quod plerique omnes fecerunt jurium interpretes, hic quoque salvo meliore judicio; quid meæ sit opinionis, breviter indicare libet. Meminisse * igitur ante omnia debemus, esse, ut 34 ius descripsimus, naturalia quædam justi atque in justi animis nobis innata & connata principia, quæ sine præceptore ullo aut lege, sine etiam ratiocinatione, quisque sanæ mentis intelligat, & talia esse credat. Talia sunt; honeste vivendum, alterum non lædendum, suum cuique tribuendum, *l. justitia, 10. §. 1. ff. de just. & jure.* periculum atque vim vi repellendam, *l. 4. ff. ad leg. Aquil. cum simil.* Deum colendum, timendum, *Roman. 1.* Hoc est,

est, quod Cicero ait lib. 1. de legibus, summam esse aliquam legem, quæ seculis omnibus ante nata sit, quam scripta lex ulla,
35 aut quam omnino civitas constituta. Ex his * enim animis nostris divinitus insitis principiis, jus omne, seu naturale, seu gentium, seu civile, tanquam fonte profluxit. Nam ut simplices sunt & nudæ juris hæ sententiæ: ita rerum humanarum & negotiorum multiplex varietas his solis adquiescere nequit. Ulterius
36 ergo progreditur, * & vi mentis rationisque varias inde regulas, definitiones, sententias, opiniones, colligit, & tanquam jus suscipit atque concludit. Quæ tamen multum inter se discrepare solent. Quædam enim conclusiones necessario & proxime à primis istis principiis descendunt; ita, ut si maxime non primo aspectu cuilibet pateant, quisque tamen mente integra præditus facili ratiocinatione illa assequi, eodemque cum principiis suis loco æstimare possit. Veluti, neminem cum alterius injuria locupletiorem fieri debere, natura æquum esse colligit, *l. jure naturæ, 206. ff. de regul. jur.* Id enim proxime & necessario ex naturali isto principio promanat, neminem lædendum, suum cuique relinquendum. Quædam * vero conclusiones, non quidem proxime, nec facili ratio-
37 cinatione, tamen & ipsæ necessario ex primis naturæ principiis derivantur.

Veluti, patronis naturali ratione honorem deberi, ait *leg. 2. C. de in jus voc.* Principium enim juris naturæ est, jus suum cuique tribuendum. Ex quo sequitur, benefactoribus gratiam esse referendam, & quia patroni bene de nobis meriti sunt, ideo honorandos. Ita edicti de pactis æquitatem naturalem esse, ait *l. 1. in princip. ff. de pactis*, nihil quippe tam congruum fidei humanæ esse, quam ea quæ inter eos placuerunt servari. Simile est edictum de minoribus, quo Prætor naturalem æquitatem secutus, tutelam minorum suscepit, quia fragile est infirmumque ejus ætatis consilium, & multis captionibus obnoxium *l. 1. in princip. ff. de minoribus.* Natura autem docet, infirmiores adversus injurias potentio-

tentiorum defendendos. Et hujus generis plurima sunt passim per jus universum obvia exempla.

Aliæ * vero sunt rursus conclusiones, quæ ex illis iisdem na- 38
turalibus principiis, sed non tam necessaria, nec non tam evidenti consequentia, colliguntur. Hæ quia sunt probabiles tantum, fieri potest, ut ob rerum multiplicitatem & defectum, humani vero etiam ingenii depravationem, ab jure aberrent quandoque, & injuriam potius quam jus faciant: cum ex principiis illis vere non sequantur, sed sequi tantummodo videantur. His ita præmissis, animoque infixis, facile jam erit, de jure naturali, gentium, & civili æstimare. Quo loco * certissimam aptissimam- 39
que investigandi ac statuendi viam esse opinor, si ex ipso titulo seu appellatione cujuslibet descriptionem accipiamus: & jus * qui- 40
dem divinum esse dicamus, quod Deus; naturale, quod natura; gentium, quod gentes; civile, quod civitates constituerunt. Hæc ne cui brevius aut obscurius dicta videantur, paulo nunc copiosius exponemus. Jus igitur naturale esse dico, primo quidem & maxime proprie, prima illa & ab omnibus hominibus approbata principia; secundo vero etiam illa omnia, quæ ex his necessario atque indubie conficiuntur. Quod vero probabiliter inde & longius descendit, improprie, aut certe non tam merito naturale appellatur. Hoc jure constant matrimonia, libertas, procreatio liberorum & educatio, defensio adversus vim & injuriam; & ideo, quod mirabere forsan, bella * etiam ex parte; quatenus 41
nimirum defensionem naturalem præ se ferunt. Si enim privatim cuilibet periculum arcere jus naturæ permittit, multo magis idem publice universis facere licebit. Hoc * jus, quamvis soleant 42
nobis ingerere quandoque legumlatores, animis nostris inscriptum est, & sine lege omnibus servandum. Imo vero, ut prædictum, nihil contra hoc jus Imper. aut alius, cui legis ferendæ potestas, statuere potest. Neque enim matrimonia, liberorum educationem & procreationem, defensionem, aut similia, quisquam prohibere vel repudiare potest. Loquor de jure naturali.

M Perin-

43 Perinde * & gentium jus rectissime ita definietur: quidquid publicus omnium gentium consensus pro jure recepit atque probavit. Sic enim & *§. jus autem civile, Instit. de jure naturali*, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, quodque apud omnes peræque custoditur, jus gentium esse ait, quasi quo omnes
44 gentes utantur. Hinc * primo apparet, qua ratione & quomodo sæpius idem jus & naturale & gentium appelletur. Multa enim imo pleraque omnia naturæ jura gentium quoque consensus necessario probavit: Hinc enim depositæ rei restitutionem juris naturalis esse, ait *cap. jus naturale, distinct. 1.* & vere quidem ait. *At §. jus autem, Institut. de jure naturali*, ex jure gentium hoc ortum dicit. Ita pietatem in Deum, patriam, parentes, juris gentium esse, ait *lex secunda, ff. de justit. & jure*, quæ jure tamen naturali hominis animo insita fuerunt, antequam gens ulla esset. Jus postliminii moribus ac legibus inter populum Romanum & liberos populos constitutum, & tamen naturali jure introductum, ait *lex postliminium, 19. in princip. ff. de captivis.* Ita Cicero, lib. 1. *Tusculan. quæst.* omni in re consensionem omnium gentium legem naturæ putandam ait. Hinc dominium rerum aliquando jure naturali, ut *in leg. rebus 30. circa med. Cod. de jure dot.* aliquando jure gentium constare dicitur, *leg. 1. in princip. ff. de adquir. rerum dom. §. singulorum, Institut. de rerum divisione.* Talia vero rectius à potiore & antiquiore causa naturalia nominari, quam gentium, vel inde patet, quod quæ natura constituit, jura ejusdem precii manerent, si maxime omnes gentes dissentirent.
45 Proprie igitur * jus gentium illas appellari conclusiones ajo, quas ex prioribus istis communis & publicus gentium consensus collegit, ita ut ab eo etiam consensu & ortus earum dependeat & interitus. Talia sunt pleraque, quæ in cap. *jus gentium, dict. distinction. 1. & in leg. ex hoc jure*, enumerantur: bella nimirum, quatenus defensionem naturalem excedunt, gentium discrimina, regnorum conditio, dominiorum distinctio, termini agrorum, ædificationes, commercia, emptiones, venditiones, locationes, conductio-

ductiones, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, induciæ, jus legatorum, &c. Hæc consensu publico recepta nemo ignorat; eadem * tamen, quamvis ratione naturali pleraque sint in- 46
troducta, gentium juris potius, quam naturalis censenda inde conficitur, quod, uti dictum, ab gentium magis consensu, quam natura dependent. Itaque pleraque istorum nata sunt primum, cum jam longissimo tempore homines & jus naturale fuissent: aliqua per multas ætates pro jure habita, eodem, quo cœperunt gentium consensu, ceciderunt, & adhuc salvo jure naturali intercidere possunt. Ut quædam injuriæ, magis quam juris speciem obtinere, & eo juri naturali originem suam imputare haud posse, prætermittam. Gentium enim discrimina, agrorum distinctiones, urbium ædificationes, regna, & similia, multis pleraque ætatibus post homines natos esse cœperunt. Venditionem etiam illam & emptionem, quæ nummo interveniente fit, recentiorem esse, & antea permutatione tantum gentes uti solitas, ex antiquioribus Scriptoribus colligi potest: & *fac. §. item precium, 2. Institut. de emptione & vendit.* Ita servitus illa prædura apud complures ex humanioribus gentibus penitus est antiquata, & omnino antiquari posset. Et alia * multa juris gentium opus non essent, 47
si secundum naturam pie, honeste, sobrie, moderate, vivere vellemus. Plurima enim juris gentium nituntur quidem aliqua æquitatis, aut juris naturalis ratione: si rectius tamen inspicias, & quid à nobis Deus & natura requirant, animo perpendas, nec Deo magnopere placere, nec naturæ convenientia esse, & propter humani ingenii mentisque depravationem tolerari ab istis magis quam probari, invenies. Quædam certe nullo jure defendi possunt: & ab gentium magis communi errore, quam jure aliquo introducta, constat. Tale fuit olim jus plures colendi Deos, & jus polygamiæ, & concubinatus, à plerisque tum gentibus recepta. Tale est jus servitutis & mancipiorum illud, quo vitæ necisque domino est in servum, aut alia immodica potestas, *leg. si quod, 64. ubi Bart. ff. de condict. indebi.*

48 Tale eſt non * modica pars juris bellici: quod licet ex parte etiam jure naturali nitatur, plerumque tamen exceditur, multaque contra naturam, contra fas & æquum ſub juris hujus ſpecie perpetrantur, *fac. §. jus autem. Inſtitut. de jure naturali.* Ita de ſtipulationibus, & aliis obligationum generibus, Seneca *lib. tertio, de beneſic. capit. decimo quinto*, perpulchre: utinam, inquit, nulla ſtipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impreſſis ſignis cuſtodirentur, fides potius illa ſervaret, & æquum colens animus. Sed neceſſaria optimis prætulerunt, & cogere fidem quam ſpectare maluerunt. O turpem humani generis fraudis ac nequitiæ publicæ confeſſionem, annulis noſtris plus quam animis creditur. Et de jure gentium hactenus.

Ex iisdem vero quid jus civile ſit, quisque facile æſtimare
49 poteſt, Jus * enim civile eſſe, quod quisque populus vel quæque civitas ſibi proprium divina humanaque cauſa conſtituat, ait capit. *jus civile, d. diſt. 10.* Item, quod quisque populus ipſe ſibi jus conſtituit, jus eſſe civile, ait, *l. omnes populi, 9. ff. de juſtit. & jure, §. 1. Inſtitut. de jure naturali.* Scire autem debemus, in quolibet fere civili jure, & maxime in Romano multa de jure naturali, multa de jure gentium, ita proprie dictis, extare: aliquando etiam quæ ſunt juris naturæ aut gentium, jus civile vocari, ut *in l. quod attinet, 32. ff. de regulis juris:* illa vero non proprie jus civile vocari. Jus enim civile illud eſt proprie tantum, quod præter naturalia & gentium jura, ita ſibi populus proprium fecit, ut ab eodem & ortus pendeat juris illius, & finis. Exempla ſunt obvia paſſim. Nunc quid jus naturale, quid gentium, quid civile ſit, dictum eſt.

50 Itaque, ut ad propoſitum revertamur, gentium * quoque jure Principem haud ſolutum pronunciant plerique Doctores: ut illi, quos ſupra, cum de jure naturali agebamus, allegavimus, & de quibus P. Anton. de Petra, *in d. tractat. de jure quæſito non toll. capit. 3. quæſtion. 3. numer. 75. usque ad fin. capit.* Non dubie autem illud iſti omnes ea tantum affirmant, qua jus gentium pars eſt

eſt aut ſpecies quædam juris naturalis. Eo quippe caſu jure gen-
tium Principem ſolutum nego. Quoniam vero & illa jure gen-
tium conſtare docui, quæ ab gentium magis conſenſu, quam ipſa
rerum natura ſunt introducta, ſequitur, ut non utique ſimpliciter
his & indiſtincte Principem ſubjectum affirmare poſſim. Ut enim
plurima, ratione ſic naturali monente, gentium unanimis conſpi-
ratio ſancivit: ita quædam ſpecie veritatis & rationis naturalis de-
cipiente, errore magis publico, quam jure æquo & laudabili, im-
pulſæ gentes probarunt. Hinc omni quidem in re conſenſionem
omnium gentium legem naturæ putandam, Cicero ait. Sed id
tunc ſolum verum puto, cum naturam rectam, cujus ſemina ge-
runt, ſequuntur. Quod ſi contra naturam aliquid ſtatuant, quam-
vis omnium concurrat gentium & populorum conſenſus, natu-
rale illud nunquam putabo. Ut igitur quid res ſit protinus ape-
riam, quidquid naturam ſequendo gentium jura præſcripſerunt,
Principem quoque, tum naturali lege cogente, tum publico con-
ſenſu ſuadente, ligare ajo. Quod ſi vero aliquid contra naturam
qualiscunque conſenſus introduxit, hic ego adeo Principem ſolu-
tum pronuntio, ut ſi quidem poſſit, non ipſe tantum hoc jure
non uti, ſed & alios uſu illius prohibere debeat. Verbi cauſa,
ſervitutes gentium jus introduxit, *l. 4. ff. de juſtit. & jure, l. 1.* 51
§. 1. ff. de his, qui ſui vel alien. jur. ſunt, idque contra naturam,
cum jure naturali omnes liberi ſimus, *d. l. 4. Inſtitut. de libertin.
in princip.* Loquor autem nunc non de illa ſervitute, quæ ſubje-
ctio magis eſt quam ſervitus, & imperio continetur, non domi-
natione; qua etiam nihil in rebus humanis utilius eſt magisve ne-
ceſſarium: Sed illam hic arguo ſervitutem, qua hominem domi-
nio tanquam rem brutam poſſidet homo, idemque in illum pla-
nè, quod in iſta, jus ſe habere credit, *d. l. 1. §. 1. ff. de his, qui ſui
vel alien. jur. ſunt.* Talem ego ſervitutem contra divina & natu-
ralia jura, impiam eſſe & violentam ajo; & ideo, quod inter ple-
rosque Chriſtianos & humaniores populos jam pridem cœpit,
arg. d. l. 1. §. 2. ff. d. t. à Principe negligi optimo jure poteſt, imo

 aboleri,

52 aboleri, quoad ejus fieri poteſt, oportet. Ita plerisque * populis, quod armis partum eſt, jure belli teneri, videtur. Ego vero jus tale ſine alio jure nil niſi ſummam injuriam æſtimo. Nulla enim ratione niſi vi & potentia, nititur. In quam ſententiam Athenienſes apud Thucydidem, *libr. 1. de bello Pelopon.* ſemper itamoris fuiſſe ajunt, infirmiorem ſubigi à potentiore: *& libr. 5. ibidem,* notiſſimum eſſe putant, ſic inter homines eſſe comparatum, ut æquis quidem viribus inſtructi de jure diſceptent, valentiores autem, quæ fieri poſſint, injungant, & inferiores non detrectent. Quomodo & Lyſander Lacedæmonius, Argivis de finium jure diſceptantibus, enſe ſtricto: Qui hoc, inquit, ſuperior eſt, is optime de finibus diſputat. Idem proverbia etiam (voces enim ſunt iſta & ἀξιώματα quædam populi) oſtendunt: Dii fortioribus adſunt; Wer ſtårcker iſt / ſchiebt den andern in Sack; & ſimilia. His autem & hujusmodi juribus, licet ab omnibus gentibus approbentur, Principem tanto magis ſolutum pronuntio, quanto magis juſtitia jusque verum & naturale ipſi defendenda ſunt provehendaque. Et hæc de gentium quoque jure.

Quamvis autem jure poſitivo Principem ſolutum ſupra dixerim, & ſerio quidem dixerim; tamen ne hoc quidem ſimpli-
53 citer & ſine diſtinctione accipiendum erit. Jure * enim poſitivo, quod ratione vel æquitate naturali nititur, Principem ſolutum negant Abbas, *in capit. quæ in Eccleſiarum, de conſtit. & in capit. per Juris, colum. 10. de arbitr. Baldus in l. 2. quæſtion. 8. Cod. de ſervit. & aqua, & in conſil. 345. colum. 2. Lib. I. & in capit. 1. §. fin. qui feuda dare poſſ. Felinus in capit. ad audientiam, 2. numer. 4. ver. bene fateor, de reſcript. Ripa in l. quo minus, colum. 3. ff. de flumin. Roland. à Valle, conſil. 9. libr. 2. Calcan. conſil. 80. colum. 3. poſt. med. ver. & eodem modo, Jaſon, in l. 1. in princip. numer. 3. ff. de pactis, Hyppolit. in pract. crimin. §. ſequens, numer. 29. Cravetta de antiquit. temporum, part. 1. in princip. numer. 46. & ſequent. Covarruv. libr. 3. variar. reſolut. capit. 1. numer. 8. C. Tapia, in rubr. Dig. de conſtitut. Princi. capit. 1. numer. 39. Jac. Menochius de arbitr. jud. lib.*

lib. 1. quæstion. 7. num. 71. P. Ant. de Petra, in d. tractat. de jure quæsito, capit. 3. quæst. 3. num. 78. & seqq. & capit. 24. num. 93. & seqq. & plerique alii. Idque confirmant etiam passim leges atque textus ipsius juris civilis. Sic enim in omnibus rebus præcipuam esse debere justitiæ æquitatisque, quam stricti juris, rationem, ait *l. placuit, 8. C. de judic. & fac. l. filio, 17. ff. de injusto rupt. irrito fa. testam. l. 1. §. 1. ff. de doli mali & metus except.* Semperque jus naturale majoris est ponderis quam civile, *l. penultim. in princip. Cod. de adoption. l. non putavit, 8. §. si quis, 7. ff. de bon. possess. contra tab.* & sufficere aliquid ex naturali justitia firmari, sine constitutione Imperatoris, docet *l. scire, 13. §. si enim, 7. ff. de excus. tutor. & fac. l. 2. ff. unde cognati.* adeo ut licet nihil sit facile mutandum ex solennibus juris, tamen ubi æquitas evidens postulat, subveniendum sit, *l. penultim. in princip. ff. de in integr. restitut. l. etsi nihil, ff. de regul. jur.* & injuria fieri dicatur, si denegatur, quod jus & æquitas dari suadet, *l. 1. §. penultim. ff. de aqua quot. & æstiv.* legum enim conditores æquitatis convenit esse fautores, *l. 8. Cod. de pactis.*

Æquitas * autem ex natura originem trahit, *l. 1. §. 1. ff. de doli mali & metus except. l. 2. ff. unde cogn. l. eas, 8. ff. de capite min. l. in ambiguis, 85. §. 2. ff. de regulis juris,* ac proinde nihil aliud est quam ratio naturalis, *d. l. in ambiguis, l. cum ratio, 7. ff. de bonis damnat.* Sed & ipsum jus civile ratione fere naturali momente constitutum est, *fac. l. 2. ff. unde cognati, l. & si, 14. §. hac actio, 6. ff. de religios. d. l. cum ratio, 7. in princ. l. fin. in fine C. de periculo tuto. l. 1. C. quæ res pign. dari non pos.* Naturalia certe jura civilis ratio corrumpere non potest, *l. eas, 8. ff. de c. mi. l. 2. ff. de usufruct. earum rerum, &c.* Quæ omnia Principem etiam circa jus civile seu positivum rationi naturali obnoxium subditumque esse demonstrant. Quo faciunt illa omnia, quibus Principem jure naturali solutum non esse, paulo antea ostensum est. Unde ubicunque æquitas vel ratio naturalis invenitur, etiam in jure civili & positivo Principem teneri, sequitur. Principem igitur posse civilia 54

vilia jura tollere, quando velit, dum non offendat in legem Dei vel naturæ, probat And. de Iſernia, *in capit. naturales, num. 1. in fi. ſi de feu. defuncti. per gloſ. in l. fin. C. ſi. contra jus vel util. publ. & l. cum lege, §. idem Pollioni, ff. de adult.* Legem enim fundatam naturali ratione æquari juri naturali, ait Curt. Juni. *in l. in princ. num. 10. & ſeq. ff. quid quisque jur.* per communem opinionem Dd. *in l. venia, Cod. de in jus voc. ut allegat P. Anto. de Petra in d. quæſt. 3. n. 83.* In quam ſententiam etiam Baldus, *in conſ. Pridie enim. 327. num. 2. in fine, & num. ſeq. part. 1.* Principem ait eſſe creaturam rationabilem, habentem poteſtatem ſupremam, qui tamen, quatenus eſt rationabilis, debeat obedire rationi, *per*
55 *not. in auth. de Monachis, in princip.* Equidem * ſuperfluam hanc doctrinam, qua legibus naturali ratione ſubnixis Principem teneri dicimus, eſſe ait Ar. Pinelus, *in rubr. de reſcindenda ven. capit. 2. num. 11.* Omnes enim leges tali fundamento nixas præſumi, multasque difficultates ſequi, dum de legis fundamento ambigitur inquit. Hæc ille contra rationem iſtam non ſine ratione argumentatur. Si enim omnes leges jure naturali conſtant, ne jure quidem poſitivo Princeps ſolutus, & ita inane privilegium præſens videbitur: ſin aliquas tantum eo jure niti dixeris, quo diſcrimine illas diſtinguere, quo ſigno agnoſcere conveniat, diffici-
56 le dictum erit. Hic igitur, * quod ante monuimus, in memoriam revocare oportet, quamvis omnia jura ex naturalibus juſtitiæ æquitatisque principiis naſci quodammodo deceat: alia tamen ex his neceſſario & per ſe ſequi, alia hominum voluntate atque judicio ex illis derivari. Quæ per ſe ſequuntur & neceſſario, ab omnibus ſanæ mentis, etiam quibus nulla eſt juris noſtri notitia aut reverentia, intelliguntur, & tanquam juſta recipiuntur. Quæ hominum arbitrio ex naturali jure probabili quadam conſequentia & argumentatione aut imitatione aliqua deducuntur atque firmantur, non utique ab omnibus intelliguntur, nec omnium etiam calculo probantur; pro jure autem ab his tantum, qui imperio parent, recipiuntur. In jure igitur civili noſtro & legibus Romanis

ıis triusque generis constitutionum magnum numerum invenies. In quibus quæ * prioris sunt generis, quanquam juri quoque ci- 57
vili inserantur, tamen perinde Principes, ut privatos, obnoxios enent. Velut, de pactis plurimæ extant leges juris civilis: & hæc ervanda Prætor decernit, *in leg. juris gentium, 7. §. ait Prætor, 7. f. de pactis*, hujus vero edicti æquitatem naturalem esse, ait *lex 1. n princip. ff. eod. titul.* Et Princeps igitur pacta servare tenetur, ion legis aut Prætoris jussu, sed æquitate naturali. His autem, uæ ab hominum arbitrio pendent, juribus, cum ille sit legis lator, oque illa etiam omnino abrogare ex justa causa possit, non perıde obnoxium Principem ajo. Sunt item pleræque leges juris ivilis, quæ partim naturali, partim civili ratione constant. In is ille modus est servandus, ut illi parti subjectus sit Princeps, huic on sit. Ita defensionem juris positivi Principem tollere posse, efensionem juris naturalis non posse, supra numero trigesimo ocui. Quod si separari nequeant, & vel servare utrumque, vel trumque negligere necesse sit, juri naturali standum ajo. Hoc ıim prævalere civili paulo ante ostensum est. At major quæstio ıinorem causam ad se trahit, *l. per minorem, 54. ff. de judic. l. in m. 23. §. in omnibus, 4. ff. de rei vindic.* & majus lumen obfuscat ıinus, digniusque trahit ad se minus dignum, *c. quod in dubiis, de nsecr. Ecclesiæ, & cap. unico, eod. tit. in sexto, leg. ultim. ff. de offic. oconf. Jason, in leg. imperium, nume. 3. ff. de jurisdict. om. judic.*
t quomodo * agnoscam, inquis, quæ leges vel jura suapte na- 58
ra, & quæ hominum judicio ex naturalibus præceptis descennt? Equidem hæc alibi plenius tradam: hic tantum accipe. :raque sunt jura, quæ naturalia & necessaria esse, ipsa te ratio turalis docet: consensus etiam hominum, qui id naturali jure tum esse pro certo habent, idem tibi confirmat. Sunt item non uciora, quæ juris esse civilis & positivi eadem ratione facile noſces. Illa tibi non parum proprietas ista monstrabit. Natuia quippe, perpetua & immutabilia; positiva, temporanea, muıilia, & mortalia esse, supra dixi. Itaque si cujus legis vel ju-

ris initium videris, positivum credito. Quod si quæ vero sint, de quibus certum statuere non possis, de illis certus esto, ea non magna ratione naturali niti. Magnum est enim naturæ lumen,
59 quod omnibus nisi cæcutientibus lucet. Talia * interim, ne privatis ista & unicuilibet committantur, eoque magna fiat perturbatio, Principum justitiæ, conscientiæ, pietati, ut cætera juris positivi, relinquimus. Hi enim se legibus quidem talibus à pop. R. solutum vident, tanta tamen libertate summa cum moderatione, sese usuros optimi Principes profitentur : ut postea audiemus. De his igitur optima nobis polliceamur, & harum rerum arbitrium illius potestati committamus; cui majora longe, ipsamque adeo
60 Rempubl. credidimus. Loquor * autem hic de Principe, qualis de jure esse debet & solet, non de illis, quos de facto aliquando ab irato numine immissos, ut imbres, ut sterilitatem, ut terræ motus, & alias pestes, tanquam peccatorum nostrorum & scelerum pœnas, merito nostro ferre patienter debemus. Hi quidem cum Anton. Heliogabalo, quod libet licere putant: at illi cum Ausonio sentiunt: *Quanto plus liceat, tanto libeat minus.* Sed de his infra plura. Nunc quomodo legibus positivis, quæ ratione naturali subnixæ sunt, Princeps obligetur, dictum est.

Sunt & alii casus, in quibus jure civili Principes vivere justitia atque honestas jubent: qui quidem exempla magis præceden-
61 tium seu species quædam dici possunt. Sic enim * quando tertii præjudicium agitur, Princeps hoc jure simpliciter non fruetur. Etsi enim supra jus positivum sit, tamen ubi agitur de præjudicio alterius, non potest contra jus illud disponere, nec unquam occasione juris civilis alterum lædere, aut suum cuiquam auferre. Juris enim nostri principium est, juris naturalis regula, neminem lædendum, & suum cuique tribuendum. Hac lege nec Princeps, nec alius quisquam solutus invenitur. De quo cum infra *lib. 3. cap. 5. numer. 32.* pluribus dicturi simus, in præsentia aliquid addere supersedebo. Ut de illo quoque, an Princeps suis & antecessorum

:essorum contractibus, pactis, conventionibus teneatur: de quo :opiose agemus infra *lib. 3. cap. 8.*

Rei bonique publici * præcipuum esse in plerisque negotiis 62
nomentum, nemo ignorat. Jus itaque positivum super hoc fun-latum non posse Principem tollere sine causa, docet Felinus in *c.* *ıd audientiam, colum. 3. in fine. de rescript. & alii, quos allegat P. Anton. de Petra, in tract. de jure quæsito, non toll. per Princip. cap. 28. ıum. 86.* Sed & universe publicum bonum Principem obstrictum enet, tanto magis, quanto hoc ipsum ad nullius amplius, quam ıd Principis pertinet curam. Salutem enim Reipub. tueri nulli nagis convenit, nec alius ei sufficit, quam Cæsar, *l. 3. in princip. ff. de officio præfecti vigilum.* Unde etiam Adrianum Cæsarem in :oncione & Senatu sæpe dixisse; ita se Remp. gesturum, ut sci-et populi rem esse, non propriam Spartianus in vita illius affir-nat. Et quod communiter omnibus prodest, subjectorumque :ommoda, rei suæ privatæ Princeps præferre dicitur *in l. unica, in ine, ubi gloss. in C. de caduc. tollen.* Itaque contra publicam utili-atem, neque si cæleste proferatur oraculum, sive annotatio sit, ive pragmatica sanctio, nullam excusationem admitti, ait *l. jube-nus, 10. Cod. de S. Eccles. & l. ult. Cod. si contra jus vel util. public.* ‹ militem procuratorem ne ex sacro quidem rescripto agere pos-e, utilitate scilicet publica non permittente, ait *lex. 7. Cod. de rocurat.*

Nec enim publico juri rescripta obsistere debent, *l. 5. C. de peribus public.* Hinc adeo à camparatione specierum nec Princi-ıis domum excusari dicit *l. unica, C. ut nemini lic. in empt. specie-um, &c.* & si in Cæsaris possessione thesaurus fuerit repertus, di-nidiam partem fisco vendicari, ait *l. 3. §. penult. ff. de jure fisci.* Ob hæc * in ea, quæ publici sunt juris, & propria imperii, nullam 63
Princeps potestatem habere creditur, nec alienationes aut quidvis lliud in præjudicium regni & contra honorem coronæ facere: ut estatur Abbas Panorm. *in cap. intellecto, de jurejurando, & gloss. in auth. quomodo oport. Episc. in princip. in ver. Conferens generi,*

N 2 *Bartol,*

Bartol. in l. prohibere, 3. §. plane, ff. quod vi aut clam. Bald. in praelud. feud. in 1. divis. & in proœm. Dig. de novo Cod. comp. Isernia, in rubr. quae sint regalia, colum. 3. & in cap. 1. in ult. addit. num. 14. de capit. Corradi, Cardin. cons. 137. num. 9. vers. Item, etiamsi non jurasset. Jason, in consil. 1. colum. ult. in fine, volum. 1. Castrens. in consil. quia frustra, 70. colu. ult. par. 1. Chassan. in Catalogo gloriae mundi, par. 5. consid. 19. & alii. de quo alibi accuratius.

64 Quibus * cohaerent antiquae & à majoribus per manus traditae semperque observatae regni seu imperii consuetudines; quibus & ipsis Principem ligari, respondit *Curt. Sen. cons. 51. colum. 12. in fine,* quem allegat & sequitur Jacob Menoch. *de arbitr. jud. quaest. 71. numer. 14.* Equidem consuetudines subditorum Principem non ligare ait Baldus *capit. primo, circa fin. & ibi Felin. numero trigesimo, de constitut. Cardin. Flor. consil. 2. circa statutum, Roch. Curt. repetit. cap. fin. numer. 648. & seqq. de consuetud. quos allegat & sequitur L. Schraderus tract. feud. par. 2. partis nonae, sect. 3. quaest. 6. numer. 144. ut & Joh. Fabri, Institut. quibus modis testament. infirm. §. eodem, numero tertio,* eo argumento, quia Princeps sit legibus solutus, & consuetudines sint leges, *Institut. de jure naturali, §. ex non scripto.* Contra tamen legem consuetudine approbatam, non tolli per rescriptum etiam proprio motu latum, ait gloss. *in leg. unica, Cod. de collat. don. Lib. X.* & in eo, quod est relictum Imperatori, habere locum jus municipale, ait Bald. *in leg & in legatis. Cod. ad leg. Falc. per cap. Raynutius, de testam.* Sed
65 cum ut legum * & jurium, ita consuetudinis sit multiplex varietas, imo consuetudo nihil sit aliud, quam lex seu jus non scriptum, de illa idem omnino, quod de his, judico statuendum. Itaque etiam consuetudinem, ut jus positivum, in manu esse Principis aestimo; quod si tamen consuetudo multum ex jure naturali, aut gentium, vel simili, trahat, Principem hac quoque non perin-
66 de solutum reor. Jus * vero gentium & ratio naturalis hoc docet, ut jura & consuetudines regnorum & imperiorum, quae quidem longissimo tempore usurpatae sunt, formamque & statum illorum

orum continent, in ipsum quoque Principem valeant. Et ita entiunt Baldus *in auth. omnes peregrini, Cod. communia, de successión. ocin. consil. 58, in princip. lib. 3. Tiraq. de utroque retract. par. 1. §. .gloss. 13. numer. 39. & alii, quos allegat id. Schrad. d. loco, num. 50.* Quæ confirmat, quod juribus istis & consuetudinibus Princeps in ipsa coronatione seu acceptatione electionis, partim exresse, partim tacite se obligare videatur.

Et quid multa? Quanquam * legibus Principem populus 67 omanus solverit, ipse tamen huic privilegio expresse & minime mbigue renunciasse, legibusque illis iterum se sponte sua subjesse, invenitur. Ita enim Alexander Imper. *in leg. 3. Cod. de teamentis,* licet, inquit, lex imperii solemnibus juris Imperatorem lverit, nihil tamen tam proprium est imperii, quam legibus viere. Et Justinianus *in* §. *fin. Instit. quibus modis testam. infir.* liet legibus soluti simus, ait, attamen legibus vivimus. Sic heodosius & Valent. Impp. *in leg. 4. C. de legibus:* Digna vox t, majestate regnantis, inquiunt, legibus alligatum se Principem rofiteri. Adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, & vera majus est imperio submittere legibus Principatum. Et aculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis incamus. Sic & *leg. ex imperfecto, 22. de leg. 3.* Ex imperfecto stamento legata vel fidei commissa Imperatorem vindicare, inrecundum est; decet enim tantæ majestati eas servare leges, ibus ipse solutus esse videtur. Ita in *auth. ut determinatus sit umerus, &c.* §. *illud quoque, ver. in aliis autem omnibus.* Nosque si, ait Imperator, cavebimus tale aliquid agere. *Et in authent. medio litis, &c. §. ut autem omnis, in fin.* Secundum leges se t custodire imperium. Quas ob res rescripta quoque sua legius communibus & positivis subjiciunt Impp. *l. quisquis, 16. in ie, Cod. de Episcop & Cler. l. militem, 7. Cod. de procurator. l. omnes, 1. l. quotiescunque, 17. l. omnes, 43. Cod. de decurionibus, Lib. X. l. ica, Cod. de Senatusconf. l. quicunque, l. 3. Cod. de fundis patrim. ib. XI. l. penult. C. de aqua duct. lib. eod.* & Princeps id se velle

oſtendit, quod leges volunt, *authent. de judicibus, §. omnis, l. ſi quando, 35. in princ. Cod. de inoffic. teſtament.* Hæc ut facerent,
68 ratio * atque æquitas naturalis, juſtitiæque & honeſtatis amor, optimis Principibus perſuaſit. Itaque dignam ajunt eſſe vocem regnantis majeſtate, legibus allegatum ſe Principem profiteri: & majus eſſe imperio, legibus ſubmittere Principatum. Multo enim majorem eſſe potentiam, quæ à jure & legibus modum accipit, quam quæ libidine licentiaque in immenſum effertur, infra lib. 3. cap. 4. oſtendam. In quam ſententiam *d. l. 3. C. de teſtam.* nihil tam proprium eſſe imperii, quam legibus vivere, ait: & *d. l. ex imperfecto, 23.* verecundiam hoc decoremque hortari dicit. Quo-
69 modo etiam * *cap. 2. diſt. 9.* juſtum eſt, inquit, Principem legibus obtemperare ſuis: tunc enim jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet. Juſta eſt enim vocis eorum auctoritas, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur. Levius quippe & rarius eſt, ſua decreta tollere, quam aliorum: ut ille apud Livium ait. Nam ut gloſ. ult. *in extrav. de dolo & contum.* ait, alias Principes de numero illorum futuri ſunt, de quibus Dominus in Matthæo loquitur: dicunt, & non faciunt: & aliis gravia onera imponunt, digito autem ſuo nolunt ea movere. Neque eſt fere majus in utramque partem momentum, quo obedientes ſubditos legibusque parentes, aut contra rebelles, vel certe negligentes, Princeps efficere poſſit, quam ſi quæ illos aggredi ac facere velit, ad ea ſe Ducem ac Principem præbeat. Nomen hoc ipſum admonere debet, ut re ipſa Princeps conſpiciatur. Nam ut Poëta ait:

——————non ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.

Et vulgatum eſt, qualis Rex ſit, talem eſſe gregem. Verum igitur eſt, quod apud T. Livium lib. 26. Lævinus Cos. ait: ſi quid injungere inferiori velis, id prius in te ac tuos, ſi ipſe juris ſtatueris, facilius omnes obedientes habeas, nec impenſa gravis eſt, cum ex ea plus, quam pro virili parte ſibi quemque capere Princi-
pum

ɔum vident. Hoc Cyrum olim * inclytum Perſarum Regem fe- 70
ciſſe, & quæ ſubditos facere volebat, Principem ante omnes ca-
ɔeſſiſſe, eoque brevi in mores ſuos omnes Perſas formaſſe, Xeno-
ɔhon ſcribit. Idem de Ageſilao Lacedæmonio prædicat ille, ad-
ciens: Τὶς γὰρ ἀν' ἠθέλησεν ἀπειθεῖν, ὁρῶν τὸν Βασιλέα πειθόμενον, τίς δ' ἀν
γάμενος μειονεκτεῖν, νεώτερόν τι ἐπεχείρησε ποιεῖν, εἰδὼς τὸν Βασιλέα νομί-
ως καὶ τὸ κρατεῖσθαι φέροντα; Et in Hipparchicos nulla re magis con-
emptum ſuorum (quo nihil gravius aut pernicioſius Imperanti-
us) Principem effugere poſſe, quam ſi quæcunque illis præci-
iat, præclarius ipſe præſtare conſpiciatur. Imo in libr. 4. de dictis
: factis Socratis, hanc inter cætera Regis & Tyranni differentiam
onit, quod ille ſecundum leges, hic pro lubitu civibus imperent.
aque legum Romanarum præcipuum ſanctorem Servium Tul-
um fuiſſe, quis etiam Reges obtemperarent, Tacitus ait libr. 5.
nnal. Quæ ipſa præclare Auguſtum Cæſarem Mœcenas monuit,
t refert libr. 52. hiſtor. Roman. Dion. Caſſ. cujus verba, & qui-
em latinè hic adjicienda putavi: Ea, inquit, dices ac ages, quæ
ntire ac facere præfectos tuos velis; id enim facilius eos officium
um docebit, quam metus legum: cum alterum imitatione con-
et, alterum timore: ac facilius meliora imitentur homines, cum
in re ipſa conſpiciant, quam pejora vitent, verbis ea prohibi-
audientes. Ipſe igitur omnia ſumma cum diligentia ages; ni-
l tibi ipſi ignoſces: ſed certum hoc habens, omnia tua dicta ac
cta ſtatim omnibus nota futura. Vives enim velut in quodam
eatro orbis terrarum; nec fieri poteſt, ut vel minimum pecca-
m tuum lateat: nihil enim ſine arbitris, ſed ſemper in magna
ɔminum multitudine ages: & perſcrutari acta Principum omnes
ɔmines libentiſſime ſolent. Qui ſi ſemel compererint, te alia
is præcipere, alia ipſum agere, non jam minas tuas metuent,
l facta imitabuntur. Hæc ille Auguſto. De Catone Majore T.
vius libr. 34. ſcribit, in neminem omnium gravius ſeveriuſque,
ıam in ſemetipſum imperium exercuiſſe, parſimonia, & vigiliis
labore; cum ultimis militum certaſſe, nec quidquam in exer-
citu

citu suo præcipui, præter honorem atque imperium, habuisse. Ita quia vetere senatus consulto, & more etiam majorum quæstio in caput domini prohibeatur; quod tamen necessarium quandoque & utile videbatur: Augustus Cæsar, ut & Tiberius postea, circumvenire legem illam commento aliquo quam tollere maluerunt. Servos enim illos actori publico, aut sibi ipsis vendi voluerunt, ut ita salva lege, tanquam ex alienis de domino quæri posset: ut Dion. libr. 55. & Tacitus lib. 2. annalium scribunt. Tiberium, quamvis cætera sævum, lætatum tamen idem Tacitus scribit, cum inter filios ejus & leges Senatus disceptaret: & victam quidem legem, sed neque statim, & paucis suffragiis; quomodo etiam cum valerent, leges vincebantur. De eodem idem lib. 4. annal. Si quando cum privatis disceptaret, forum & jus, sc. valebant. Antoninum Pium Imp. sibi & filiis honores petentem, omnia quasi privatum fecisse, Julius Capitolinus auctor est. Et Tacitum Imperatorem servos urbanos omnes manumisisse, intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur, scribit in vita ejus Fl. Vopiscus. Ita Alexandrum Severum Imperatorem leges ipsum diligentissime servasse, Lampridius in illius vita scribit; prorsusque censuram suis temporibus de propriis moribus gessisse: imitatos itaque eum magnos viros, & uxorem ejus matronas pernobiles. Idem & alios Reges legumque latores fecisse passim exempla habemus. Notæ sunt historiæ Zaleuci, Charondæ, Dioclis, Manlii, qui legum ab se conditarum auctoritatem suis & suorum suppliciis sanxisse leguntur. Quod fecisse etiam Canutum Daniæ Regem, prodidit Alb. Crantius lib. 4. Daniæ, cap. 28. Quæ omnia, ut optimos quosque, ita inprimis Romanos Principes, legibus se communibus sponte subjecisse ostendunt.

Quod non eo accipi tamen velim, quasi hac via penitus in ordinem cogere, omninoque cum cæteris, tam imis quam summis, æquare Principes rei Romanæ velim. Nam licet ipsos se legibus subjicere, legibusque vivere velle, hactenus dicta evidenter commonstrent; cum modo tamen ista & ratione certa accipienda cer-

la certum est. Iidem * enim, qui se legibus victuros pronunciant, 71
non raro se iisdem solutos re ipsa expressisque casibus demonstrant. Hinc Jmp. *in d. ultim. Institut. quibus mod. testam. infir.* Licet legibus soluti simus, inquit, tamen legibus vivimus. Legibus se vivere ait, & tamen legibus solutum pronuntiat. Quamvis item Principes quidam hoc fecisse inveniantur, non tamen potuerunt illi successoribus suis præjudicare, aut jus, quod illis ex lege regia competit, abolere. Quod sentientes Impp. *in d. l. 4. C. de legib.* quæ nobis licere non patimur, aliis indicamus ajunt, *non præcipimus:* cum par in parem imperium non habeat, ut glossa ibi, notat. Quomodo igitur Principes legibus solutos, & tamen legibus vivere dicemus? Distinguit circa * ista Felinus *in capit. 1.* 72
colum. 10. de constit. ex Thoma Aquinate, *in prima secundæ quæst. 96. argument. 6. ut & gloss. ultim. in extravag. unica, de dolo & contum.* legis esse duplicem rationem, quod sit regula humanorum actuum, & quod habeat vim coactivam. Ideo legi quoque dupliciter aliquem subjici posse: Primo, ut regulatum regulæ: Secundo, ut coactum cogenti: & hoc modo virtute præditos non subjici legi, sed solos malos. Principem igitur legibus solutum quoad vim coactivam legis; nullum enim propriè cogi à se ipso: & legem non habere vim cogentem, nisi ex Principis potestate. Ita ergo Principem non dici lege solutum, quia in ipsum nullus possit judicium condemnationis facere. Sed quantum ad vim directivam, Principem subjacere legi propria voluntate, &c. Hæc distinctio multis placuit, multique eam sunt etiam secuti. Mihi non * idem videtur. Sequitur enim primo, non Principem mo- 73
do, sed omneis bonos & legibus sponte parenteis legibus esse solutos. Quod quidem si philosophicè accipiamus, quanquam talem virum bonum, qualem illi describunt, nunquam viderim, ferri fortasse queat: tamen si hæc omnia juridicè exigamus, non * sine insolentia quadam viros bonos, quales quidem reipsa in- 74
veniuntur, legibus solutos pronuntiabimus. Itaque neminem ideo bonum esse & perfectum, ut legi non subsit, ait gloss. *in*

Clem. ad nostram, in ver. 2. de hæreticis, Abbas in c. solite, de majo. & obed. Felin. in proœm. Decret. col. 1. Quod si etiam legem seu jus naturæ & rationis respiciamus, hoc nemine cogente solius virtutis & honesti amore sponte vir bonus observat. Quod si legem positivam, cum non omnes expressa ratione naturali nitantur, multarum etiam ratio reddi non possit, *l. non omnium, 20. ff. de legib.* vir bonus tamen illis se subjicit; non quia vel rationem earum penitus assequitur, aut melius statui non potuisse credit: sed quia ita Principi suo placere videt. Itaque etiam vir bonus legi subjicitur, quatenus vim coactivam habet. Non enim legi pareret, nisi ita Principem vel potestatem majorem velle sciret.
75 Hinc igitur * Principem legi se subjicientem, eo ipso legi etiam coactivæ se subjicere, dico. Legibus enim se alligatum profitetur, & transgredi leges sibi non licere ait, *d. l. 4. Cod. de legibus.* Rescripta item ab se contra leges edita, irrita, nulla esse pronuntiat, supra dd. ll. Ita Tiberium, Senatu inter filios ejus & leges disceptante, lætatum, supra ex Corn. Tacito audivimus. Et Tacitum Imp. fratri suo consulatum petentem, non impetravisse scribit in vita ejus Fl. Vopisius. Quæ quidem etiam coactivæ legis potestati Principem subjectum ostendunt. Quod enim neminem à seipso cogi posse dicunt, non est usquequaque verum. Legi quippe ab se dictæ subjici unusquisque & cogi ab illa potest: quomodo in omnibus contractibus, stipulationibus, transactionibus & similibus legi, quam ipsi diximus obtemperare cogimur. Potest igitur Princeps legem ferre, & eidem simul se subjicere: quomodo Zaleucus, Charondas, Diocles, Canutus, de quibus supra, & similes legum latores, multas etiam pœnasque legum sustinuerunt. Hinc quomodo populus suis olim legibus tenebatur, ita & Principem, cui & in quem populus omne suum imperium contulit, adeo ut potestas Principis & in ipsum Principem esset, teneri, doctissimus Cujacius *lib. 15. Observat. cap. 30.* ait. Se-
76 ipsum * igitur Princeps cogere potest: imo potius ab lege sua & sententia cogitur. Itaque non est necesse, ut ab judice aliquo aut

pote-

oteſtate condemnetur Princeps; cum * ab ipſa lege judicari eum, 77
t irritum ac jure nullum eſſe, quod contra leges geſſit, ſufficiat, *ic. l. ex facto, 43. in fine, ibi, ſatis enim punitus eſt in eo, in quo fe-it contra leges, ff. de vulgar. & pupill. ſubſtit.* Ego igitur, quanuam illis, qui iſta ſenſerunt, plerisque longe me inferiorem meito volensque agnoſcam: tamen * quia in hoc literario concilio 78
beræ voces, libera ſuffragia eſſe debent, & non prout primi ſenentiam dixerunt, ita poſteriores utique ſequi neceſſe habent: non otui, ob prædictas & ſimiles rationes, eorum amplecti diſtinionem. Dico igitur, Principem * legibus ſubjectum ſolutum- 79
ue eſſe diverſo reſpectu: ſubjectum in genere, ſolutum in ſpecie. Iniverſe enim ſupra dicta jura, leges, exempla, Principem legibus ivere & velle & debere oſtendunt. In ſpecie tamen idem certis gibus ſe ſolutum, ſingularibus privilegiis demonſtrat. Sed & lud tamen repetendum, Principem non ita penitus, ut quis priitus alius, nec ſine exceptione, legibus ſe ſubjeciſſe. Ex benignite enim, non ex neceſſitate, Princeps legibus ſe alligatum dicit, cundum Bald. *in leg. digna vox, Cod. de legibus*, quod eſt recte men accipiendum. Sæpius quippe honeſtas, æquitas, ratio, incipem legibus etiam neceſſario ſubjiciunt. Quia igitur Prinpes, legibus ſe quidem à pop. R. ſolutos videbant; id tamen ſi npliciter acceptarent, nec juſtitiæ ſemper, nec honeſtati aut vecundiæ conſonum fore intelligebant; legibus ſe victuros, ſecunmque leges vitam & acta ſua æſtimanda, profeſſi ſunt. Rurſus ia non ſine ratione ſe à populo Senatuque Rom. legibus ſolus credebant, imo hoc jure ſe uti, quandoque æquiſſimum, andoque maxime neceſſarium inveniebant: certis utrumque rminis & rationibus moderari ita voluerunt; ut in genere quim legibus ſibi vivendum & ipſi & univerſi tenerent; in certis men expreſſisque caſibus, ita uſu ferente, beneficio, ſeu potete potius à pop. R. ſibi primitus data, uti poſſent. Et hæc eſt æcipua totius loci hujus reſtrictio ſeu finitio; Principem * le- 80
bus ſeu jure communi uti, utique voluiſſe præſumi, præter-

quam in casibus expresse exceptis. Quomodo pulchre Baldus noster *in leg. & in legatis, Cod. ad legat.* Deum, inquit, Principem & Ecclesiam jure communi uti, nisi in casibus jure expressis. Et Principem facientem actum auctoritate regia, debere exprimere, quod id faciat auctoritate regia, ait Felin. in *dict. cap. 1. de constitution. colum. 11. secundum Baldum, in cap. 1. §. item sacramenta, in penultim. colum. de pac. jur. firm.* Sicut & universe potestate sua uti voluisse non præsumitur, nisi exprimat: ut infra suo loco docebimus.

81 Nam alias jure * communi & positivo Principes uti, multæ nos passim leges atque exempla docent. Ita *leg. 7. Cod. de testam.* cum heredes instituuntur Imper. vel Augusta, jus commune cum cæteris habent. In legatis Principi factis, lex Falcidia locum habet, *leg. 4. Codic. ad legem Falcid.* Ex imperfecto testamento, legata, fideicommissa hereditatem Imper. non vendicat. *leg. 23. de legat. 3. leg. 3. Cod. de testam.* Si Imper. est heres institutus, testamentum inofficiosum dici potest, *leg. Papinianus, 8. §. 2. ff. de inoff. testam.* Tam Cæsaris quam aliorum prædia ingredi fugitivos inquirentibus licet, *leg. 3. ff. de fugitivis.* Domus etiam imperiales debitas agnoscunt functiones *leg. 1. Cod. de prædi. & oneribus rebus novic. libro decimo.* Si quis Imperatorem instituit, habet mutandi judicii facultatem, *leg. 5. Codic. qui testam. fac. possunt.* Testamentum primum validum, non rumpitur per aliud sequens non solenne, licet in sequenti fuerit Princeps heres scriptus, *leg. nolumus, 20. Cod. de testam.* * Donatio perfecta & testamentum rite factum, auctoritate rescripti non rescinduntur, *leg. nona, Cod. de don. leg. decima, Cod. de testament.* Statutum, quod de contractu solvatur gabella, comprehendit contractus etiam à Principe celebratos, secundum Bartol. *in leg. nullam, Cod. de navicul. Lib. XI. numero septimo.* Quando vero expresse potestate sua & jure Princeps se uti velle profitetur, tunc demum vis privilegii hujus locum habet: ut fit in plerisque, de quibus alibi, Deo volente, privi-

rivilegiis illius ; quorum pars major ex præsenti ceu fonte & irpe oriuntur.

Quærat * fortasse aliquis, his tantum casibus, quos in jure 82 ostro expressos descriptosque habemus, an aliis etiam, ut usus ret, Princeps hoc jure uti soleat & possit? Sed facilis responsio t : cum pristini illi Impp. certos casus antea non expressos, in uibus legibus se solutos ostenderent, nominarint atque publica- int ; idem & nostros & quoscunque deinceps facere posse : ne- ue enim minor est horum, quam illorum potestas. Et cum le- es positivas tollere omnino, cum alios iis solvere possint : quid iirum, si idem sibi ipsis præstare suo modo posse dicantur? Præ- dicium tamen tertii, & similia, de quibus jam ante monui ca- re debent. Ab hoc enim jure naturali, quo soluti non sunt, centur. Quin & illic ita jure suo uti debent, ut limites suæ po- tatis jurisque non egrediantur. Ex his fere igitur quomodo incipem legibus solutum credere debeamus, intelligi puto.

CAPUT IX.

Formula privilegiorum traditur.

EPITOMA.

Privilegiorum duplex forma.
Privilegia certam formam habere debent.
Privilegium stylo usitato non factum, irritum est.
Ex stylo curiæ præsumitur de privilegio.
Clausula insolita inducit præsumptionem latentis fraudis.
Causæ Universitatum proponuntur & deliberantur in publico Consistorio.
Dux Venetorum de stylo utitur plumbo.
Papa scribens sub nomine proprio, non facit fidem.
Præsumitur contra literas non habenteis tractus solitos.
Formulæ privilegiorum usu magis & experientia discenda, quam ex jure nostro.

11. Privilegia etiam olim diversas formas habuisse, monstratur.
12. Privilegia juris scripti, eandem cum ipsis legibus formam habent.
13. Privilegiorum formulæ solicite servandæ.
14. Exempla.
15. Quædam ex jure communi ad privilegiorum formulas pertinentia adduntur.
16. Invocatio nominis Divini, an præmittenda?
17. An crucis signum?
18. De annis Domini, & nomine Imperatoris.
19. De die & mense.
20. In instrumentis Papæ additur annus Pontificatus.
21. Quid hodie circa dierum differentiam servandum?
22. Quid de hora, de loco?
23. De sigillo?
24. De subscriptione?
25. De approbatione senatus?
26. An clausula, si preces veritate nitantur, adjicienda?
27. An clausula, non obstante illo vel illo jure communi, addenda?
28. Cur privilegii prioris mentio requiratur, legis non requiratur?
29. Leges Principi & omnibus notæ præsumuntur, privilegia non item.
30. An causa concessionis exprimenda?
31. Princeps nihil sine causa vel ratione agere debet.
32. Princeps prudentius quandoque agit, si rationem facti non reddit.
33. An testes privilegiis adhibendi?
34. An obscuritas aut error in Grammatica privilegium vitient?
35. Virtus humanorum actuum non stat in uno modico atramento, secundum Baldum.
36. Papa non scribit alteri, Vobis, *nec de se in singulari persona loquitur.*
37. De cancellatione & rasura.
38. Literis Papæ manus inferens, creditur excommunicatus.
39. An scriptura sit de substantia legis vel statuti? quæritur.
40. An de substantia privilegii?
41. Testium probatio circa privilegia non admittitur.
42. Excipiuntur tamen aliqui casus.
43. Veluti, si agatur de probanda aliqua qualitate privilegii.
44. Aut cum sumus in foro conscientiæ.
45. Aut instrumentum privilegii amissum est, & num. 52.
46. Aut privilegium consuetudo introduxit.

47. Pri-

47. *Privilegia etiam testibus quandoque probari, ostenditur; & num. 49.*
48. *Scriptura non sola est via probandi.*
49. *Multa privilegia sine scriptura probantur.*
51. *Forum conscientiæ non est separandum à foro Principis.*
53. *Quando scriptura requiritur ad privilegii substantiam, illa non potest abesse.*
54. *Qua lingua privilegia promulganda?*
55. *Nihil actum esse creditur, cum aliquid superest addendum.*
56. *Rudolfus Imp. jussit edicta & privilegia lingua Teutonica scribere.*

LOngius forsan, non inutiliter tamen, nec sine gravi & necessaria causa, à proposito digressi sumus. Nunc ut eodem revertamur, tertium ex his, quæ legitimum faciunt jus, ivilegii forma est. Duplex est autem, * ut aliarum rerum, ita 1 ivilegiorum, forma; alia interior & essentialis, quæ nihil est iud, quam ipsa definitio & natura privilegiorum, de qua hoc pite sermo non est; alia exterior, ad editionem, promulgatiom, seu publicationem privilegii pertinens, eaque ut necessaria, pars aliqua formæ ac definitionis. Illa forma verius, hæc forıla rectius appellabitur. Interim sciendum, * ut sine verborum 2 literarum assertione raro privilegium valet; ita nisi verba illa literæ convenienti & solenni forma compositæ sint, privilegio um non esse. Omnia enim tam substantiæ rerum quam acentia, certam habent & propriam formam, *leg. si is, 80. §. 1. ad leg. Falcid. leg. stipulatio, 21. §. opus, ff. de novi op. nunt. leg. ficia, 139. §. perfecisses, ff. de verbor. significat.* Cujus mutatio absentia rem ipsam perimit atque tollit. Igitur ut illa prior substantialis privilegiorum forma, sic & formula eorundem, urate est soliciteque servanda. Privilegium enim vel rescrim, * quod stylo usitato & communi conforme non est, ir- 3 m quoque & sine efficacia habetur: ut docet Nicolaus Everar*in Topicis seu locis legalibus, loco à stylo curiæ, & fac. quæ notat. polit. de Marsil. singul. 118.* Nam consueta apponi in instrumentis,

mentis, si non apponantur, vitiatur instrumentum, *Barthol. in authent. 47. in præfat.* & privilegia contra communem cursum privilegiorum concessa, præsumuntur falsa: ut ait Abbas *in c. 1. ut lite pendent. nihil innovetur, & causam quæ, ubi pluribus Felin. de testibus.* Ut in his omnibus communis loquendi usus magis quam proprietas curatur: ut docet And. Gailius, libr. 2. Obser-
4 vat. capit. 79. numer. 5. Stylus * igitur curiæ facit, ut præsumatur contra rescriptum vel privilegium ab illo deflectens. Abbas *& gloss. fin. in capit. 2. de rescriptis, in capit. ex parte, de officio de leg. & in capit. cum instantia, prope fin. de cons. fac. cap. ex parte, de Capell. Monachor. Felin. pluribus in d. capit. 2. colum. 8. de rescript. Angel. in l. 1. ff. de officio assess. & in l. final. Cod. de Canone largi. trib. Lib. X.* Ubi excusari ait non comparentem, quando citatio habebat verba non consueta. Et ideo dicit gloss. 1. *in l. si quis sub*
5 *conditione, 7. ff. de condit. institut.* quod * clausula insolita inducat præsumptionem latentis fraudis; quod laudat Baldus *ibi, post Bartol. & Angel. & pulchre in addit. Spec. de arbitr. ver. nimia cautela, & in capit. 1. ad fin. princip. ibi, & conclude, quod alteratio de feud. dato invicem, &c. Imola in capit. ad nostram, col. 12. de empt. & vend. Butr. & Abb. in capit. quod super his, de fide instrument. per text. ibi, & quia; capit. cum teneamur, de præbendis, & in l. Labeo, ibi, morem agentium sequi debemus ff. de statu lib.* Itaque
6 Urbanum Papam * legatis Perusinorum respondisse, non posse se eis dare responsum in Camera, propter stylum curiæ, per quem causæ Universitatum proponuntur & deliberantur in publico Consistorio: dicunt Baldus & Paul. de Castro *in l. universa, Cod. de precib. Imperat. offer.* Idemque ferunt respondisse Carolum Imperatorem eisdem oratoribus in civitate Lucana. Unde idem
7 Baldus, *in l. de quibus, colum. 11. ff. de leg.* literas * Ducis Venetorum non plumbatas, suspectas esse ait, quoniam de stylo utitur plumbo. Et dicit Albert. de Rosate *in proœm. Dig. super rubr. in fine.* se credere, quod si * Papa scriberet sub nomine proprio, non appellando se Papam, literas non facturas fidem. Similiter dicit

licit Card. *in capit. quod super his, de fide instrument.* præsumi * 9
ontra literas non habenteis tractus solitos.

Quæ vero sit privilegiorum propria ac legitima formula,
lifficile dictu est. Pro diversitate siquidem tam temporum, quam
ocorum, formulæ quoque aliæ atque aliæ usurpantur. Unde
ec certam ullam definire licet. Illud monuisse suffecerit, quod-
is privilegium stylo curiæ illius, ex qua prodit, scriptum esse
ebere. Qualis vero sit * cujuslibet curiæ stylus, non tam regu- 10
s atque doctrina, quam usu & experientia, docemur. Igitur
uæ à Principe Romano dantur privilegia, stylo curiæ ejusdem
onfici debent; quæ à Rege Galliæ, stylo Gallico scribi decet. Et
c de cæteris judicandum. Quod si quis ex jure nostro scripto
istinianeo certam legum & privilegiorum formulam hauriri pos-
censeat: is erroris re ipsa convincetur. Nam ut mores ho-
iinum, ut forma imperandi diversa est ab illa prisca, ita legum
uoque formulæ discrepare solent. Enimvero legum, privilegio-
um, rescriptorum priscas formulas, magno numero ac diligen-
a Barn. Brissonius libro secundo & tertio de formulis Romanis,
alii plures, collegerunt. Sed ut hodie, * sic illo quoque tem- 11
ore, pro concedentium aut rerum diversitate formulas quoque
versas observatas fuisse, leges demonstrant. Alias enim per le-
s præstita dicuntur, *l. ultim. Cod. de fruct. & lit. expens. l. 2. in
incip. ff. ne quid in loco publ.* alias per Senatus consulta, *d. l. 2. l.
c edictum, ff. ex quibus caus. major. l. 2. & l. Titius, 25. ff. de te-
ment. milit.* per constitutiones, *l. 1. §. 2. ff. quæ sent. sine appellat.
ind.* sacras, *l. ultim. Cod. de fruct. & lit. expens.* generales, *l. pri-
legia, 12. in princip. Cod. de sanctis Ecclesiis;* principales, *d. l. hoc
ictum.* Item per rescripta, *l. 4. §. 5. ff. de officio procons.* per
icta vel decreta Principum, *d. l. 2. ff. ne quid in loco public.* per
eciales largitates, *d. l. ultim. Cod. de fructibus,* per Augustos vel
ros apices, *l. restituendæ, 25. in fine, Cod. de advoc. div. judic. l.
ica, Cod. ut nemini liceat in empt. spec. se excusare, Lib. X.* per
agmaticam sanctionem, *d. l. unica.* per sententiam principalem,

l. unica, §. 1. ff. de offic. præf. prætor. per sacros affatus, *l. antepenult. in fine, Cod. de advoc. div. jud.* per judicialem dispositionem, *d. l. unica, Cod. ut nemini, &c.* per auctoritatem tribunalis alicujus, *l. antepen. in fine, C. de advoc. div. jud.* per sententias & dispositiones Sedis alicujus, *d. l. restituendæ*, per codicillos, *gloss. ibid. in vers. Quos.* Hæc & plura forte in jure nostro inveniuntur, per quæ privilegia olim præstari solebant: ratione ac respectu quorum diversas quoque formulas observatas fuisse, dubium non est. Loquor autem hic de illo maxime privilegiorum genere, quod extra jus publicum legesque scriptas peculiariter est introductum.
12 Alterum * quippe genus eorum, quæ jure scripto sunt comprehensa, formulam propriam aliam non habet, quam leges ipsæ juris scripti. Unde cum in illis omnia aperta certaque existant, nullam istorum formam aliam esse certum est, quam reliquarum in corpore juris legum. Illa vero, quæ extra jus scriptum indulta sunt, indulgenturve privilegia, proprias, ut diximus, formulas
13 habent; quas solicite * magnaque cum cura sequi debet, quisquis privilegii alicujus beneficio frui cupit. Frequenter enim cum vel exile quiddam, non in substantialibus modo, sed in verbis & formula solum, vitii concedentes reperiunt, occasionem inde ar-
14 ripiunt universa tollendi. Exemplum * est apud Franc. Guicciardinum lib. 2. historiarum; ubi Virginius, Ursinus & Petiliani Comes, contra fidem, non ore modo Regis Francorum confirmatam, sed in tabulas quoque relatam, & Regis manu subscriptam, captivos se teneri querentes: responsum accipiunt; fidem regiam, quamvis inchoatam atque ab Rege subscriptam, perfecte tamen datam intelligi non posse, nisi regio signo obsignata, atque à libellorum magistris subscripta, eique, cujus interfit, tradita fuerit. Hunc esse in omnibus privilegiis & publicis monumentis vetustissimis cujusvis aulæ morem: idque in eum finem observari, ut si quid ab ore Principis, sive curis & negotiis occupati, sive parum de re edocti, forte cecidisset, corrigi posset. Ita Philippi Valesii Regis Franciæ lex, Principis dona revocari jubet, nisi omnia

omnia, quæ quis ipſe & majores ejus largitione Principum ha-
buerint, tabulis donationis contineantur. Et in Turcarum legi-
bus eſſe, ut quæ ſuæ linguæ verbis ſcripta non ſunt, ea præſtari
non ſit neceſſe, Bembus lib. 4. hiſtor. Venetæ, teſtatur. Quæ &
imilia paſſim nota exempla ſatis commonefaciunt, quam nihil
ſolennium privilegiis abeſſe debeat, quæ firma rataque haberi at-
que obtineri velint.

Quamvis * igitur, ut prædictum, formulæ iſtæ neque tradi 15
penitus, nec legibus comprehendi poſſint, atque ideo experientiæ
potius harum notitia relinqui debeat: tamen, ne quid à nobis
juſtè requiri poſſit, quædam ex jure communi ad privilegiorum
formulas pertinentia adjungemus.

Primo enim * invocationem nominis Divini præmittendam 16
& tale plerunque antiquiorum privilegiorum exordium eſt, In
nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen.) in inſtrumento,
aſſerunt quidam Felin. *cum allegatis in c. ſi ſcripturam, col. 1. de fide
inſtru. Jac. Menoch. de poſſeſſ. remed. 4. n. 711.* de forma inſtrumen-
ti eſſe ajunt. Bartolus contra *in auth. & nomen Imperat. præpon. n.*
. & in l. ſi quis ex argentariis, §. ſi initium, in 6. col repet. 1. ff. de
d. Bald. *in proœm. Cod. in princ. Idem cum Paulo de Caſtro in l. juris*
entium, §. quod ferre, ff. de pactis Immo. in rub. de novi op. nuntiat.
:vem hanc ſolennitatem eſſe, & ejus proinde amiſſionem non
itiare inſtrumentum cenſent; quod ego quoque crediderim, ni-
ſtylus curiæ alterum indubitatè requirat. Hodie quidem ple-
unque obmitti certum eſt: exordio tantum ab conferentis no-
mine ac titulis facto. Nec Felin. omnino *in d. cap. ſi ſcripturam,*
iſſentit: cum in hoc caſu conſuetudine ſtandum definit. Ita * ne- 17
ue crucis omiſſionem vitiare inventarium, aſſerit Bartolus *ibid.*
Annos * vero Domini, & nomen Imperatoris non Conſulis, (ho- 18
um enim imperium ceſſavit, & ſucceſſerunt Imperatores, ut Ab-
as *in cap. 1. de probationibus* ait) menſem item * diemque uti- 19
ue poni debere, docet *l. 4. C. de diver. reſcr. gloſ. in cap. inter dile-*
tos, in verbo indictionis, de fide inſtru. & in auth. ut præponatur no-

men Imp. in princ. Baldus in addit. ad proœm. Dig. in fine, Menoch. de adipiſc. poſſ. remed. 4. nu. 713. Bart. de loco. Sane Speculat. *in tit. de inſtrum. edit. in pri.* potius de conſuetudine, quam de jure, iſta apponi ait. Idem tamen inſtrumentum, quod his caret, non valere propter conſuetudinem fatetur. Omnino enim & in his conſuetudini parendum, Dd. pronuntiant.

20 Nam * inſtrumentis Papæ non apponi annos Domini, ſed annos Pontificatus, ajunt *Jo. And. in data Sext. ver. hic advertendum eſt, & Bald. in proœm. Decretal. in quar. col. quos refert & ſe-*
21 *quitur Felin. in d. c. ſi ſcripturam, col. 2.* Cum * autem non levis hodie ſoleat eſſe circa computationem dierum ac temporum differentia, Bartoli ſententiam probaverim: qui *in l. ſi quis, 6. §. ſi initium n. 9. ff. de edendo.* loci ſervandam conſuetudinem ait, *arg.*
22 *cap. cum dilectus, de fide inſtrument.* Hora * tamen neglecta nihil vitii affert, ut Bart. *ibidem*, & in principio appoſitum tempus, in ſequentibus repetitum cenſetur, ſecundum Menoch. *ibid. n. 715.* Locum quoque non prætermittendum, Bart. *d. loco, Felin. & Abbas in d. cap. ſi ſcripturam, per tex. cum gloſſ. in ver. cenſeretur, in c. Abbate, de re jud. in Sex.* monent, conſuetudinem tamen nobis
23 iterum inculcant. Ad * hæc ſigillum, ut maxime neceſſarium,
24 integrum adeſſe debet, *c. cum dilectus, de probation.* Itemque * ſubſcriptionem accedere oportet, non Principis modo ſeu concedentis, ſed quæſtoris quoque vel eorum, quorum id officii eſt, quod jubet authen. *ut divinæ juſ. ſubſcript. hab. glor. quæſt.* Quin
25 * gratias (ſic vocant) à Principe conceſſas, à Senatu approbari debere, *Clarus lib. 5. §. fin. quæſt. 59. n. 10.* affirmat: & conſentit gloſſ. *in l. 1. C. de his, qui ven. ætatis impetrav.* Nec * validum eſt privilegium, unde abeſt clauſula, ſi preces veritate nitantur, *l.*
26 *ult. C. de diverſis ſubſcript.* quam tacite tamen intelligi poſſe, docet gloſſa *ibid.*

27 Cum item * privilegium quodvis adverſus legem aliquam generalem & jus commune introducatur, utrum hiſce clauſula *Non obſtante*, una cum lege illa ſeu jure communi inſerenda, quærendum.

endum. Suadere hoc videtur Bart. *in l. ultim. Cod. de Canone rum. urbis Romæ, lib. 11.* Idem hoc tamen expresse negat *in l. dem Ulpianus, 12. §. sunt & alii, ff. de excusat. tut.* Et rectius, nea sententia. Sufficit enim, si fiat ex certa scientia & voluntate rincipis, nec in cæteris vitium reperiatur. Tali Principis jussu mper tacite subesse clausula illa intelligitur: nec verba utique exrimere necesse est, nisi talis lex sit, contra quam inducitur privigium, quæ expresse privilegia in contrarium admittere vetat, ualis est, *l. ultim. Cod. de Canone frum. urbis Romæ, & similes.* Haım mentio expressa nec vulgaris fieri debet, ut manifeste mutaım sententiam Principis appareat, quæ Bartoli quoque *in d. l.* sentia haud dubie est. Et pulchrè Baldus *in l. lapilli, colum. 3. vers. o dico, de rerum divisione.* Si quid à Principe privilegium vo-:tur, obsigneturque sigillo privilegiorum, non requiri clausulam *on obstante* ait; ipso enim facto tunc apparere, quod velit iningere legem. Nam * quod privilegii anterioris mentionem 28
:pressam in posteriore requiro, infra lib. 2. cap. 5. nu. 38. causa : diversitas inter legem & privilegium: quæ inprimis ex cap. *1. constitut. in sex.* apparet. Leges * enim, ut communes, ita 29
blicæ sunt, & ab omnibus, maxime à judice & Principe sciri æsumuntur: at singularia jura & privilegia in facto consistunt, possunt probabiliter ignorari. Ob hanc causam ille, qui privi-;ium fecit, jus commune scivisse præsumitur, licet id minus al-;averit: at jura singularia, non utique ad animum revocasse ditur, nisi expressis id verbis ostendat.

Illud non * immerito quæritur, quoniam ex causa proficisci 30
›et omne privilegium, *l. minor, 18. §. 1. ibi, incolorate l. nisi, ff. de minor.* an causa concessionis exprimi debeat, vel minus? hæc breviter, ut Principem * & circa privilegia & circa uni- 31
sa, quæ agit, rationem in consilium adhibere, atque ita cum ısa omnia agere debere fateor; quod infra libr. 3. cap. 7. num. ›luribus docebo: ita causam illam, si ita videatur, exprimere le, ut facit *in auth. de proconf. Palestinæ, l. 3. C. de quadrien.*

*præscr. tot. tit. C. pro quibus cau. servi pro præmio lib. accip. l. testa-
menta, 26. in fine, ff. de test. mil. l. 4. C. de apparit. mag. mil. l. ve-
teranis, 9. C. quando provo. non est necesse, l. ult. C. de his, qui spon-
te mun. publ. sub.* & sæpissimè alibi: ut tamen illud faciat, non
teneri, nec hujus omissione privilegium ejus vel legem vitiari,
32 imo * prudentius quandoque agere, si rationem non exprimat,
ajo. de quo plura infra *lib. 3. cap. 4. num. 6.* Quibus adde, quod
Seneca ait *lib. 14. epist. 93.* Legem brevem esse oportet, quo fa-
cilius ab imperitis teneatur; velut emissa divinitus vox jubeat,
non disputet. Nihil mihi videtur frigidus, nihil ineptius, quam
lex cum prologo.
33 Interdum * & testes privilegiis adhibentur: quod in anti-
quioribus præsertim conspicitur. Id tamen non utique necessari-
um est; cum in his omnino sufficiat auctoritas atque voluntas
expressa & certa ipsius conferentis. Obscuritas quoque atque in-
certitudo privilegium vitiant, *c. auditis, de præscr. Jac. Menoch. de
34 arbitr. jud. lib. 2. casu 188. n. 2.* Ita * per evidentem in Gram-
matica errorem labefieri rescriptum Principis, docet Bartolus *in l.
Plautius, 8. ff. de auro & arg. leg. Bald. l. Imperator, ff. de statu hom.
c. ad audientiam. ubi Abb. & Felin. de rescr.* Idem fieri, si primæ
literæ non sint longæ, dicit Angelus *in l. bene à Zenone. C. de quadr.
35 præscr.* Non tamen * omnia penitus sunt restringenda sub regu-
lis Donati: ut loquitur, *c. indignum, dist. 38.* & multis docet in
illo cap. Felinus; rebus enim, non verbis, leges ponuntur, *l. ut
nullo, 28. C. de usuris.* Unde eum tantum errorem nocere puta-
verim, qui sensum rescripti seu privilegii obscurum aut dubium
reddit, quod satis ex limitationibus Felini d. loco apparet. Virtus
quippe humanorum actuum non stat in uno modico atramen-
to, ut loquitur Baldus, & Princeps non verbis, sed rebus leges
36 imponit, *l. 2. in fine, Cod. communia de legat.* Rescriptum * Papæ
vitiari, falsumque propter stylum curiæ censeri, si rescribat alicui
in plurali *Vobis*, aut de se in singulari loquatur, idem Bartol. *in l.
1. Cod. de veteran. & Abbas sic, in cap. nihil, de præscript.* censent.

Cujus

Cujus tamen contrarium fecit Gregorius *in d. cap.* sed ex magna humilitate, ut Abbas *ibid.* Ita literas Papæ, in quibus sub proprio nomine, non appellando se Papam cuiquam scribit, suspectas fieri Alberi. censet, ut supra hoc cap. dictum. Cancellatio * item superveniens instrumentum vitiare dicitur, de quo copiose Menochius *de adipisc. poss. remed. 4. n. 703. n. 716. & seqq.* Propter rasuram tamen instrumenti privilegium rejici non debet, nisi alia de causa suspectum fieri possit, *capit. ex literis, de fide instrument.* Literis * autem Papæ, qui manus apponit, vel in magno vel in modico, etiam ut addat punctum, est excommunicatus excommunicatione Papali. Ita dicit Hostiens. præceptum fuisse hodie in summa *de crimin. falsi*, §. *qualiter, col. 4. ver. sed hodie præceptum. Et refert Archidiac. Florent. in 2. parte tertia par. de censibus 16. & plura Felinus in cap. 2. col. 9. de rescriptis.* Varietates falsitatum circa literas Papæ exprimit, *cap. licet, de crimine falsi.* 37 38

Huc pertinet illa quæstio, * quam post alios agitavit Felinus *in rubr. tit. de constitut.* Utrum scriptura sit de substantia privilegii? Et quantum quidem ad leges & statuta, respondet ille *ibid. post Baldum, & P. Anchar.* non esse quidem scripturam de forma substantiali istorum, sed esse tamen de forma accidentali, id est, ad inducendam obligationem ex lege; ante scripturam enim legem non ligare. Unde æquitates humanas non habere pondus statuti, nisi scriptura firmatæ sint, affirmat Bald. *in c. 1. §. decenti, in pen. col. qui feud. dare possunt.* Quod utut sit, universe tamen verum non esse inde patet, quod inveterata consuetudo, sine scripto, pro lege habetur, *l. de quibus, 32. & ll. seqq. ff. de legib.* Quod * vero ad privilegia attinet, idem Felinus ibidem, 40 scripturam ad effectum gratiæ, seu privilegii non requiri ait, sed ejus probationem requiri: simpliciter enim prolato verbo gratiam factam dici, ante literarum confectionem, sed non probari nisi per literas. Idem sentiunt Baldus *in l. humanum, quæst. 3. de legibus, & in l. si qua per calumniam, in fine, C. de Episcopis* 39

&

& Cler. & in l. 1. C. de constit. Princ. & in l. gesta, C. de re jud. & in l. fin. C. sententiam rescin. non posse, glossa & Dd. in c. 1. de censib. lib. sex. &c. Ita Fridericus Primus Imp. in privilegio Austriæ Ducibus dato: Ut hæc nostra imperialis constitutio omni ævo firma & inconvulsa permaneat, inquit, præsentes literas scribi & sigilli nostri impressione fecimus insigniri. Imo privilegium hoc esse Principis, quod allegans sibi ab eo datum privilegium, per scripturam hoc ostendere debeat, ait Aeg. Bossius *in tit. de Prin-*
41 *cipe & privilegiis ejus, n. 292.* Testium * certe probationem hoc loco non admitti, idem Felin. cum Card. & aliis affirmat. Sane si se vidisse dicant, aut præsentes fuisse concessioni privilegii, testimonium illud recipi posse non negatur. Quod si vero se vidisse & legisse privilegium vel instrumentum, inque eo sic vel aliter contineri, dicant: testeis taleis non magis fidem facturos affirmant, quam ipsius instrumenti seu privilegii faceret exemplum, nisi originale produceretur, *auth. si quis, in aliquo doc. C. de edendo.* Multa enim vitia in originali inesse potuissent, quæ privilegii infirmitatem aut nullitatem arguerent. Sic Azo in summa *in tit.*
42 *de instrum. ed. §. de amissis.* Aliquos * tamen casus iidem hujus
43 opinionis auctores excipere solent: Nimirum, * si agatur de probanda aliqua qualitate gratiæ, vel privilegii, *c. aud. ubi Ant. & Ab. de rest. in int. gl. in c. duob. in ver. appareat, de rescript. lib. 6. &*
44 *in c. si à sede, in eod. ver. de præben. lib. eod.* aut cum sumus * in foro conscientiæ, secundum Abbat. *in Clem. dudum, de sepultura,*
45 aut si agatur * de probando tenore gratiæ, cujus est amissum instrumentum; probata enim amissione, probari tenorem per testes, *c. cum olim, de privileg. & ibi omnes, & Bartol. in l. sicut iniquum, de fide instrum.* Quod affirmant etiam relati à Decio, *in c. 2. num. 14. ver. 3. si instrumentum, de probat. Alex. in l. 2. num. 8. Cod. de poss. bon. secund. tabu. & in l. si unus, n. 2. C. de test. &c. quos refert & sequitur Jac. Menoch. lib. 1. de præsumpt. quæst. 66.* Qui-
46 bus casibus merito illa adduntur privilegia, quæ * consuetudo introduxit; hæc enim non scribi, non est dubium. Consuetudine autem

autem privilegia introduci supra ostensum est. Sed & universe cur * testibus privilegia, ut alia hujus generis, probari posse isti 47
negent, satis causæ non video. Equidem faciliorem, certiorem, tutiorem in hoc genere probationem per scripturam fieri, forte non negaverim, *l. contrahitur, 4. ff. de pignor.* nihilo tamen minus * etiam sine scriptura valet, quod actum est, si habeat proba- 48
tionem sufficientem, *per d. l.* Quinimo interdum plus creditur testibus, quam scripturæ, *l. scripturas, 11. cum auth. seq. c. qui potior. in pign. habeantur.* Certe quod scriptura probari nequit, aliis rationibus doceri posse, ait *l. 5. C. fin. regund. l. in extraneos, 29. C. de donat.* Itaque si aliter veritatem rei habere possumus, scripturæ defectus nihil obstabit *l. nec ignorans, 10. C. de donat. d. l. in extraneos, l. pactum, 17. C. de pactis, l. 1. C. de usuris.* Sanæ quidem res æque ad probandum difficiles ac privilegia, tam testium quam scripturæ probationem admittere solent. Ut ultimæ voluntates, *l. ult. in fine, C. de codicill.* ut donationes, *d. l. in extraneos,* ut hereditatis divisio, *l. 1. C. si major fac. rat. hab.* ut alii casus omnes, in quibus non requiritur expresse scriptura, *l. in exercendis, 15. ubi gloss. C. de fide instrum. P. Anch. in c. si motu proprio, not. 5. de præbend. lib. 6.* Nam quod ille ait, esse de privilegiis Principis, ut privilegia ab hoc data, non nisi per scripturam probentur, nusquam in jure civili sancitum invenio. Imo passim, ut dixi, tam testium quam scripturæ probationes admitti video.
Multa * certe sunt privilegiorum genera, quæ ita certam habent 49
& definitam naturam, ut tam testibus aut simili ratione, quam scriptura probari possunt. Quomodo enim omnia privilegia à consuetudine & moribus introducta probabis, si ubique scriptura necessaria est? Ita si Princeps, verbi causa, alicui eadem privilegia se tribuere dixerit, quæ alteri competunt, hoc æque testibus ac scriptura probabitur.

Unum hoc dico; privilegium * quod per testes probari potest, si maxime scriptura nulla nitatur, non ideo minus validum 50
esse. Non enim ideo quoslibet testeis recipio, sed idoneos & suffi-

ſufficienteis. Et hoc ipſi, qui contrarium cenſent, in exceptionibus ſuis fatentur. Si enim una qualitas gratiæ probari per teſtes poteſt, quare non altera, & tertia, & omnes privilegii partes? Et ſi in foro conſcientiæ probatio iſta repudiari non debet,
51 cur in foro Principis? nec * enim ab hoc conſcientiæ regulam exturbandam ſalva conſcientia dices. Si item per teſtes privile-
52 gium probari poteſt, cujus * amiſſum eſt inſtrumentum: cur non & illud, quod ab initio ſine inſtrumento conceſſum fuit, ita probetur? nec enim video, cur difficilior aut intutior hoc caſu ſit, quam illo, teſtium probatio. Hinc, ſi teſtes juris rerumque periti, qui intelligunt conditiones & vitia inſtrumentorum, dicant, ſe vidiſſe & legiſſe privilegium aliquod, idque vitio omni & ſuſpicione caruiſſe, talem probationem ſufficere cenſent gloſſ. Bartol. Innocent. *in cap. cum olim, de privileg.* Atque hæc in genere dicta velim, privilegia etiam per teſtes & alias, præter ſcripturam, rationes probari poſſe.

53 Quod ſi vero ad * ſubſtantiam & formam privilegii alicujus ſcriptura requiratur (quod non quidem ubique, nec ſemper, nec in omnibus, ſæpe tamen, obtinet) hic ego non ad probationem, ſed ad vigorem valoremque privilegii ſcripturam requiri ajo. Ubi enim nominatim ſcriptura exigitur, non valet quod actum eſt, ut notat gloſſa, *in l. pactum quod bona, 7. Cod. de pactis, & in l. 4. ff. de pignoribus, & P. Ancharan. in dict. cap. ſi motu proprio. not. 5. de præbend. lib. 6.* Et faciunt *l. ſacri affatus, 6. Cod. de divort. reſcript. l. ult. Cod. de adoption. l. 1. Cod. de jure emphyt. leg. penult. Cod. de fidejuſſ. l. imperialis, 23. §. 1. ibi, non ſine ſcriptis tale probetur conjugium, Cod. de nupt. l. 2. Cod. de teſtibus, l. unica, §. 2. C. de ſuffrag. l. contractus, 17. Cod. de fide inſtrum. l. penult. Cod. ſi minor, ſe major dixerit, l. 1. Cod. de mandatis Princip.* Hoc eſt, ſcilicet, quod in principio capitis hujus dictum eſt, loci cujusque & temporis conſuetudinem eſſe conſiderandam. Si enim iſta ſcripturam aut ſimile circa privilegia requirunt, hujus abſentiam, non minus quam alios contractus actusque ſolemnitates omiſſæ, vitia-

re

re certum eſt. Idque exempla teſtantur. Ubicunque enim privilegia ſcriptura firmanda ac promulganda ſunt; ſi maxime quid verbo indulgeat Princeps, niſi & ſcriptura interveniat, totum eſt irritum: ut teſtamenta quoque & ſimilia valida non ſunt, niſi ſolemnitates neceſſariæ adhibeantur. Sunt enim nil niſi imperfectæ voluntatis impetus quidam: quæ ſi plena atque abſoluta fuiſſet, illa quoque, quæ ad perfectionem actus pertinent, adjeciſſet. Nihil itaque * actum eſſe creditur, dum aliquid ſupereſt adden- 54
dum, *l. pen. in fine*, *C. quibus, ut indignis, &c.*

Quærit etiam * d. loco Felinus, utrum conſtitutio ſit pro- 55
ferenda ſecundum linguam legiſlatoris, an locorum, quibus dirigitur, ſi differant? Et reſpondet Lud. Roman. *in leg. 1. §. ult. in 5. colum. ff. de verb. oblig.* fieri debere ſecundum linguam ſeu idioma illorum, ad quos dirigitur, per tex. *in authent. de non alien §. alienationis, ver. penult. & in l. ſed etſi pupillus, §. proſcribere, ff. de inſtito. ibi, literis Græcis an Latinis, putem ſecundum loci conditionem, & fac. tex. in c. 86. diſtinct. & l. 1. circa fin. ver. nec autem per ſcripturam, Codic. de vet. jure enucl. cap. oportet, 7. quæſt. 1. cap. ſit rector, 18. diſtinct. cap. quoniam, in plerisque, de offic. tex. bon. in Clem. in agro, §. ſane, ibi, propter juniores & rudes vulgariter exponantur, de ſtatu monachorum.* Quatuor tamen caſus excipit dicto loco Felinus. Primo, quando ab illis, ad quos dirigitur conſtitutio, intelligitur lingua conditoris, per *l. 1. in princip. ubi Bartol. ff. de excuſation. tut.* Secundo, quando conſtitutio indifferenter omnes ſpectat nationes; tunc enim lingua Latina, velut communior, ſufficit. Ut ſentit Lud. Roman. *in dict. §. fin. & in c. cum ſecundum, & in cap. quo translationem, de tempo. ordin.* Tertius caſus eſt, quando conſtitutio ſpectat certum genus hominum diverſæ linguæ, qui tamen habitant inter Latinos; quales ſunt Judæi: tunc item ſufficit lingua Latina, *cap. & ſi judæos, cap. in nonnullis de Jud. Bald. in leg. jure ignorantia, Codic qui admitti.* Quartus caſus eſt, quando conſtitutio ſpectans certum genus certi idiomatis, promulgatur in loco, in quo ſit copia hominum

utriusque linguæ, velut in concilio, *cap. fin. de baptiſmo.* Si autem ex curia mitteretur Græcis epiſtola decretalis, videtur reddenda literis Græcis, ſecundum capit. *in nomine Patris, diſtinct.* *73.* ſi ſint in curia Docti utriusque linguæ, ut communiter eſt, per *capit. ſecundo, de privileg. libro ſexto, & capit. Adrianus, diſtinct. 63.*

Ubi autem apud legis latorem non eſt talium copia virorum, excuſaretur, & incumberet onus his, quorum intereſt, adire translatores, per tex. *in leg. ſecunda, §. penult. Cod. de vet. jure*
56 *enucl.* Rudolfum * Imperatorem, ob inſcitiam nobilitatis, Principum, Pontificum, edicta & privilegia Teutonica lingua edere juſſiſſe, ſcribit Aventinus *lib. 6. Annal.* quod hodie tamen, ob literarum & linguæ Latinæ uſum vulgarem non ita obſervatur. Æneis etiam aut lapideis tabulis privilegia quandoque inſcripta, & in loco publico atque aperto omnium oculis exponi ſolita, invenimus.

Verum enim vero his omnibus & ſimilibus conſuetudo & ſtylus curiæ multum prævalent. Itaque inde potius ſpecialia hujus loci, quam ex jure ſcripto aut Doctorum opinionibus petenda.

CAPUT X.

De finibus Privilegiorum.

EPITOMA.

1. *Res qualibet finem certum habere debet.*
2. *Et ideo privilegia quoque.*
3. *Finalis privilegiorum cauſa in jure civili quærenda.*
4. *Talis eſt utilitas, maxime publica.*
5. *Ut & æquitas, ſeu ratio naturalis.*
6. *Princeps injuriam facit, ſi negat quod æquitas dare ſuadet.*
7. *Præmia bene meritis danda ſunt.*

8. Pri-

8. Privilegiorum Imperialium causa.
9. Et militarium.
10. Austria clypeus olim & cor S. R. Imperii.
11. Præmiis homines ad merita excitandi.
12. Cur parentibus data privilegia?
13. Sexus & ætatis imbecillitas, simplicitas item & imperitia privilegia merentur.
14. Calamitosi sublevari merentur.
15. Nobilitas generis privilegiis afficitur.
16. Dignitas item, virtus, præcellentia personæ vel causæ.
17. Professio doctrinæ, aut artis egregiæ.
18. Favoris ergo privilegia dantur.
19. Clementia & humanitas Principis privilegia introducunt.
20. Ut & affinitas vel amicitia cum eo.
21. Lætitia aut festivitas publica privilegio locum aperit.
22. Nisi dolus interveniat.
23. Necessitas privilegia exprimit.
24. Hac enim cogente multa permittuntur.
25. Novitas rei nova remedia postulat.
26. Plures privilegiorum causæ.
27. Palæstinæ cur privilegia data?
28. Finium differentia.
29. Finis privilegiorum ultimus & præcipuus æquitas.
30. Leges juris, privilegia, æquitatis impertiendæ causa inventa.
31. Utilitas enim non est potior æquitate.
32. Nihil utile est, nisi honestum; nihil justum, nisi æquum.
33. Id solum è Repub. est, quod justum est.
34. Interpretatio aliqua l. jus singulare, 16. ff. de legibus.

TRes hactenus privilegiorum causas, efficientem, materiam, formam, satis, ut opinor, explicavimus: superest finalis. Omnis * enim res, quæ ratione atque ordine fit, finem certum propositum habet: aliter quidquid fit, vel fortuito vel male fit: ut Aristoteles docet lib. η. Politicorum, cap. 13. Et Nicephoras Gregoras lib. 10. c. 8. πρᾶξις πᾶσα ϗ λόγος ἅπας, ἔχει σκοπὸν ϗ τέλος: πρὸς ὃ βλέποντας τόν τε πράττοντα ϗ τὸν λέγοντα, τήν τε πρᾶξιν ὁμοῦ ϗ τὸν λογὸν εὐθύνειν προσήκει. τούτου δ' ἀπόντος, κίνδυνός ἐστι, μά- 1

2 ταιον σπȣδιῶ τε πᾶσαν ϰ̀ πόνον νομίζεσ϶ς. Quare * & privilegiorum finem certum cauſamque, quæ dantem moveat, eſſe oportet; quod niſi fiat, privilegia temere conceſſa, irrita quoque habentur: ut tam ratio, quam *l. 1. C. vectigalia nova inſtitut. non poſſe, dict. l. niſi, 10. d. l. minor, 18. ff. de minoribus, l. antiquitas, 14. Cod. de uſufructu & hab. leg. omnes qui ubique 33. §. pen. ibi, diverſa rationes, Cod. de Epiſcopis & Clericis*, ſatis demonſtrant.

Igitur ut cauſam privilegiorum finalem veram habeamus (hæc enim in omni quæſtione inprimis conſideranda eſt, *l. verum eſt, 39. ff. de furtis*) jus civile ipſum * legumque tabulas in-
3 grediemur: ac quæ privilegiis ibidem tam univerſe, quam ſpeciatim cauſæ aſſignentur, ordine inſpicientes, proprieque dicta ab his, quæ minus proprie aut ſecundario dicuntur, ſeparantes, verum tandem, proprium & ultimum omnium privilegiorum finem evincemus: quo nimirum præcipue privilegiorum diſtributores moti privilegia largiri ſoleant; quem in privilegiis condendis reſpicere & obſervare deceat; quoque neglecto vel ceſſante privilegia infrugifera aut omnino irrita fiant?

4 Prima * igitur cauſa occurit utilitas, *l. jus ſpeciale, 16. ff. de legibus l. nulla juris, ibid. leg. 4. in princip. ff. de his qui not. infam.* quam oportet eſſe evidentem, *l. 2. ff. de conſtit. Princip. cap. non debet, d. l. conſanguineis*, & inprimis publicam, *l. jus autem, 7. ff. de juſtitia & jure, l. unica, in princip. ff. de offic. præf. prætor. l. Barbarius, ff. d. t. l. 1. ff. ſoluto matrim. leg. 5. ff. de decret. ab ord. fac. lex, ita, 51. §. 2. in fine, ff. ad leg. Aquil. leg. quod privilegium, 8. ff. depoſiti, leg. inter eos, 33. §. 1. ff. ex quibus cauſis majores, leg. 18. & l. ſeq. ff. de rebus auct. jud. poſſid. l. ſunt perſonæ, 43. ff. de religioſ. leg. contra, 14. Cod. de re militari, lib. 12. l. ult. C. quorum appellatio non recip.* Sane quidem etiam privata conſideratur, *l. penult. Cod. de precibus Imper. offerend. cum ſimil.* ita tamen, ut illa multum prævaleat. Quemadmodum apud Thucydidem lib. 2. de bello Pelopon. ait Pericles: Ἡγȣ̃μαι πόλιν πλέω ξύμπασαν ὀρθυμένην

μένων ὠφελεῖν τὰς ἰδιώτας, ϗ καθ' ἕκαςον τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν δὲ σφαλλομένην.

Quam ſententiam repetit Jul. Cæſar in oratione ad milites apud *Dion. Caſſ. lib. 38.* & M. Valerius Coſ. Rom. apud Livium lib. 36. Reſpublica, inquiens, incolumis, & privatas res facile ſalvas præſtat: publica perdendo tua nequicquam ſerves. Salus enim populi lex ſuprema eſſe debet. Atque ideo utilitas publica in omni negotio attendenda: etiamſi cum damno id fiat privatorum; in quam ſententiam Seneca, habet, inquit, aliquid ex iniquo omne magnum exemplum. quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.

Altera * privilegiorum cauſa æquitas, ſeu jus & ratio naturalis ſtatuitur, *l. 8. ibi, placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ æquitatisque, quam ſtricti juris, rationem, Cod. de judic. leg. 90. ff. de regul. juris, leg. 1. in princip. ibi, omnis excuſatio ſua æquitate nititur, ff. de vocatione, & excuſat. mun. leg. poſtliminium, 19. in princip. ff. de captivis, leg. 2. ff. unde cognati, leg. furti, 6. §. pactusve, ibi, nec erit veniæ ulla ratio: quod eſt inhumanum. ff. de his, qui not. infam. leg. ex facto, 43. in princip. leg. ſi ſervus 18. ff. de vulg. & pup. ſubſtitut. l. filio, 17. ff. de injuſto irrit. rupt. teſtam. leg. 1. ff. quod cum eo, qui in ali. poteſt. leg. etſi, 14. §. 5. ff. de religioſ. leg. quæ pater, 50. ff. familiæ erciſc. leg. 4. in fine, ff. de eo quod certo loco, leg. fin. §. ſi quis vero, Cod. de re mil. lib. 12. leg. 26. §. 9. ff. ex quibus cauſ. major, leg. prima. ff. de minoribus. leg. penult. in princip. ff. de integ. reſtit. &c.* Æquitatem enim fundamentum eſſe & originem privilegiorum, dictum eſt ſupra cap. 3. num. 22. adeo ut * Princeps æquitatis rationem negligens, nec privilegia, quæ ipſe ſuggerit, auctoritate ſua promulgans, injuriam facere dicatur, *l. 1. §. pen. ff. de aqua quot. & æſti. l. ſancimus, 22. ibi, cur non faciamus diſcrimen inter res divinas & humanas, & quare non competens prærogativa cæleſti favori conſervetur? C. de Sacroſan. Eccleſ.* Æquitatis ſiquidem ratio communiter in omnes procedere debet, *l. ult. C. de fidei commiſſ.* & licet nihil facile ſit mutandum ex ſolemnibus juris; tamen ubi æquitas evidens

5 (beside "Altera * privilegiorum")
6 (beside "adeo ut * Princeps")

dens

dens postulat, subveniendum est, *l. pen. in princ. ff. de in integr. restit. l. etsi nihil, ff. de reg. juris.*

7 Tertia * causa occurit, ut præmio afficiantur bene de Rep. aut Principe meriti, *leg. eum, qui, 58. ibi, habita consideratione videlicet meritorum, Cod. de decurion. Lib. X l. jubemus, 4. Cod. de prox. sacr. scrin. Lib. XII. leg. 5. §. 3. ff. de jure immunit. tot. tit. C. pro quib. causis servi pro præmio lib. accip. l. ult. C. de apparit. præf. prætor. lib. 12. l. 3. C. de officio mag. mil. leg. testamenta, 26. ff. de testam. milit. l. ult. C. de his qui sponte mun. pub. subeunt, l. 1. in princip. ff. de censibus, Joh. de Platea in l. agentes, num. 1. C. de*
8 *præpos. agent. in rebus, lib. 12.* Ita * privilegiorum, quæ imperialis sibi vendicat majestas, causam reddit, *l. bene à Zenone, 3. Cod. de quadrienni præscriptio.* qui, inquiens, suis consiliis suisque laboribus pro toto orbe terrarum diu noctuque laborant, quare non habeant dignam sua prærogativa fortunam? Ob hanc cau-
9 sam plurima * milites privilegia acceperunt, *l. veteranis, 9. ibi, remunerantes fidem devotionem militum nostrorum, C. quando provoc. non est necesse, l. numerarios. 4. ibi, sudoribus eorum beneficium deferentes, C. de apparit. mag. mil. lib. 12. l. testamenta, 26. in fine, ff. de testam. mil. l. milites, 13. ff. de re mil. l. pen. C. de militari veste.* Refert etiam T. Livius *lib. 39. Annal.* P. Ebutio ob Bacchanaliorum judicium datum, ut ei stipendia emerita essent, ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret. Hispalæ Feceniæ libertinæ mulierculæ ob eandem causam datio, diminutio, gentis enuptio, tutoris optio, utique ingenuo ei nubere liceret, &c. datum. Sic Helvetiis vetera privilegia confirmasse & nova addidisse, Fridericum II. Imp. quod ipsum à Pont. R. exagitatum nunquam deseruissent, Stumpfius auctor est. Et Austriæ Duci privilegia data inter alia etiam ideo, quoniam Austria cly-
10 peus * & cor S. Rom. Imperii esse noscatur, ait Fridericus I. Imper. in privilegio, quod recitat in Austriæ descriptione Cuspinianus. Mar. denique Tullius in Verrem orat. 6. nunc sum, ait, designatus ædilis: habeo rationem, quid à pop. R. acceperim: mihi ludos

dos sanctissimos, &c. mihi totam urbem tuendam esse commissam, ob earum rerum laborem & solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imagines ad memoriam posteritatemque prodendam.

Quarta causa * cum priore cohæret, ut hujusmodi præmiis ac beneficiis plures ad bene de Rep. merendum invitentur atque alliciantur, *l. 5. §. 3. ff. de jure immunit. l. ult. ibi, hoc speciali beneficio omnes, alacriores ad conferendam civitatibus hujusmodi opitulationem constituere properavimus, C. de his, qui sponte mu. pub. subeunt.* 11

Huc Claudius respexit Cæsar: qui cum essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, magno omnium favore indulsisset, rudem tabulam illico misit, admonens populum, quantopere liberos suscipere deberent, quos viderent & gladiator. Præsidio gratiæque esse. Idem cum fame urbs premeretur, negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si quid per tempestates accidisset, & naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda. Hæc Sueton. Tranquillus in vita ejus. Qui & Jul. Cæsarem omnes medicinam Romæ professos, & liberalium artium Doctores, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterent, civitate donasse scribit. Hinc Seneca *lib. de benefic. 3. cap. 11.* quædam, inquit, privilegia * parentibus data sunt. Quomodo horum extra ordinem habita est ratio, sic aliorum quoque haberi debet. Parentum conditionem sacravimus, quia expediebat liberos tolli: solicitandi ad hunc laborem erant incertam adituri fortunam. Ob hæc Ulpinianus *in l. 1. §. 1. ff. de justit. & jure*, bonos non tantum metu pœnarum, sed præmiorum quoque exhortatione effici profitetur. 12

Quinta * causa est sexus vel ætatis imbecillitas, *l. 2. §. 2. ff. ad Vellejan. l. si ex causa, 9. ff. de minoribus.* Cum qua convenit simplicitas, *l. 1. ff. de testament. mil. l. 3. Cod. eod. tit. l. 1. C. de juris & fac. ignoran.* & imperitia nimia, *Institut. de testam. mil. in* 13

princip. l. impuberi, 40. ff. de administr. & peric. tut. jurisque ignorantia, *l. Lucius, 40. §. fin. ff. de testam. mil. dict. l. 1. C. de jur. & facti ignor.* Ob has enim militibus privilegia data sunt, dd. ll. & præcipue jus ignorare permissum, *l. pen. §. si filius familias, ff. de juris, & fac. ignoran.* arma enim illi magis, quam leges scire existimantur, *l. fin. in pr. C. de jure deliber.*

14 Sexta * causa est damnum gravius à fortuna & vi majore, non propria culpa, acceptum; cujus miseratione afflictos privilegii alicujus solatio sublevari æquum videtur, *lex legem, 7. Codic. de naturalibus liber. lex. 1. Codic. vectigalia nova institut. non posse.* Hinc Byzantinis Thracio Bosphoranoque bello fessis, annitente Principe, tributa in quinquennium remissa, scribit Tacitus *lib. 12. Annal. Et lib. 3.* Senatusconsulta facta memorat, ut civitati Cybiraticæ apud Asiam, Ægirensi apud Achaiam, motu terræ labefactis, subveniretur remissione tributi in triennium. Sic anno post Christum natum 1557. Florentinorum Ducem suis magnam tributorum & subsidiorum partem in certum tempus remisisse, ob ingentia ex Armi inundatione accepta damna proditur. Huc pertinent miserabilium, quas vocant, personarum, & similia privilegia.

15 Septima * causa invenitur, generis nobilitas & originis antiquitas, *l. non tantum, 17. §. 1. ff. excusat. l. 1. in princ. ff. de excusat.* Ob quæ multis privilegia & immunitates tributas ab Claudio Cor. Tacitus, *d. lib. 12.* ait.

16 Octava * sequitur, dignitas, virtus, & præcellentia personæ vel causæ, *l. deferre, 18. § 5. & 6. ff. de jure fisci, l. unica, §. 1. ff. de offic. præfecto prætorio, l. sancimus, 22. in prin. C. de SS. Ecclesiis.* Ita *l. non omnes, 5. in princ. ff. ne re militari.* non omnes, inquit, desertores similiter puniendi sunt: sed habetur & ordinis, stipendiorum ratio, gradus militiæ vel loci muneris deserti & anteactæ vitæ, &c.

17 Nonam * causam professio doctrinæ, muneris, aut artis egregiæ facit, *l. ult. & tot. tit. Cod. de professoribus & medic. Lib. X.*

l. ad-

l. advocat. 14. *Cod. de advocat. div. judiciorum*, *fac. l. ad beſtias*, 31. *ff. de pœnis.* Sublatis enim ſtudiorum preciis, etiam ſtudia peritura, ut minus decora, docet id Tacitus lib. 11. annal. Ætas & eruditio multam habere facit differentiam pœnæ, ait cap. *hoc ſit in judicio*, 26. *q.* 7.

Decima * cauſa favor eſt perſonæ alicujus vel cauſæ, *l. ex* 18
pluribus, 42. *ff. de adminiſtr. & peric. tutor. l.* 74. *ff. de jure dot. l. fin. C. ad Vellej. Inſtit. de donat.* §. *ult.* Ita militibus privilegia quædam favore certo & benivolentia ducti Impp. dederunt, *l.* 1. *ff. de teſt. mil. l. licet*, 19. *C. de pactis.* Hujus vi non facere tantum ſingularia multa in noſtrum commodum cedentia licet, ſed quædam inſuper noxia nobis vel aliis facere prohibemur. Sic donatio inter virum & uxorem prohibita eſt, non ratione odii, ſed nimii amoris, *gloſ. in l. ſi inter*, 9. *ff. de reb. dubiis.*

Undecima * indulgentia, clementia, humanitas, Principis 19
eſt, *l.* 1. *in prin. ff. unde cognati*, *l. obſervandum*, 47. *ibi*, *niſi hoc ſpecialiter à Principe ad verecundiam petiti judicis reſpiciente permittatur*, *ff. de judic. l.* 3. *ff. de conſtit. Princ. l.* 31. *ff. de ritu nupt. l.* 42. *ff. de donation. inter virum & uxor. l.* 41. *in prin. ff. de excuſat. l.* 1. *in prin. ff. quando appellandum ſit*, *l. in bello*, 12. §. 5. *ff. de captivis*, *l. qui excubias*, 10. *ibi*, *niſi hoc liberalitas Principis eis ſpecialiter indulſerit*, *ff. de re militari. l.* 9. *C. de impub. & aliis ſubſtit.* Ita Fridericus II. Imper. in privilegio Aquinatibus dato: Satis nobis cedit ad gloriam, & regiæ dignitatis faſtigia ſublimamus, ſi motus noſtros clementiæ virtute proſpicimus, & manſuetudinem in ſubditos exercemus: cum creſcat in eis etiam erga nos vigor devotionis & fidei, ſi fragilitatis humanæ memores aliquid ſeveritati detrahimus; & quæ punire poſſemus gladio, lenimento miſericordiæ mitigamus, &c. Nihil enim tam peculiare eſt imperialis majeſtatis, quam humanitas, per quam ſolam Dei ſervatur imitatio: ut ait Imp. *in l. ult. C. de donat. inter virum & uxor.*

Dudodecima, * affinitas, amicitia, vel familiaritas cum Prin- 20
cipe, aut his, qui Reip. præſunt. Unde propter conjunctionem

originis Romanæ Iliensibus tributa immunitas est, *l. non tantum, 17. §. 1. ff. de excusat.* Et Augustæ, licet alias legibus non solutæ, Principes eadem privilegia tribuunt, quæ ipsi habent, *l. Princeps, 31. ff. de legibus.* Ita Urgulaniam supra leges amicitia Augustæ elatam Tacitus lib. 2. annal. scribit Lucilio Longo amico Tiberii Cæsaris quanquam novo homini censorium funus, effigiem apud forum Augusti, publica pecunia patres decrevisse, auctor est idem libr. seq. Apud quem eundem lib. 14. annal. Nero Cæsar ad Annæum Senecam ait: Rubori mihi est, quod præcipuus charitate nondum omnes fortuna antecellis. Et Fridericus II. in privilegio concesso comiti Acerrarum: Licet in hoc, inquit, nostræ clementiæ dextera libenter ad omnes, humilitate suadente, sit habilis; circa illos tamen extenditur specialiori prærogativa libentius, quos carnis nobis affinitate conjunctos, sic devotio semper in antea consolidat, ut ad rectitudinis terminum gradiendo perveniant, &c.

21 Tertia decima * lætitia publica, victoriæ, dies festi, Principum coronationes aut nuptiæ, filii filiæve nativitas, & similia, *l. qui cum major, 14. §. 2. & ibid. glos. in ver. public. ff. de bonis libertorum, l. abolitio. 8. ff. ad Turpil. l. 1. C. de sentent. pass.* Exemplo est in lib. 2. Regum capit. 19. Simehi filius Geræ, &c. Quod si
22 tamen * dolus malus interveniat, ut quis tali tempore spe futuræ ob eam causam impunitatis delinquat, vana est privilegii impetratio, *Bart. in l. 1. in princ. ff. si is qui test. liber. esse jussus, &c.* Huc & inprimis pertinet *tit. Cod. publicæ lætitiæ vel Coss. nuntiatores, &c. Lib. 12.*

23 Quarta decima * causa erit Necessitas, quam lege carere proverbio tritum est. Itaque maxime omnium privilegio dat occasionem, *l. 162. ff. de reg. jur. l. ut gradatim, 11. §. quotiens, ff. de mun. & honor. l. omnia privilegia 34. C. de Episc. & Cler. c. non*
24 *debet, de consang.* Nam & alias * prohibita conceduntur propter necessitatem, *P. Anchar. in capit. ult. not. 3. de sepult. lib. 6.* Propter hanc permissa furta, cædes, domus alienæ destructio, debitoris capien-

capiendi, juris sibi dicendi potestas, & alia prohibita, *l. scientiam, §. qui cum aliter, ff. ad leg. Aquil. l. ait. prætor. §. si dubitarem ff. de his quæ in fraud. cred. c. si quis propter, de furt. c. jus gentium, dist. 1. cap. licet de feri. Clem. 1. de homicid.*

Quinto decimo * loco ponenda novitas rei ac casus, novum 25
quoque remedium & consilium requirens, *l. 1. in princ. ff. de inspiciendo ventr. l. de ætate, 11. §. ex causa, ff. de interrogat. l. filius familiæ, 8. §. fin. ff. de procurator. l. si post datum, 14. in fine, ff. de procurat. l. si ab arbit. 10. in fin. ff. qui satis dare cog. §. sciendum, Instit. de hæred. quali. & differ. auth. de non eligendo sec. nub. in præfat. & plures aliæ leges quas allegat glos. in d. l. de ætate, & in l. si merces, 25. §. vis major, 6. ff. locati, & in l. cum post mortem, 43. in verbo emergente, ff. de admin. seu peri. tut. in l. ex facto, 43. in ver. auferret, ff. de vulg. & pupil. substit. in l. 3. ff. de cond. indeb. Hip. de Marsiliis, sing. 142.*

His * plures adjici possunt ex *l. 4. §. vet. ff. de re militari.* 26
Hæc datur venia, inquit valetudini, adfectioni parentum & adfinium, & si servum fugientem persecutus est, &c. Sed & ignoranti adhuc disciplinam tyroni ignoscitur. *Et l. omne, 6. §. qui se d. t.* per vinum aut lasciviam lapsis capitalem pœnam remittendam dicit. Ita in authen. *de proconsule Palestinæ, in præfat. §. 1.*
causas * privilegii illius ponit. Imp. cernimus, inquit, quod & ma- 27
gnæ admirandæque regionis imperium habeat ea provincia, & quam maximam Reip. nostræ gratiam & sensum exhibeat, tam tributorum magnitudine, quam devotionis exuperantia, præbeatque ampli nominis civitates, ac bonos cives enutriat, & omni doctrinarum genere refertos, neque non inter sacerdotes celebres, & (quod omnium maximum est) quia universi conditor Dominus noster Jesus Christus, verbum illud Dei, & totius humani generis salus in ea comparuerit dignatusque sit assumere nostra. Hæ inprimis pluresque aliæ in textu juris causæ occurrunt: ex quibus aliæ aliis propriæ magis, magisque ultimæ & veriores, existunt. Nam cum finium * quidam ex accidente, quidam per 28
se sint,

se sint, quidam remotiores, quidam proximi, *gloss. in l. 1. C. de pactis*, & illorum unius rei plures, hujus generis in uno proposito unicus tantum: ideo ex dictis modo variis diversisque privilegiorum finibus, reliquos omnes vel ex accidente, vel intermedios esse, unum tantum ultimum verumque & perpetuum dico. Finis
29 * hic æquitas est, ad quam omnia privilegia, tanquam ad ultimum scopum, certissimamque & unicam regulam collineare, ad quam omnes reliqui fines referri ac respicere debent: adeo ut sola æquitas legitimum ratione finis privilegium reddat, sola absens; etiam aliis omnibus præsentibus, vanum privilegium constituat. Hoc vel nomen ipsum ostendit; quod enim æquum non est privilegium, iniquum est: quod iniquum, irritum & nullum esse necesse est. Quo solo argumento, æquitatem perpetuum esse privilegiorum finem, qui nunquam abesse possit, liquido monstratur. Ut, quod supra cap. 3. dixi, privilegia ex juris naturalis, hoc est, ipsissimæ æquitatis fontibus manasse, silentio prætermittam. Ultimus autem finis est, post quem alius non est. Talis in hoc genere æquitas est. Ad hanc quippe tanquam ultimam simul & summam omnium privilegiorum causam, aliæ omnes respiciunt. Veluti privilegia quædam dari diximus, ut præmio bene meriti afficiantur. Cur hoc? quia æquum est scil. bonos præmiis, improbos pœnis afficere. Sexus vel ætatis imbecillitate laborantibus, à fortuna aut alia causa afflictis, succurritur: quia æquissimum est, eos, qui propriis viribus nequeunt, tali auxilio jus suum obtinere; magis enim consulendum est his, quibus majus periculum intenditur, ut ait *l. 1. §. 5. ff. de Carbon. edicto.* Sic generis nobilitas, virtus, dignitas, ars, doctrina, & similia, privilegiis honorantur: quoniam æquum est, quos Deus, natura, ratio, ingenium, assiduitas aliis antecellere voluerunt, favore quoque ejusmodi eximios reddi.* Nec minus indulgentiam, amicitiam, favorem Principis vel Reip. prodesse æquum est; neque enim isti sine causa & ratione alicui favere videntur. Novis vero
31 casibus nova remedia excogitare summa suadet æquitas, &c. Inverte

verte jam hæc omnia, & ab ſingulis hiſce cauſis æquitatem remo-
ve, ipſa natura duce nulla eſſe ejusmodi privilegia intelliges; etſi
leges nullas, nulla argumenta audias. Fac enim, cuiquam præ-
mium & privilegium dari, ſed immerenti, ſed cum injuria alte-
rius: nonne privilegium illud locum habere non poſſe dices, et-
ſi jura & leges prætermittam? non iniquum tale privilegium cla-
mans, hoc ipſo æquitatem pro ſummo fine agnoſces? Ex hiſce
igitur ſimilibus, & ex ordine atque natura juris totius reliquarum
legum jus privilegiorum æquitatem, ultimum finem eſſe, mani-
feſtiſſime cernere licet. Nam ut leges * inventæ ſunt, quo jus 30
univerſis redderetur, ita privilegia introducta ſunt, ut æquitas
ſingulis præſtaretur. Unde juſtitia quoque ſumma & perfectiſſi-
ma omnium virtutum, qua ſine omnes aliæ inanes atque imper-
fectè manent, merito eſſe dicitur *in præfat. auth. ut omnes ob. judici-
bus, &c.* Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ᾽ ἀρετή ᾽στι, ut vetus verſus
ait. Ubi vero quod juris eſt, omnes; quod æquum, ſinguli ac-
cipiunt, ibi juſtitiam integram adminiſtrari, vere ſuum unicuique
reddi, credendum eſt.

Objicere * aliquis poſſet utilitatis ſpeciem, & hanc eſſe pri- 31
vilegiorum cauſam potiſſimam, vel parem certe æquitati, con-
tendere, per jura ſupra num allegata *& l. jus ſingulare, 16. ff. de
legibus.* Ubi ſatis aperte jus ſingulare propter utilitatem aliquam
introduci affirmatur. Ego vero multum nego, utilitatem cau-
ſam potiorem æquitate eſſe. Nam ut omittam copioſas Philoſo-
phorum de utilitate & æquitate diſputationes, omni homini in-
genuo & honeſto extra controverſiam poſitum ſat ſcio, nihil * uti- 32
le eſſe, niſi quod juſtum, nihil autem juſtum eſſe poteſt, quod
non ſimul æquum. Itaque ut omnia alia, ſic privilegia quoque
tum demum utilia erunt, cum æqua. τὸ ξυμφέρον, ἐν ᾧ ἂν τις ἐλά-
χιστα ἁμαρτάνοι μᾶλλον ἕπεται, ut prudenter & piè Corinthii apud
Thucyd. ajunt. Non ignoro apud complures, etiam qui in Rep.
longe primi ſunt, id omne juſtum & æquum eſſe, quod utile. Sed
ego non quid fiat, nec quid corruptæ multorum opiniones ſta-

tuant,

tuant, ſed quid fieri debeat, & quid veritas obtineat, loquor; non enim quid Romæ fiat, ſed quid Romæ fieri debeat, ſpectandum, *l. ſed licet, ff. de officio præſidis.* Certum eſt, æquitate remota nihil eſſe, ſed videri tantum, utile. Utilitatem ergo ſola æquitate commendari atque probari, per ſe nihil eſſe, non diſputo, ſed tanquam omnium bonorum ſuffragiis certum ac indubitatum pronuntio. Ais tu, non quamvis, ſed publicam utilita-
33 tem privilegiorum eſſe finem. Ego * vero neque publice, neque privatim quidquam utile eſſe admitto, quod æquum non eſt: & id ſolum è Rep. eſſe judico, quod juſtum eſt. Quod ad *d. l.*
34 *jus ſingulare,* * *& ſimileis* attinet: illas ſciendum, primo non accuratam privilegiorum definitionem tradere; tum v. utilitatem non ut ſummum, ſed ut aliquem finem, vel potius ut veri finis accidens perpetuum nominare: nusquam enim utilitas, publica præſertim, ab æquitate ſeparatur, ſemperque, quod eſt æquum, utilitatem haud dubiam conjunctam habet: ut contra, quidquid iniquum eſt, inutile quoque recte cenſetur.

Satis igitur ſuperque manifeſtum eſſe opinor, æquitatis, ut veriſſimi & ultimi finis gratia, privilegia inventa atque introducta eſſe: & quicunque privilegia aliis largiri cupit, huc reſpicere, hoc limite propoſitum ſuum terminare debere: hoc item vel penitus neglecto vel aliis ſubjecto, privilegia iniqua & nulla, non immerito haberi.

CAPUT XI.

Definitio ſeu deſcriptio privilegiorum ex hactenus dictis colligitur.

EPITOMA.

1. *Quid cap. 1. & 2. hactenus actum, colligitur.*
2. *Quid cap. 3.*
3. *Quid cap. 4. 7. 8.*

4. Quid

4. *Quid cap. 5. & 6.*
5. *Quid cap. 9.*
6. *Quid cap. 10.*
7. *Dispensationum descriptio inspicitur.*

NUnc quoniam, quod hactenus actum maxime, omnia, quæ ad definienda integre atque accurate privilegia necessaria esse possunt, pervestigata atque inventa habemus: eadem summatim & breviter colligentes, tandem ipsam huc usque quæsitam definitionem construemus & in medium ponemus. Ostendimus igitur primo omnium * privilegium jus esse singulare seu 1
speciale. Docuimus, * introductum id contra jus civile; quod 2
universale est sive commune. Diximus, * introductum legitime. 3
Id verbum tria præcipue continere monuimus. Primo, ut privilegium introduxerit, qui potestatem hujusce rei habet; facere autem privilegium potest, qui legem potest, quatenus potest.
Deinde, * ut rite impetratum sit, quod regulis inclusum. Tertio, 4
* ut forma exterior & styli solemnia observentur. Postremo & 5
* finem privilegiorum æquitatem illustravimus. Ex quibus omni- 6
bus probe consideratis atque contractis, privilegium esse definio, JUS SINGULARE SEU SPECIALE, CONTRA JURIS UNIVERSALIS SIVE COMMUNIS TENOREM, ÆQUITATIS ADMINISTRANDÆ CAUSA LEGITIME INTRODUCTUM.

Ad hunc modum * dispensationes quoque juris Canonici 7
(quæ & ipsæ, si vera dicere volumus, sub privilegiorum genere continentur, aut hæc certe sub illis, ut Baldus censet *in l. beneficium, C. de constit. Princip.*) Speculat. *in ti. de dispensation.* §. *1. in prin.* definit, esse nimirum providam juris communis relaxationem, utilitate sive necessitate pensata. Item aliter: Esse rigoris juris per eum, ad quem spectat, canonice factam relaxationem. Ita & Baldus: Dispensatio ait, est rigoris mitigatio per habentem auctoritatem facta, suadente publica utilitate vel rationabili alia æquitate. Quæ si tu recte ac penitus consideraveris, ac cum præ-

missis contuleris, idem plane nobiscum determinare videbis. Nam & efficientem causam apertis verbis tradunt: & finalem summam, quamvis non expresse, consequenter tamen ostendunt, cum necessitate quidem vel utilitate moveri dispensantem, sed provide tamen & canonice procedere, ajunt. Formam vero illa satis demonstrant, quod relaxationem providam & canonicam esse volunt: additque Specul. ibidem, provida deliberatione esse in dispensationibus procedendum, *c. fin. de transact.* alioquin dissipationem potius, quam dispensationem dicendum: quia Dominus non velit simul effundi opes, sed dispensari.

CAPUT XII.

De æquitate, necessitate & utilitate privilegiorum commonefactio.

EPITOMA.

1. *Leges in privatorum gratiam abrogare, perniciosum videtur.*
2. *Sufficit, legem in communem prodesse, etsi quibusdam obsit.*
3. *Quod uni permittitur, cæteris non prohibendum, & num. 50.*
4. *Non decet eundem legum auctorem & eversorem esse.*
5. *Quo meliores leges habemus, hoc minus his utimur.*
6. *Seditioni civium & rebellioni subditorum an occasionem dent privilegia? disquiritur; & num. 46.*
7. *Discordia & contentiones in Rom. Rep. ex inæqualitate ortæ.*
8. *Franci acceptam immunitatem ad tempus inperpetuum retinuerunt.*
9. *Privilegia vulnera dicuntur & quomodo? & num. 44.*
10. *Nihil contra jus commune statuendum; legibus probatur; & num. 49.*
11. *Rescripta secundum jus concedi debent; non contra.*
12. *Quod in legum positum est potestate, non eget extrinsecus dispositione.*
13. *Leges regere, non regi debent.*

14. Æqua-

Constituta explicataque definitione præsentis doctrinæ, antequam ad alia huc pertinentia procedamus, objectionibus quibusdam & legibus, quæ improbare ac tollere privilegia videntur, respondere; & simul de jure, æquitate, necessitate & utilitate privilegiorum commonefacere, operæ precium duco. Ita enim & superiora magis illustria magisque in aperto erunt, & ipsum privilegiorum jus & natura tanto melius intelligentur, animisque insigentur.

Ac primo, quod privilegia æquitatis causa nata, eademque
1 contra jus & leges introducta diximus, * non tam absurdum, quam iniquum, & à ratione administrandæ Reipubl. alienum videtur. Quid enim perniciosius re & exemplo in Repub. esse potest, quam leges, salutis publicæ causa in universos & singulos latas, in privatorum gratiam contrariis factis labefactare, ac re ipsa abrogare? quibus enim secundum leges jus dicitur, nisi singulis? Quod cum ita sit, non hoc ipso leges maximo contemptu abjiciuntur, dum hi, in quos maxime exerceri debent, eximuntur? At enim ajunt, incommoda interdum certo quodam in ca-
2 su, re, vel persona lex evadit. Nulla * (inquit M. Cato apud Livium lib. 34.) lex satis commoda omnibus est; id modo quæritur, si majori parti & in summum prodest: sic, quod cuiquam privatim officiet jus, id destruet & demolietur: quid attinebit universas rogare leges, quas mox abrogare, in quos latæ sunt,
3 possint? Nam * quod uni præter jus indulseris, qua fronte, quo jure, reliquis in eodem aut simili casu negabitur? Quod enim uni

uni permittitur, id cæteris non prohibendum, ait *l. pen. §. præterea, C. de ædific. privat.* Et probe Seneca meus in libris de benefic. Satius est, inquit, à paucis etiam justam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari. Sed * omnia supera- 4
re videtur, eum ipsum, qui condidit leges, qui exemplo proprio & alieno leges sanctas & venerabiles cunctis facere debebat: hunc maxime auctorem privilegiorum, hoc est, constitutionum contra jus ac leges introductarum, suarumque ita legum auctorem eundem & eversorem, ut Cn. Pompejum Corn. Tacitus appellat, constituere. Quis magni deinceps faciet, aut violare timebit legem, quam ipse, qui condidit, eo maxime tempore, quo de facto exercere & firmare debebat, contemptim negligere videtur? Nam quod exemplo fit, jure fieri homines rentur. Ac nisi lex multis exemplis factisque sanciatur ac firmetur, invalida plerunque & contempta jacet; quid si contrariis insuper factis impugnetur, futurum dicemus? Hoc est, quod apud T. Livium lib. 10. Q. Fabius suos cives accusat. Quid attineret ferri leges, rogitans, quibus per eosdem, qui tulissent, fraus fieret? Unde pulchre M. Tullius in oratione pro A. Cluentio: Tu mihi concedas necesse est, inquit, multo esse indignius, in ea civitate, quæ legib. contineatur, discedi à legibus. Hoc enim vinculum est hujus dignitatis, qua fruimur in Rep. hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens, & animus, & consilium, & sententia civitatis posita est in legibus. Ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege, suis partibus, ut nervis, & sanguine, & membris, uti non potest. Legum ministri, magistratus: legum interpretes, judices: legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus. De * suis popularibus quidam Gallicarum rerum 5
Scriptor ait, nullam esse gentem, quæ meliores habeat leges, nullam item, quæ his minus utatur; id utinam non de aliis quoque Rebuspub. dici posset. Quid? seditioni * civium, rebellioni sub- 6
ditorum, majores nunquam occasiones dari possunt, quam hujusmodi illegitimis factis? Illos servata inæqualitas indignatione

atque odio incendet; hos cupiditas (insatiabilis enim est humanus animus, nec eo, quod accepit, unquam contentus) ad ma-
7 jora semper amplectanda compellet. Plena * est seditionum discordiarumque civilium historia Romana, quas omnes ex una inæqualitate inter cives ortas apparet; cum patricii plebejos fastidirent, & ab honoribus arcerent; hi contra, sicut laborum & onerum Reipublicæ, ita commodorum participes fieri æquum censerent. Hinc tot dissidia, tot contentiones tribun. pl. dum nimis imparem Romæ libertatem diti & pauperi, honorato atque inhonorato, queruntur. Hinc communis vox est apud T. Liv. libr. 38. Neminem unum civem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit; nihil tam æquandæ libertatis esse, quam potentissimum quenque posse dicere causam, qui jus æquum pati non possit, in eum vim haud injustam esse. Sic lib. 34. ibi. videmus, cum ludos ædilium primum Senatus à populo secretus spectasset, protinus id præbuisse sermones; aliis tandem quod multo ante debuerit tributum censentibus amplissimo ordini; aliis ademptum ex dignitate populi, quidquid majestati patrum adjectum esset interpretantib. & omnia discrimina talia, quib. ordines discernerentur, & concordiæ & libertati æque minuendæ esse.
8 Franci * illi veteres, qui circa Colchidem sedes habuisse feruntur, accepta ab Imp. Valentiniano, ob latum adversus Alanos impigre auxilium, decem annorum immunitate, adeo libertatis hujus dulcedine capti inescatique sunt, ut elapso quoque decennio tributa negarent. Ne longius abeam, quot hodie provincias perniciosis subditorum inter se, aut adversus Principes, ob sola quædam privilegiorum jura, certaminib. turbari vidimus atque videmus?
9 Non * male nimirum privilegia & dispensationes vulnera Augu-
10 stinus appellat *c. ipsa pietas, 23. q. 4.* Itaque recte judices, * ne quidquam, quæ generali juri adversum esse videatur, admittant, monet *l. ult. C. si contra jus vel util publ.* & quæ contra jus comune introducitur, stare non debere, ait *c. quod latenter. de reg. jur.* omnemque recessum à jure communi odiosum esse, affirmant

Abb.

Abb. in c. quia circa , not. 3. de privil. Corn. 9. conſ. 89. n. 7. lib. 3. & conſ. 271. n. 12. lib. 4. & alii , quos recenſet Tiraq. tract. de reſtu conſang. in praſ. nu. 62. Oportet enim ea, quæ communiter & generaliter in communem omnium utilitatem ſanciuntur, valere potius, quam ea, quæ circa aliquos ſtudentur, agi ad corruptionem communium legum, ut ait *auth. de non alien. aut permut. reb. Eccl. §. 9. ver ult.* & quæ communiter omnib. proſunt, iis quam ſpecialiter utilia ſunt præponuntur, *auth. 39. §. 1.* difficiliusque ſemper communia, quam ſpecialia tolluntur, ut gl. *in l. 1.* ait, *in verbo inutilem ff. quib. modis pig. ſeu hypoth. ſol.* Ac ne quis exiſtimet, illas & ſimiles leges univerſe tantum, & de his, quæ plerunque accidunt, loqui; interim nihilominus æquitati privilegiorum adverſus rigorem juris locum eſſe: audiat *l. 19. ff. de appellat.* ita ſtatuentem: ſi expreſſim ſententia contra juris rigorem data fuerit, valere non debet. Et mox ſequitur: non jure perfertur ſententia, ſi ſpecialiter contra leges vel Senatusconſultum vel conſtitutionem fuerit prolata: ſeveriſſime omnium *l. 11. C. de judic.* ſubtilitatis, inquit, legum judex curam habeat, nihil his, quam contra leges dicta fuerint, à Principe attendens. Audis nec Principis dictum, quod contra leges ſit, admitti? Itaque Romanam Remp. ideo laudat *T. Liv. lib. 2. Annal.* quod in ea legum imperia potentiora fuerint, quam hominum. Et *l. Ariani, 5. in fin. C. de haret.* ne ſpeciale quidem beneficium adverſus leges impetratum valere, ait. Sic reſcripta contra jus elicita ab omnib. judicib. refutari jubet *l. pen. C. de precib. Imp. offerend.* Reſcripta * enim ſecundum jus concedi debent, non contra, *gl. in c. nonnulli , in ver. fecerint mentionem , de reſcript.* Itaque non concedi modo talia, ſed & peti prohibentur, *l. 3. C. de prec. Imp. off.* adeo ut qui ſupplicatione eliciendum aliquod tentaverit reſcriptum, ut tranſire ei liceat formam ſtatutorum, tertia patrimonii parte mulctetur, &c. *l. unica C. de Senatuſconſ.* Quod enim * in legum poſitum eſt poteſtate, non eget extrinſecus diſpoſitione, ut ait Imp. *in auth. in medio litis non fieri ſacra form. §. 1.* nec

11 12

nec utendum imperio, ubi legibus agi poteſt, optime ait Ty-
13 berius Cæſ. apud. Corn. Tacitum *lib. 3. Annal.* Regere * enim le-
ges, non regi debent: ut ille apud T. Liv. lib. 10. dicit. Ad hæc
14 * cum prima æquitatis pars æqualitas merito videatur; omnium-
que ideo rerum ac perſonarum, quæ privatam degunt vitam, in
publicis functionibus æqua debeat eſſe inſpectio *l. 6. Cod. de vecti-
gal.* æquitatis etiam ratio communiter in omnes procedat, *l. ult.
C. de fidei commiſſ.* & quod uni permittitur, cæteris prohiberi
æqualitas vetet, *l. pen. §. præterea, Cod. de offic. privat. l. ſi major,
12. Codic. de legit. hered.* quomodo privilegia æqua credemus,
quæ æqualitatem tollere videmus? Itaque & Cicero Verri expro-
brat, in æqua cauſa populorum ſine precio varium jus & diſparem
conditionem fuiſſe. Sic eſt: ſuum cuique reddendum; nec ulli
hominum jus ſuum detrahi oportet, *l. 2. ff. de his, qui ſui vel al.*
15 *jur. ſunt.* Itaque * nec beneficium cum alterius injuria poſtulare
16 convenit, *l. ſed. cum, 12. ff. ad Trebellian.* nec * quod inter alios
agitur, alteri nocere debet, *l. in cauſæ, 13. in fine, princip. l. 29.
§. ult. ff. de ſervitut. l. quia, 10. ff. de jurejur. l. non debet, ff. de
reg. jur.* nec omnino in injuriam cuiſquam beneficia tribuere mo-
ris eſt, *l. nec avus, 4. Cod. de mancipat. lib. l. 5. C. de jure haſtæ
fiſcal. Lib. X.* Natura enim æquum eſt neminem cum alterius
detrimento fieri locupletiorem, *l. 14. ff. de condict. indeb.* nec bo-
no aut æquo convenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius;
aut damnum ſentire per alterius lucrum, *l. juris, 6. §. 2. ff. de ju-*
17 *re dot.* Nam * ut Bartolus ait, *in l. aſſiduis, 12. Cod. qui potior.
in pign. hab.* non debemus unum altare diſcooperire, & aliud co-
18 operire. Jam * omne privilegium cum alterius damno conjun-
ctum inveniet, quiſquis ſingula bene conſideraverit. Prærога-
tivam quippe omne privilegium tribuere, ſupra cap. 2. num. 10.
dictum eſt; prærogativa vero omnis derogativa (ut ſic loquar)
alterius eſt. Nihil enim fere in rerum natura eſt, quod non ſit
alicujus, *leg. fin. ibi, omnes ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad
alios modis omnibus pertinere, C. unde vi.* Unde, quicquid alienum
nobis

nobis tribuitur, de alieno dari neceſſe eſt. Ac * ne plura con- 19
geramus, nominatim denique & expreſſe privilegia damnare videtur ipſe juris noſtri conditor Juſtinianus Imper. ***in auth. ut omnes obediant judicib. &c. §. 4.*** hiſce verbis: Hanc dicentes juſtitiæ legem, adhuc potius faciemus eam juſtiorem, ſi nulli permittamus habere contra eam quædam privilegia, nec excipi ab hac lege quolibet privilegio. Juſtior ergo lex eſt, quæ privilegia non admittit. Quod ſi tanto juſtior eſt quælibet lex, quanto minus privilegio locum dat: tanto certe injuſtius eſt privilegium, quod juſtitiæ legis vim infert. His pluribusque aliis argumentis & legibus, privilegia, ut jus iniquum, publice privatimque, re & exemplo perniciosa, quibusdam diſplicere non ſine ratione videntur.

Eorum * ſententiam ego non reprehenderim, ſi immo- 20
dicam privilegiorum largitionem uſumque improbant. Nihil
enim * fere horum abuſu perniciofius turpiusque eſſe ſolet: 21
nec male cap. ***epiſcopali, de privilegiis,*** privilegia, inquit, vulgari nimis non oportet, ne honor, cui debent excellentiora committi, ſui numeroſitate vileſcat. Quod ſi vero quis omnia in Rep. æquari, neque locum privilegio aut auxilio extraordinario dandum, æquum putat: næ iſte jus omne fasque pervertit, & pro æqualitate, quam præ ſe fert, iniquiſſimam inæqualitatem introducit, eoque ipſo juſtitiam inter homines tollit.
Nam * ut nihil de magno cumulo privilegiorum dicam, quæ 22
ab Imperatorib. R. ſumma cum ratione & auctoritate inventa, publicata, promulgataque habemus; ut omnium ætatum omnium gentium ac populorum conſenſum legesque, qui ſine privilegiis quibusdam neque volunt eſſe neque poſſunt, ſilentio prætermittam: ipſa certe juris legumque non noſtrarum ſolum, ſed quarumcunque natura ac ratio, privilegiis ſine ſumma juſtitiæ rerumque omnium perturbatione careri non poſſe demonſtrant. Nam, * ut Imperator ***in præfat. auth. quib.*** 23

mod. naturales filii, &c. ait, nulla lex neque Senatusconſultum prolatum in Rep. Romana videtur, ad omnia ſufficienter ab initio promulgatum; ſed multa indigere correctione, ut ad naturæ varietatem & ejus machinationes ſufficiat. Quod confirmant etiam *l. 2. §. ſed quia, 18. ibi, non deſperamus quædam poſtea emergere negotia, quæ adhuc legum laqueis non ſunt innodata, C. de vetere jure enucl. l. 2. ff. unde cognati, l. jus autem, 19. ff. de*
24 *juſtit. & jure, auth. de non permutan. teb. Eccl. immobil.* Cauſa * defectus hujus illa eſt, quod jura non de his, quæ raro, ſed de his, quæ utplurimum accidunt, nec in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur, *l. 3. & ll. ſeqq. ff. de juſt. & jure.* Quomodo & Ariſtoteles *lib. 5. Ethic ad Nicom.* ὁ μὲν νόμος, inquit, καθόλε πᾶς: Et mox: ἐν οἷς οὖν ἀνάγκη μὲν ἐπεῖν καθόλε μὴ οἷόν τε δὲ ὀρθῶς, τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πλέον λαμβάνει ὁ νόμος, ἐκ ἀγνοῶν τὸ ἁμαρτανόμενον. ϗ ἔςιν ἐδὲν ἧττον ὀρθῶς. τὸ γδ ἁμάρτημα ἐκ ἐν τῷ νόμῳ, ἐδ᾽ ἐν τῷ νομοθέτῃ, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύσει τἒ πράγματος ἐςιν. Magna eſt enim naturæ & caſuum humanorum varietas, nihilque inter homines adeo ſtabile, ut nullam patiatur mutationem, *dd. authent.* Un-
25 de inevitabili neceſſitate * ſequitur, non omneis quamvis accuratiſſime latis legibus caſus comprehendi. περὶ ἐνίων δὲ ἐκ οἷόν τε ὀρθῶς εἰπεῖν καθόλε, ait *Ariſtot· ibid.* Et probe in *l. ſed etſi, 26. §. item, 9. ff. ex quib. cauſ. majores, &c.* Item, inquit prætor, ſi qua alia juſta cauſa mihi videbitur, in integrum reſtituam. Hæc clauſula edicto inſerta eſt neceſſario: multi enim caſus evenire potuerunt, qui deferrent reſtitutionis auxilium; nec ſingulatim enumerari potuerunt; & quotiens æquitas reſtitu-
26 tionem ſuggerit, ad hanc clauſulam erit deſcendendum. Nec * univerſaliores tantum, ſed & duriores æquo aliquando ſunt leges, *auth. de triente & ſemiſſe. §. 3.* acerbiores, *auth. 23. in præfat.* ſtrictæ nimis, *l. ſunt perſonæ, 43. ff. de religioſ. & ſumpti. fun. l. non ſolum, 67. §. 2. ff. de ritu nupt.* & rigidæ, *l. cum hic, in pr. ff. de donat. inter vir. & ux.* hoc eſt, ut apud Livium lib. 2. appellantur,

lantur, surdæ, inexorabiles, nihil laxamenti neque veniæ habentes; severitate item nimia, *l. ult. C. ad Vellejan.* aut subtilitate, *l. si fundus, 16. ff. de pignor. l. 6. C. de instit. & substit.* laborant: aut dolis occasionem, nisi temperentur, subministrant, *l. 1. §. 1. ff. de doli mali & metus except.* Quare * ut jure suo, 27
quoad ejus fieri potest, unusquisque potiatur, neve inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur, *leg. 6. Cod. unde vi, l. 1. §. pen. ff. de aqua quotid. & æstiva.* necessarium plane æquumque est, vitia hujusmodi, si non penitus, aliquatenus tamen sanari; & quod legibus omissum est, non obmitti religione judicantium, *l. quæsitum, 13. ff. de testibus.* Modo igitur supplendæ sunt *d. l. jus autem gloss. in l. sicut, 21. ff. de re jud.* modo exceptionibus aliove remedio adjuvandæ, *de auth. de non alien. aut permut. reb. Eccl. immob. §. 2. d. auth. 23. in præf. & auth. de rest.* & corrigendæ, *d. l. jus autem, d. auth. quib. mod. natur. filii, &c. in præf.* Nunc rigor laxandus, *d. l. cum hic, in pr.* nunc severitas mollienda, *d. l. ult. ad Vellejan. fac. l. sed & hæ personæ, 35. §. 2. ff. de procurat.* subtilitas, aut stricta nimis ratio omittenda, *d. l.* sunt personæ, *d. l. si fundus, d. l. non solum, 67. §. 2. ff. de ritu nupt.* Non erubescimus, inquit Imp. *in auth. de nuptiis, in fine præf.* si quid melius horum, quæ ipsi diximus, adinveniamus, hoc sancire, & competentem prioribus imponere correctionem; nec expectare ab aliis corrigi legem. Et *l. pen. in fine, C. de reb. cred.* non ut aliquid derogetur antiquiorib. legib. hæc prolata sunt, inquit, sed ut si quid deesse eis videatur, hoc repleatur. Propter hoc sane hominib. imperium Deus imposuit, ut emergentia & legis egentia lege definiat, & humanæ naturæ incertum repleat, *l. 2. §. 18. C. de vet. jure enucl.* Novi enim casus novis remediis & auxiliis opus habent, ut sup. *cap. 10. n. 25.* ostensum. Quoties igitur cunque Princeps legem dictorum aliquo vitiorum laborare cernit, illam protinus adjuvare, supplere, corrigere debet; quo modo ipse lator le-

gis, si vel scisset casum illum, vel includere potuisset, legem ac jus universale condidisset, ut d. loco suadet Aristoteles: & glossa quoque *in l. scire oportet, §. aliud, ff. de excus.* Ita Claudium Cæsarem scribit Suetonius, non semper legum proscriptum secutum, duritiam lenitatemve mulctarum ex bono & æquo moderatum esse. Nam & iis, qui apud privatos judices plus petendo formula excidissent, restituisse actiones, & in majore fraude convictos legitimam pœnam supergressum ad bestias
28 damnasse. Nam * ut in obligatione generali non veniunt ea, quam quis non verisimiliter fuisset etiam in specie obligaturus, *l. 6. ff. de pign. l. cum Aquiliana, 5. ff. de transact. l. qui cum. 9. §. 1. & 3. l. non est ferendus, 12. ibid. l. 46. ff. de pecul.* Ita in lege quoque generali non intelliguntur singulares casus, quos
29 lator si scisset, verisimiliter ipse quoque excepisset. Hæc * casuum & rerum humanarum indomita varietas, inferiorib. quoque aliquando judicib. leges, æquitate (sed hanc urgentem esse atque evidentem oportet, ut notant Dd. *in c. 1. de constit.* & verba legis sententiamque Principis nonnihil obscura; alioquin cum Ulpiano dicendum: Dura lex; sic tamen scripta est, *l. prospexit, ff. qui & à quib. manum.*) suadente, moderari, corrigere, supplere permittit, *l. 2. ff. de re judicata, l. quod si Ephesi, 4. ibi, in summa æquitatem quoque ante oculos habere debet judex, qui huic actioni addictus est, ff. de eo quod certo loco, l. in fundo, 38. ibi, bonos judex varie ex personis caussisque constituet. ff. de rei vend. l. non sine ratione, 5. C. de bon. quæ lib. l. fin. ff. de petit. hered. c. Abbate, de re jud. lib. 6. fal optime, l. sed hæc, 13. ff. de procur. & l. si reus, 73. in fin. ib. l. Pomponius, 15. in fin. ff. de neg. gestis.* Et quod legib. omissum est, non obmitti religione judicantium præcipit *d. l. quæsitum, 13. ff. de testibus.* Unde & *in l. ult. C. de appell.* definimus, inquit Imperator, & omnem eis damus facultatem, si hoc ita fuerit subsecutum, licere eis & ampliorem summam præfata quantitate, in qua dati sunt judices, excedere;

re; & non admodum suæ rationis, sed ad veritatis indaginem ferre sententiam; ne tanti judices quasi vinculis præpediti non possint legum veritati & judiciali vigori per omnia satisfacere. Ita feriarum moderamen secundum locorum consuetudinem præsidib. judicibusque permittunt *l. presidees 4. l. oratione, 7. ff. de feriis.* Quib. consentit Jac. Menoch. *in proœmio li. 1. de arbitr. jud. quæstionibus: & quæst. 96. num. 15. d. lib.* ubi judicem clementiorem lege scripta esse debere ait. Ac licet contrariam sententiam pro regula ponat Hippol. de Marsil. *in singul. 182.* eandem tamen ita limitat ac restringit, ut potior & communior prior sententia videatur. Quam ob causam judicem auxilium legis appellat Equinarius Baro *de dividuis & individ. c. 4. nu. 11.* Clementia inquit Seneca, *li. 2. de clem. c. 7.* liberum arbitrium habet, non sub formula, sed ex æquo & bono judicat, & absolvere illi licet, & quanti vult, æstimare litem. Nihil ex istis facit tanquam justo minus fecerit, sed tanquam id, quod constituit, justissimum sit. Quod igitur inferiores judices vult facere Princeps, hoc multo potius ipse curare atque observare debet. Tanto id magis, quanto major est ipsius potestas, quanto etiam quæ illi placuerunt legis vim habent; & ita non sententiæ tantum, ut in judicibus, sed decreti, legis, privilegii ferendi ac constituendi jus obtinet. Quod multorum res atque personæ in specie requirunt. Quocirca cum hæc sit legum conditio atque natura, quis non videt privilegia, ut utilissima & maxime necessaria illarum adminicula, summa ratione introducta? Ut enim hactenus dicta ostendunt, & ex sequentibus intelligetur, * hoc ipsum est privilegiorum offi- 30
cium atque munus, ut quibus jus commune seu generale, ob hactenus descriptam ejus naturam ac conditionem æquitatem negabat, his illa in specie eandem, quoad ejus fieri potest, exhibeant.

Non est enim, quod judices privilegia privatim tantum

utilia esse; privata autem facile, maxime cum res publica agi-
31 tur, negligi posse. Publice quoque * utilia sunt, *d. l. jus autem, 19. ff. de justit. & jure, l. 1. ibi, publice interest, dotes mulierib. conservari, ff. sol. matrim. dos q. petatur, l. servum, 33. ibi, publice utile est, absentes à quibuscunque defendi, ff. de procurator. §. ult. Instit. de his qui sui vel al. juris sunt, ibi, expedit Reip. ne quis re sua male utatur, l. 1. C. qui ætate vel profess. se excus. Lib. X. l. qui publici, 2. C. de his qui sponte mun. pub. sub. d. lib. 18. & l. seq. ff. de reb. auctor. jud. possid. l. contra, 14. C. de re mil. Lib. XII.* Ratio sane ipsa ordoque rerum demonstrant, jura quidem omnia & leges præcipue ad Remp. servandam administrandamque spectare; jus autem illud circa singulos versari, nec exerceri fere aliter, quam cum singulis distribuitur, *fac. l. 1. §. 2. ibi privatum, quod ad singulorum utilitatem. &c. ff. de justit. & jure, l. si major, 12. C.
32 de legit. hered.* Unde * florentissimam merito ac felicissimam dicere Remp. licet, in qua singuli cives juris sui compotes bene ac beate vivunt: afflictam contra & nullam, ubi jus suum singulis & æquitas adimitur atque negatur. Hæc enim unica fere consociationis humanæ, quam Rempub. appellare solemus, causa atque origo est, ut justitiæ legibus unusquisque frui, & sua tuto ac sine impedimento possidere queat.

33 Jus * præterea seu justitia (generatim hic voces hasce sumo, quæ sæpius pro rigore juris usurpari solent) & stricto proprie jure constat & æquitate, *l. 2. ff. unde cognati l. nulla juris ratio, 25. ff. de legibus, l. Divus, 7. ff. de in integ. restit. l. 1. C. de legibus, l. unica, C. de prohibita seq. pec. l. 8. C. de judic. auth. de non elig. secundo nub. §. 5. auth. 163. in præfat. glos. in l. testatorem, 68.
34 de legat. 3.* Unde * æquitatem, justitiam ordinatam dulcedine misericordiæ temperatam appellat Cyprianus, *in cap. jure gentium, de re jud. & Specul. in tit. de dispensation. §. 1. ver. æqui-
35 tas vero est media.* Imo plus * ad æquitatem, cujus obtinendæ causa privilegia introducta, dictum est pluries, quam ad rigorem

rem justitia semper propendet, *l. non putavit*, *8.* §. *7. ff. de bon. poss. contra tab. l. si fundus*, *16. ff. de pignoribus*, *d. l. Divus. 7. l. si servo. 84. in prin. ff. de hæred. instit. l. furti*, *6.* §. *pactusve*, *ff. de his, qui not. infam. d. l. unica*, *C. de prohibita seq. pec. d. l. 8. ubi Bald. C. de judiciis, glos. 1. in l. 2. ff. commun. prædi. urb. & rust. & in l. non intelligitur, 3.* §. *pen. in ver. vindicaretur*, *ff. de jure fisci*, *& in l. qui servum, 34.* §. *ult. in verbo remanere*, *ff. de obligat. & action. & in l. si servum*, *91.* §. *sequitur in ver. de bon. ff. de verborum oblig. in l. cum stipulatus, 113. in ver. commissa est, ibid. in l. servus 27. ff. de stipul. servorum, in l. si servus, 61.* §. *quod vero, 5. in ver. damnosum, & in l. vulgaris. 21.* §. *sed si, 5. in ver. durum, ff. de furtis* (quod limitatur * tamen nonnihil, cum rigor est 36
scriptus, æquitas non scripta, aut cum æquitas in genere scripta est, rigor in specie, *per glos. in l. 2.* §. *item Varus, 5. ff. de aqua pluv. arcenda*, *Bart. in l. 1. ff. de usurpat. & usu cap. Dyn. in cap. possessor. de reg. jur. lib. 6. Cyn. in l. 1. C. de legibus*, *Baldus & Dd. in l. placuit, C. de judic.*) & paria sunt, cum dicis, legem hanc procedere de æquitate, illam de rigore, & cum hanc illam corrigere affirmas: ut ait glos. ult. *in l. dotem*, §. *ult. ff. de publicanis.* In omnibus enim * quidem rebus maxime tamen 37
in jure æquitas spectanda (ut ait *l. 90. ff. de reg. jur.*) judicique ante oculos habenda est, *l. 4. ff. de eo quod certo loco dari optime.* Et legum conditores æquitatis convenit esse fautores, *l. 8. C. de pactis*, cum nihil tam peculiare sit majestatis imperialis, quam humanitas; per quam solam Dei servatur imitatio, *l. fin. C. de donat. inter virum & uxor. l. & ab antiquis, 31. C. de testam.* Nam ut supra cap. 4. num. 18. ostensum, * privilegia originem & 38
causam ab ipsius Dei traxerunt exemplo, qui cum universo genere humano beneficio redemptionis dispensavit, & quotidie cum unoquoque nostrum dispensat. Non est igitur mirum (ut Speculat. ait, *in tit. de dispensat.* §. *originem, vers. 1.*) si homines cum hominibus dispensent: quia * omnis Dei actio, no- 39
stra

ſtra debet eſſe inſtructio, *cap. exemplum, 12. q. 1.* & ubi Domi-
40 nus eſt largus, diſpenſator non debet eſſe avarus: quia * melius eſt, de miſericordia, quam de ſeveritate reddere rationem, *cap. diſpenſatio. diſt. 43. cap. alligant, 26. q. ult.* Æquitas igitur ornat firmatque imperium, hæc conſervat Remp. hæc pulchre humanam novit gubernare vitam, ut Imp. ait in præfatione auth. *de relevat. tributorum public.*

Plurima alia pro æquitate & jure privilegiorum argumenta & rationes adferri poſſent, ſed hæc abunde ſufficere puto. Sunt enim ex ipſa natura præſentis materiæ ſumpta: cujus generis demonſtrationes & certiſſimæ ſolent eſſe in demonſtrando, & utiliſſimæ in docendo. Nec paucas rationes c. 10. hujus libri, cauſas privilegiorum finales enumerans complectitur.
41 Proximum * eſt igitur, ut non noſtra tantum firmemus, ſed contraria quoque & obſtantia diligentius amoliamur. Itaque licet pleræque in principio hujus capitis adverſus privilegia productæ objectiones ex hactenus dictis refelli atque explicari poſſint, nonnihil tamen in ſpecie quoque præcipuis illarum deinceps reſpondere neceſſarium duxi.

42 Ac * primo quaſdam objectiones non de privilegiorum caſu, ſed de legibus penitus abrogandis loqui dico. Legis enim univerſis latas, in gratiam privati alicujus abrogari indignum fateor: easdem tamen in certo tantum caſu vel negotio corrigi, aut ſuſpendi æquiſſimum eſſe ſupra dicta docent. Aliud enim eſt abrogare legem, aliud corrigere aut moderari: aliud negligere, aliud ſupplere: aliud contemnere, aliud ſuſpendere, flectere, mollire. Illud non facile, nec ſine magna cauſa, multaque cum deliberatione (utique enim civiles quoque leges mutabiles, & ut cum T. Livio loquar, mortales ſunt: ut docet gloſſ. ult *in l. ex duobus, 34. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. Angel. Aret. Inſtitut. de legit. agnat. tut. §. ſed agnationis, n. 1. A. Gailius lib. 2. obſ. cap. 124. n. 2. L. Schraderus de feud. par. 10.*

ſect.

sect. 6. n. 80. & sect. 8. n. 27.) fieri debet: hoc quotiescunque æquitatis ratio suadet, fieri & decet & oportet. At dicis, hoc ipso convelluntur atque infringuntur leges, dum contrariis exemplis factisque impugnantur. Ego * vero, cum æquitatis 43
norma atque modo temperantur leges, firmari potius illas & perfici quam lædi ulla ratione, in præcedentibus confirmavi. Non ut aliquid derogetur antiquioribus legibus, hæc prolata sunt, sed ut si quid deesse eis videatur, hoc repleatur, inquit *l. pen. in fine*, *C. de rebus credit.* Quod * enim dispensationes & 44
privilegia istiusmodi vulnera apellantur, *in c. ipsa pietas, 23. q. 4.* id sententiam nostram confirmat magis, qnam infringit. Nec enim omne vulnus nocendi causa, sed sæpius medendi studio, infertur. Itaque *in d. cap. ipsa pietas*, tali vulneri dispensationes comparantur, quo in mortis præcisione jacentes reviviscant, &c.

Sunt etiam ex superioribus * argumenta quædam, quæ tunc 45
locum habent, cum modus in largitione ac indulgentia privilegiorum exceditur. Nulla enim rerum humanarum tam bona neque tam salutaris est, quam non abusus corrumpat. Notum est illud Frontonis ad Imp. Coccejum Nervam dicterium: Malum esse sub eo Principe vivere, qui nemini quidquam concedat: longe vero pejus sub eo, qui omnia omnibus permittat. Tum itaque leges contemnuntur, cum illi quos iniquum est eximuntur. Tum * in seditionem cives, in rebellionem subditi aguntur, cum 46
iniquo vel modo, vel causa, vel tempore, eis privilegia dantur, aut legitime data contra jus fasque adimuntur.

Nam * cum natura æquum esse dicitur, neminem cum al- 47
terius damno fieri locupletiorem: scias, & illud non minus æquum esse, nullius causam ob alterius commodum fieri deteriorem. Plerunque enim duo concurrunt, quorum utrique damnum, utrique commodum propositum est. Tum utique, ut justitia conservetur, æquitas arbitrum agere, & digniorem causam elige-

U re

re ac præferre debet: cum & jus aliud alio æquius ſæpiſſimè inveniatur, & bono melius, *l. ubi autem, 75. §. usque adeo, ff. de verborum oblig. l. penul. §. ult. C. de legitim. hæred.* Nam regulam
48 * ut nemo ex alieno locupletetur, falſam eſſe, ſi id fiat cum cauſa ab jure civili probata, recte ſtatuit Bal. *in l. naturaliter, ff. de condict. inde.* Non itaque ſemper injuſtum eſt, aliquem commodum ſuum cum alterius incommodo adipiſci; nemini enim injuriam facit, qui ſuo jure utitur, *l. ſi in meo, ff. de aqua pluvia, &c. l. fluminum, 24. in fine ff. de damno infecto, l. quod autem, 6. §. apud Labeon. ff. qui in fraud. credit. l. factum, 155. ff. de reg. jur.*

49 Quod enim * ad illas attinet leges, quæ contra jus commune quidquam ſtatuere vetant: illas partim de abuſu, partim de inferioribus judicibus, qui non propriam, ſed ab alio mandatam jurisdictionem habent, loqui certum eſt. Quamvis & iſtis rigorem juris æquitate temperare liceat quandoque, ut paulo antea dictum.

50 Sin exemplum * times, ne quod uni indulſeris, ſit & aliis permittendum: ſcito, nec ſane iniquum eſſe, easdem plane cau-
51 ſas habentibus idem jus impertiri; nec tamen * in ſpeciem eandem cauſam habentibus idem jus protinus tribuendum. Magna enim caſuum varietas eſt; & cum duo faciunt idem, non eſt idem. Nam ſi vereris, ne is, cui non idem conceditur, ægrè ac-
52 cipiat: juſti judicis * officium eſſe, nullis minis, nullis terriculis, ab juſtitiæ & æquitatis via vel latum digitum dimoveri, memento. Quid ſi enim & ille ægre ferat, qui ſe dignum privilegio, quod illi negatur, cenſet?

53 Etenim quod æquitatem * in æqualitate conſiſtere dicitur, & ego affirmo. Verum non illam ego æqualitatem eſſe dico, quæ idem omnibus attribuit, ſed illam, quæ ſuum & conveniens cuilibet, æqualibus nimirum æqualia, inæqualibus inæqualia aſſignat. Quippe ut ineptum merito ſutorem dixeris, qui ejusdem omnium pedibus magnitudinis calceos inducere velit: ſic iniquum

quum judicem, qui omnibus personis & causis (quorum ingens solet esse varietas, etiam cum maximè similes esse videntur) idem juris statuere contendit. Hoc Cicero in oratione pro Cluentio adversus Actium tuetur, cui iniquum videbatur, non iisdem legibus omneis teneri: ostenditque, fieri haud posse, ut eodem omnes jure utantur.

Legem undecimam *Cod. de judic.* sequens scholion declarat. Præsens constitutio jubet, inquit, ne quando judex contra jus & scriptum legitimum judicet, etiamsi jussionem acceperit imperialem, determinantem, ut ipse contra id, quod justum est (evidenter justum intelligo) judicet, sed jussionem quidem dissimulet, sententiam autem justam faciat & legibus convenientem. Sic & lex *Ariani. 5. C. de hæreticis*, in illo tantum, qui ibi exprimitur casu, valet, ut verba demonstrant; cum videlicet non acceptandum Principis rescriptum, cum dictæ legi repugnat. *Lex rescripta penult. Cod. de precib. Imp. offer.* seipsam in sequentibus explicat, nec aliud dicit, quam rescripta contra jus & omnem æquitatem elicita (quod verbum obreptionem quoque notat) ab judicibus refutanda. Sed * quod præcipuum pleræque istæ leges de rescri- 54
ptis magis loquuntur, quæ inter & privilegia non leve discrimen invenitur. Illa enim secundum jus, hæc contra dari, docet Abbas *in c. ex literis, de fide instru.* Non igitur mirum, si rescripta contra jus elicita aut data valere negentur.

Sub finem * qui scire cupit, quomodo æstimare æquitatem, 55
quid æquum bonum judicare conveniat? huic ego, indefinitam esse, nec regulis certis includi posse æquitatem respondeo, *l. 14. ff. de diver. temp. præscr. gl. in l. 2. ff. de jur. & facti ignor.* versatur enim circa indefinita atque incerta, *d. l. 14.* & ideo nec definitio ejus aut regula exacta postulanda: sed potius ex honesta educatione ex rectis studiis & conversationibus, ex libris sacris, aliisque honestatis præceptis atque doctrinis haurienda. Sed ad hæc tamen nonnihil respice. Æquitas * aliquando scripta est, 56

alquando non ſcripta eſt, *Bart. in l. 1. ff. de uſucap. Bald. in l. placuit, 8. C. de judiciis, Cynus & Dyn. dd. locis. gl. in d. l. 1. C. de legibus, & in d. l. 2. ff. de aqua plu. arc. Mynſing. obſ. 63. cent. 3.* quod
57 ipſum * tamen reprobant quidam, negantes ullam eſſe æquitatem ſcriptam; æquitatem enim cum ſcribitur, legem fieri, ajunt: & cum quæritur, an æquitas ſit anteferenda rigori? illud quæri, an ſecundum id, quod ſcripti juris dura interpretatio dictat; an vero ſecundum id, quod ex mente legiſlatoris ad caſum præſentem æquum videtur, judicandum ſit? Ego vero ut hoſce nimis anguſtè æquitatis vocabulum uſurpare dico, ſic illud facile concedo, æquitatem, cum ſcribitur, legem fieri, nec, quid abſurdi inde ſequatur, aſſequi poſſum. Res enim clara eſt, privilegia æquitate omnia conſtare, ut hactenus toties repetitum: nec minus clarum, privilegia plurima paſſim in jure noſtro civili deſcripta extare: ſed & leges privilegia dici atque eſſe, ſupra cap. 2. num. 3. oſtendi. Æquitatem ergo non minus, quam rigorem juris ſcribi quandoque manifeſtum eſt. Illud etiam, cum æquitatem rigori præferendam dicimus, de ſcripti quoque æquitate intelligendum, hactenus dictæ leges, & aliæ complures oſtendunt. Ibi namque rigorem juris ſcriptum æquitate in jure deſcripta ac definita corrigi atque molliri, adeo eſt evidens, ut verbis opus non ſit.

Sentio, ut ſcribenti mihi hæc, ſic tibi legenti, aliquam objectionem naſci. Æquitatem ſcribi quandoque dixi; at eam paulo ante ob rerum, quas tractat, varietatem atque incertitudinem regula certa finiri, ac ideo ſcribi quoque poſſe negavi. Sed longe aliud eſſe, ſcribere aut deſcribere rem aliquam, & definire, ac regula certa determinare, tute ſi vis intelligis. Ac multa deſcribi, depingi, notari, quæ accurata definitione comprehendi nequeant, omnes fere, docti inprimis, noverunt. Itaque * cum in pleriſque aliis, quæ judicio voluntatique humanæ ſubjiciuntur, rebus, tum inprimis in jure, periculoſæ ſunt definitiones: ut veriſſime Javolenus dixit, nihil enim fere ita præciſe, ita accurate, ita
58
arcte,

arcte, dici poteſt, quod non exceptioni locum aliquando faciat. Scias igitur, licet æquitatem regula vel definitione perfecta comprehendi nullo modo poſſe, aliqua tamen poſſe. Itaque omnem æquitatem ſcriptam, omne privilegium reſpectu quidem juris ſtricti ſeu generalis, æquiore ac meliore ratione caſum propoſitum judicare, ipſum nihilominus perſæpe laborare, & æquitate alia temperandum, certum eſt: ut ſequentis libri doctrina, præſertim quæ de interpretatione, extenſione, concurſu privilegiorum dicemus, ſatis docebunt. Quas ob res ſiquidem accuratam & undique abſolutam æquitatem urges, fateor, illam neque ſcripto, imo neque animo hominis mortalis comprehendi poſſe: ne ſi Claudii quidem * Cæſaris imitari in cognoſcendo ineptias velis, 59
qui, ut Suetonius ſcribit, peregrinitatis rem, orta inter advocatos levi contentione, togatumne an palliatum (illud enim civis erat, hoc peregrini) dicere oportet, quaſi æquitatem integram oſtentans, mutare habitum ſæpius, prout accuſaretur defenderetur ve, juſſit. Sin illam, quæ & ſummo jure juſtior eſt, & ad perfectionem proprius accedit, ſententiam, æquitatis nomine dignamur: ſcire licet, illam & ſcriptis comprehendi poſſe, & innumeris paſſim in jure noſtro exemplis tradi.

Satis igitur * ex his omnibus intelligere potes, æquitatem 60
ſcriptam (de qua etiam præcipue agere inſtituimus) ex ſcripto tibi hauriendam. Altera, ut dixi, & ex hactenus traditis patet, neque in jure noſtro penitus (licet vehementer ex eo judicium tuum prudentiamque augere poſſis) docetur; neque hujus etiam loci eſt, multa vel pauca in eam ſententiam dicere velle. Hoc tene, * æquitatem ex natura originem trahere, *l. 1. §. 1. ff. de doli* 61
mali & metus except. l. 2. ff. unde cognati, l. eas, 8. ff. de capite minut. l. in ambiguis, 85. §. 2. ff. de reg. juris, ac proinde nihil aliud eſſe, quam rationem naturalem, *d. l. in ambiguis, l. cum ratio, 7. ff. de bonis damnatorum.*

Jam dudum vereor, ne in re ſatis ex antea dictis evidente atque aperta nimius eſſe videar. Itaque cum ex hactenus dictis, & natura æquitatis, & tota ratio ac conditio privilegiorum ſatis intelligi, contrariisque argumentis, etiam quæ præter recenſita occurrere poſſunt, reſponderi facile queat: finem huic capiti, totique illi parti, quæ eſt de definitione privilegiorum, impono, & ad ſequentia deſcribenda pergo.



GEOR-



GEORGII ACACII ENENKELII
BARON. HOHENHEIM.
DE PRIVILEGIIS JURIS CIVILIS
LIBER SECUNDUS.
CAPUT I.
Privilegiorum variæ species & divisiones referuntur.

SUMMARIA.

1. *Divisio privilegiorum proponitur.*
2. *Privilegium aliud personale est, aliud reale.*
3. *Privilegia alia rerum, alia personarum, alia actionum.*
4. *Privilegium aliud speciale seu singulare, aliud generale.*
5. *Privilegia alia ad preces alia motu proprio dantur.*
6. *Privilegia quandoque favori, quandoque odio certæ personæ dantur.*
7. *Privilegia hæc permittunt, illa prohibent.*
8. *Privilegia partim temporalia sunt, partim perpetua.*
9. *Aliud verum est, aliud quasi-privilegium.*
10. *Privilegia quædam inserta sunt corpori legum, quædam non inserta.*

11. Alia

11. Alia Princeps Supremus, alia inferiores largiuntur.
12. Privilegia ratione formularum differunt.
13. Ita & finium causa.
14. Et illorum quibus dentur?
15. Privilegia modo jus novum conferunt, modo pœna veniam tribuunt.
16. Genera privilegiorum in jure civili ſcripto expreſſa enumerantur.



1 Ribus inſtrumentis, * definitione, diviſione & argumentatione, omnem abſolvi doctrinam, ſupra diximus. Horum alteri huc usque data opera eſt: altero hactenus uſi uſurique in ſequentibus ſummus: proximum eſt diviſio. Variè autem unaquæque res iſtiusmodi præſertim generis, pro diverſo naturæ ſuæ & accidentium reſpectu, dividi ſolet. Ad quem modum & privilegia in diverſas ſpecies & formas in jure noſtro diſtincta inveniuntur. Nos itaque hoc loco illas fere tantum differentias, quæ in ipſo jurîs civilis textu occurrunt, ſtrictim annotabimus.

2 Vulgatiſſima * autem & maxime uſitata privilegiorum diſtinctio illa eſt, qua aliud perſonale privilegium dicitur, quod perſonæ datur, aliud reale, quod rei vel cauſæ, *l. 1. §. antepenult ff. de aqua quot. & æſtiva, l. verum eſt, 63. §. 1. ff. pro ſocio, l. ex pluribus 42. ff. de adminiſtr. & peric. tut. l. privilegia 196. ff. de reg. jur. l. ſed etſi, 28. §. 1. ff. de judic. l. 3. ff. de cenſibus, gl. in l. unica C. de privilegio dotis, &c.* Differentia autem & natura utriusque generis in eo præcipue apparet, quod quæ rei vel cauſæ dantur, rem ſequuntur, & extincta perſona non extinguuntur; quæ perſonæ ſunt, cum perſona amittuntur, ideoque nec ad alium dominum nec ad hæredem vel qualemcunque ſucceſſorem tranſeunt, *dd. ll. & l. 12. cum l. ſeq. ff. ſoluto matrim. dos quem. petatur*, de quo accuratius infra hoc lib. cap. 4. num. 46. dicemus.

Proxima

Proxima * divisio est, cum sicut universum jus civile, ita privilegia, in tria genera, rerum, personarum, & actionum, distinguuntur. Hanc divisionem sequitur Renatus Choppinus de privilegiis rusticorum scribens, ac primo personarum, inde rerum; denique actionum rusticarum, privilegia discutiens. Duo sane membra attingit gloss. *in l. alia causa, in verb. negat. ff. sol. matr.* hic, inquiens, ratione personæ privilegium est, ibi favore actionis vel contractus. Duo item *l. 2. C. de leg.* cum ait: Leges faciant his duntaxat negotiis atque personis, pro quibus fuerint promulgata. 3

Tertio * loco privilegium aliud speciale dicitur, uni tantum & singulari personæ vel loco tributum; aliud generale, quod pluribus ejusdem generis communiter indulgetur, *l. verum, 11. §. 2. ff. de minoribus, l. pen. 9. C. de calumniator. l. si pater 9. C. de sentent. passis, l. quoniam venerabilis, 23. C. de Episcopis & Cler. l. pen. C. de advoc. divers. judicum, l. Dorotheum 61. l. Doctitii, 63. C. de decurionibus, Lib. X. l. maximarum, 12. C. de excus. munerum, d. lib. c. cum Capella, de privilegiis.* 4

Quarto, privilegia * alia ad instantiam seu preces, alia motu proprio nullo poscente tribuuntur, *l. 1. C. de petit. bon. subl.* de quo utroque genere supra *lib. 1. c. 5.* satis multa dicta habemus. 5

Quinto, alia * in favorem certæ personæ privilegia dantur; alia in odium, *l. qui 40. ff. de condict. indebiti, gloss. in litem si, 14. in ver. Perpetua, ff. quod metus causa, Bart. in l. neque, 61. C. de decurion. Lib. X. Angel. Aretin. Instit. de jure naturali, gent. & civili, §. constat autem, num. 5. Menoch. de arbitr. judic. sentent. lib. 2. cent. 2. casu 185. num. 28. & seqq.* 6

Sexto, de Privilegiis * quædam permittunt, ut passim pleraque; quædam prohibent, ut in *l. unica, §. 1. ff. de officio præfect. prætor. l. 1. §. ult. ff. de minoribus, l. 1. fin. ad Vellejan. l. aliud. 131. §. 1. ff. de verb. signific l. quæ adulterium, 29. C. ad leg. Jul. de adult.* Nec odii causa semper ejusmodi inhibitionem fieri existimandum est. Sæpius enim favor prohibendi causa est, ut *l. 24. ff. de test.* 7

mil. l. 1. ff. de donat. inter virum & uxor. d. l. 1. §. ult. ff. de minor. Bartolus in l. filius familias, 114. §. Divi, 11. de legat. 1.

8 Septimo, * privilegium quandoque est temporale, certo nimirum temporis spatio finitum, *l. 1. in pr. ff. de testam. mil. l. 3. ff. de exception. l. 14. C. de decurion. Lib. X.* aliud perpetuum, quod & plenissima indulgentia dicitur, *dict. l. 1. ff. de testament. mil. dict. l. 3. ff. de except.*

9 Octavo, * aliud verum est, aliud quasi-privilegium, *l. si cum dotem, 22. §. ult. ff. sol. matrim.*

10 Nono, * quædam privilegia legitima seu legalia sunt; hoc est, legibus & corpori juris inserta; alia præter hæc seorsum à Principe indulta, *l. neminem, 64. Cod. de decurion. l. 6. Cod. de fructibus, & lit. expens. gloss. in l. 2. §. omnes, in verb. Non compelluntur, ff. de judic.*

11 Decimo, * ratione causæ efficientis privilegia distinguuntur. Modo enim princeps supremus, modo inferiores Principes & Magistratus privilegia dant, *l. restituendæ, 25. l. antepen. in fine, C. de advoc. diver. jud.* De his supra *lib. 1. c. 4.*

12 Undecimo, ratione * formularum privilegia differre, ostendi supra *lib. 1. cap. 9. num. 10.*

13 Duodecimo, ratione * finium discrimen habent, non ultimi illius & summi, qui omnibus est idem; sed intermediorum seu proximorum, qui varii esse solent: ut supra cap. 10. dictum est.

14 Tertio decimo, causa * eorum quibus conferuntur, differunt. Dantur enim aliquando certæ provinciæ, *l. 2. & 3. Cod. de legibus, cap. quædam lex, 35. quæst. 3.* aut civitati, *l. non tantum, 17. §. 1. ff. de excusat. l. neque infantes, 36. §. ult. ff. de fidei commiss. libert. l. 2. l. 3. Cod. de legibus*, aut corpori, *dd. ll. & leg. ultim. Codic. de fructibus*, aut loco, *cap. cum capella. de privilegiis*, aut officio vel conditioni personarum, *dict. l. 2. d. l. neque infantes, d. l. ult. C. de fructib.* aut specialiter certis & singulis personis, *d. l. ultima.*

15 Quarto decimo, privilegia * modo jus novum & utile conferunt,

ferunt, modo veniam pœnæ tribuunt, aut crimen indulgent, *l. pen. C. de precib. Imp. offer. l. pen. C. de aquæductu, Lib. XI.*

Ultimo loco * genera quoque illa privilegiorum, quæ in jure civili ipso privilegii nomine appellantur, adjicere libuit. Sunt autem hæc fere: 16

1. Privilegium Augusti, *l. 31. ff. de legibus, l. 6. ff. de jure fisci, l. unica, in fi. C. de caducis tollen. l. 7. C. de bon. quæ lib. l. 2. C. ne rei dom. l. 39. C. de decurion. lib. 10. l. 10. C. de excusat. mun. l. fin. C. de fundis & salt. rei dominicæ, rubr. tit. C. de privilegiis domus Augustæ, Lib. XI. l. pen. C. de præpos. sac. cubic.*
2. Privilegium Augustæ, *leg. Princeps, 31. ff. de legibus, l. 6. ff. de jure fisci.*
3. Absentium Reip. causa, *leg. 4. l. 38. ff. ex quibus caus. major, lib. 1. Cod. d. t.*
4. Ætatis, *l. 11. ff. de vacat. muner. l. 5. ff. de jure immunit.*
5. Advocatorum, *l. iisdem, 7. l. jubemus, 17. C. de advoc. diver. judiciorum l. 1. C. quib. mun. excus. hi, &c.*
6. Advocati fisci, *l. 3. §. ult. C. de advoc. diver. judic.*
7. Actionum personalium, *l. 9. C. qui potiores in pign.*
8. Archiepiscopi Justinianæ primæ, *Novel. auth. de priv. Arch. Just. Primæ.*
9. Apparitorum præfecti prætorio. *Tit. 53. lib. 12. C.*
10. Apparitorum magistri militum. *Tit. 55. ejusd. lib.*
11. Creditorum, *l. 10. in pr. ff. de pact. l. ult. ff. de religios. l. creditor, 25. ff. de reb. credit. l. 3. ff. quod cum eo, qui in ali. pot. l. ex facto, 52. ff. de peculio, l. si hominem, 7. & l. seq. ff. depositi, l. si & jure 10. ff. qui pot. in pigno. hab. l. si sponsa, 74. ff. de jure dot. l. 1. ff. de cess. bon. tot. tit. Dig. de reb. auctor. jud. possid. tot. tit. C. qui potiores in pign.*
12. Collegiorum, *l. 5. ff. de jure immunit. l. collegium, 8. C. de hered. institu. l. 2. de decurialib. urbis Romæ.*
13. Clericorum, *tot. tit. Cod. de Episcopis & cler.*
14. Constitutæ pecuniæ, *l. 2. C. de constit. pecun.*

15. Coloni patrimonialis, *l. fin. C. qui dare tut. poss.*
16. Corporatorum urbis Romæ, *rubr. tit. 14. C. Lib. XI.*
17. Consulum, *l. pen. C. de Consulibus, Lib. XII.*
18. Constantinopolitanæ urbis, *rubr. tit. 20. Lib. XI. C.*
19. Comitum consistorianorum, *rubr. tit. 10. Lib. XII. C.*
20. Castrensianorum & ministerianorum, *l. ult. Codic. de Castrens. & minist.*
21. Domini in contractibus servi, *leg. 1. in princip. ff. de tribut. act. appellat.*
22. Deductionis, *l. 5. d. t. l. ex facto, 52. ff. de peculio.*
23. Depositi, *l. 7. ff. depositi.*
24. Dotis, *l. quæsitum, 17. ff. de reb. auctor. judic. possid. l. aliam causam, 29. ff. de novat. aut. item privilegium, C. de haret. auth. sive à me, C. ad Vellejan. auth. sed jam, Codic. de don. ante nupt. tot. tit. Codic. de privilegio dotis.*
25. Dignitatis, *l. unica, C. de his qui pot. nom. tit. prad. affi. l. 7. C. de operibus publ. l. 3. C. ad leg. Jul. majest. l. Divo Marco, 11. C. de quæstionib. l. neminem, 64. C. de decurionib. Lib. X. l. eos qui, 11. C. de excus. mu. d. lib. l. 1. l. 2. C. de navibus, non excus. Lib. XI. l. 1. C. de murileg. d. lib. l. pen. C. de dignitatib. Lib. XII. l. 2. C. ut dignit. ordo conservetur, l. ult. C. de metatis, d. lib.*
26. Decurionum, *l. 3. C. de silentiariis, Lib. XII.*
27. Ecclesiæ Romanæ, *auth. quas actiones, C. d. S. Eccl.*
28. Ecclesiæ Constantinopolitanæ, *decernimus, 16. & l. seq. C. de Sacrosan. Ecclesiis, l. omnium privilegia, 35. C. de Episcopis.*
29. Episcoporum, *tot. tit. C. de Episc. & cler.*
30. Fisci, *l. rescriptum, 10. in princip. ff. de pactis, l. quod quis navis, 34. ff. de rebus auctor. judic. possiden. tot. titul. Dig. de jure fisci, leg. simile, 10. ff. ad municipalem, leg. secunda, Codic. de commun. rerum alien. leg. 2. Codic. de serv. pign. da. manumiss. tot. tit. Codic. de privilegio fisci.*
31. Fori, *leg. 2. leg. si quis ex aliena, 5. leg. cum furiosus, 39. ff. de*

de judiciis quod etiam sui judicis privilegium appellatur, *l. venditor*, *49. d. t. l. nullum penitus. 14. C. de testib.*

32. Funerarium, *leg. fin. ff. de religios. leg. quæsitum*, *17, ff. de rebus auct. jud. poss.*

33. Furiosi, *l. antepen. ff. de curator. furios.*

34. Fœminarum, *l. dabimusque*, *19. ff. de rebus auctor. judic. poss. l. ult. C. qui potiores in pign. hab.*

35. Grammaticorum, *l. 11. C. de Professor. & Medicis*, *l. unica. C. de studiis liberalibus urbis Romæ.*

36. Iliensium, *l. 1. ff. ad municipalem.*

37. Immunitatis, *l. nec infames*, *12. leg. eum qui*, *58. Cod. de decurionibus*, *Lib. X.*

38. Legatorum, *l. 1. C. ex quib. caus. major. in integr. restit.*

39. Libertatis, *l. fin. C. de testam. manumiss.*

40. Liberorum quinque, *l. unica*, *C. de sumpt. recuperat.*

41. Militum, *l. 4. ff. de administrat. & peric. tut. l. sed & milites*, *8. ff. de excusation. l. centurio*, *15. ff. de vulg. & pupill. substit. tot. tit. Dig. de testam. militis*, *l. si servus*, *18. ff. de stipulatione servorum*, *l. fin. C. de restit. mil. l. fin. C. de inoffic. test. l. 10. l. seq. & l. fin. C. de testibus*, *l. fin. C. quib. non objicitur long. temp. præscriptio*, *l. privilegio*, *27. C. de decurionibus*, *Lib. X. l. 2. C. de his*, *qui non in pl. stip. l. 3. C. de dignitat. Lib. XII. l. pen. C. de agentibus in rebus*, *d. lib. l. ult. C. de præpos. agent. in rebus*, *l. 2. C. de privil. Schol. eod. lib. l. 16. C. de re militari*, *Lib. XII. l. 3. & l. seq. C. de cohortalibus.*

42. Maritorum, *leg. miles*, *11. §. 6. ff. ad leg. Jul. de adult. leg. 1. Codic. eod.*

43. Metropolitanum seu patriarchicum, *leg. 6. Codic. de Sacrosanct. Eccles.*

44. Monachorum, *tot. tit. Cod. de Episcopis & clericis.*

45. Masculorum, *l. 1. C. ad leg. Jul. de adult.*

46. Memorialium, *l. 12. C. de proximis sacr. scrin. lib. 12. l. 2. C. de proxim. eorum*, *qui in sacro pal. milit.*

47. Militantium in ſacro palatio. *Tit. 29. lib. 12. Cod.*
48. Negotiatorum frumentariorum, *leg. eos*, *9. ff. de vacat. & excuſation. mun.*
49. Naviculariorum, *l. 5. ff. de jure immunitatis.*
50. Oratorum, *leg. 11. Cod. de Profeſſor. & Medic. leg. unica, Cod. de ſtud. liberal. urb. Ro.*
51. Præfecti prætorio, *l. unica*, *in fine*, *ff. de officio præf. prætorio, l. 7. C. de advocat. div. jud.*
52. Pupilli, *leg. ex pluribus*, *42. leg. qui nominibus*, *44. ff. de adminiſt. & peric. tut. leg. defenſor*, *22. ff. de tut. & ration. diſtrah.* appellatur etiam privilegium tutelæ, *l. fin. ibid. Idem l. dabimusque*, *19. leg. ſi negocium*, *23. ff. de rebus auctorit. judic. poſſidend. l. aliam cauſam*, *29. ff. de novat.*
53. Patris in peculio filii, *ex facto*, *52. ff. de peculio.*
54. Prodigi, *l. antep. ff. de curat. furioſ.*
55. Propter liberos, *l. 11. ff. de vacat. munerum.*
56. Piorum locorum, *tot. tit. C. de Epiſc. & Cler.*
57. Patroni fiſci, *l. binos*, *10. ſancimus*, *12. & l. ſeq. Cod. de advocatis div. judiciorum.*
58. Præſidis appellationum, *leg. ult. §. 4. Cod. de tempor. & reparat. appellation.*
59. Philoſophorum, *l. 11. C. de Profeſſ. & Med. l. unica, C. de ſtudiis lib. urb. Rom.*
60. Præpoſitorum ſacro cubiculo, *rubr. tit. 5. lib. 12. C. l. 2. C. de privilegiis eorum, qui in ſacro pal. mil.*
61. Proximorum ſacris ſcriniis, *tot. tit. Codic. de proximis ſacr. ſcrin. lib. 12.*
62. Palatinorum, *l. unica*, *Cod. de Caſtrenſi om. palat. peculio*, *lib. eod.*
63. Palatinorum ſacrarum largitionum, *l. 10. Cod. de palat. ſacr. larg. dict. lib.*
64. Palatinorum rei privatæ Principis, *l. ult. C. d. t.*
65. Reipublicæ, *l. pen. C. de fidejuſſorib.*
66. Societatis, *l. cum duobus*, *52. §. idem reſpondit*, *10. ff. pro ſocio.*

67. Silen-

67. Silentiariorum, *tot. tit. C. de silentiar.*
68. Temporis, *l. 10. ff. qui potior. in pign. hab.*
69. Uxorum, *l. si cum dotem, 22. in fine, ff. soluto matr. l. fin. C. qui potior. in pign. l. unica, C. de his, qui se deferunt.*
70. Vacationis tutelarum & munerum, *l. non tantum, 17. §. 3. & §. 6. ff. de excusat.* appellatur etiam privilegium excusationis, *l. nequaquam 24. ibid. l. in honoribus, 8. §. 2. ff. de vacat. & excus. munerum, l. si sororis, 9. l. ult. Cod. qui dare tutor. possint. l. 2. C. quando null. tut. offi. fun. potest, l. voluntaria, 12. C. de excus. tut.*
71. Veteranorum, *l. 1. ff. de veteranis, l. 3. C. eod. tit. Lib. XII. l. 7. C. de fide instrum.*
72. Venerabilium domorum, *l. privilegia, 17. C. de S. Ecclesiis.*

CAPUT II.

De interpretatione privilegiorum.

SUMMARIA.

1. *Cur legibus opus interpretatione, monstratur.*
2. *Scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.*
3. *Lex utilis Reip. interpretatione adjuvanda est.*
4. *Privilegia etiam interpretatione opus habent.*
5. *Quatuor modi interpretationum.*
6. *Declaratio legum & privilegiorum.*
7. *Declaratio idem revera cum interpretatione.*
8. *Interpretatio nihil vel addit vel demit sensui legis.*
9. *Correctio legum & privilegiorum.*
10. *Restrictio eorundem.*
11. *Quare necessaria?*
12. *A generalibus semper excipiuntur, de quibus proferentem non cogitasse constat.*
13. *Extensio seu prorogatio privilegiorum.*

14. Inter-

14. Interpretationum genera duo.
15. Prius ad conditorem privilegii ſolum pertinet.
16. Sive ille ſit Summus Princeps.
17. Sive Inferior.
18. Sive conſuetudo.
19. Lex, privilegium & horum interpretatio, iisdem terminis continentur.
20. Alterum interpretationis genus ad judices pertinet.
21. Idque invalidius eſt priore, & particulare tantum.
22. Unde petenda interpretatio privilegiorum?
23. Gloſſæ & Doctorum interpretatio atque auctoritas quid valeant?
24. Jureconſultus erubeſcere debet, cum ſine lege loquitur.

QUid privilegia, quorumque ſint generum, ex hactenus dictis certum manifeſtumque eſſe ſpero. Quomodo autem in ſpecie ſingula, hoc nimirum vel aliud intelligere, eorum vim ſenſumque aſſequi & interpretari debeamus, nunc do-
1 cendum explicandumque erit. Propterea enim * & orationis verborumque inopiam & rerum infinitam ac multiplicem varietatem, nulla lex unquam ita aperte, nulla tam accurate ac præciſe ferri vel determinari poteſt; ut non interpretationem aliquam & dilucidationem ſubinde requirat; ut docet *l. neque leges, 10. & ibid. gloſſ. cum ll. ſeqq. ff. de legibus, l. adigere. §. quamvis & ibi, gloſſ. ff. de jur. patron. l. liberti, 2. ff. de officio Adſeſſ. l. quæſitum, 13. ff. de teſtibus, l. ſed etſi, 17. ff. de pœna conſt. l. 12. C. de legib. l. 2. C. de bon. quæ liberis.* Multa enim, quamvis non excipiuntur, intelliguntur: & ſcriptum legis anguſtum eſt, interpretatio diffuſa, ut
2 Seneca ait *in Controverſ. lib. 9. contr. 4.* Unde * ſcire leges non id eſſe, ut verba earum teneas, ſed ut vim ac poteſtatem, monet
3 *l. 17. ff. de legibus.* & * legem utilem Reip. interpretatione adjuvare, ſuadet *l. hoc modo, 64. §. 1. ff. de condit. & demonſtrat.* Sunt autem & privilegia leges; ut ſupra lib. 1. cap. 2. oſtenſum eſt. Legum hunc defectum ſupra cap. 12. multis indicavimus. Ille igi-
4 tur non * tantum in jure communi & generalibus legibus (quod forſitan minus dubium) ſed in jure quoque ſpeciali & privilegiis depre-

deprehenditur: quæ ut (quod superius audivimus) accuratiora & strictiora legibus universalibus esse solent, ita cum per se & sine illo respectu considerantur, simili defectu paulo tamen mitius, laborare inveniuntur. Hunc privilegiorum defectum interpretatio æqua supplebit: quæ quomodo fiat, & quibus competat, hoc capite persequemur.

Quatuor * modos interpretandi declarationem, correctio- 5
nem, restrictionem & extensionem, tradunt gloss. *in leg. 1. §. qui operas, 6. in verbo interpretatio. ff. ad Senat. Tertullian. & in leg. 1. in ver. interpretationem. ff. de origine jur. Bart. in l. omnes populi, 9. num. 53. ff. de justit. & jure. Nic. Everard. in loco à ratione legis larga ad extensionem ipsius legis.* Est autem * declaratio, cum ver- 6
bum, oratio, sententia legis, obscura, vel ambigua, apertius ac dilucidius exprimuntur: ut definiunt gloss. & Dd. ibid. Exemplum est *in leg. 203. ff. de verborum significat.* & passim alibi. Hunc
autem * solum modum proprio sensu vocabuli interpretationis 7
notari, reliquos tres improprie & larga ratione, ait d. gloss. *in l. 1. ff. de origine juris.* Ego vero etiam reliquos ad interpretationem omnino pertinere, ajo. Nam qui legem in casu, quo iniqua est aut absurda, corrigit; & qui eam, quatenus largior est æquo, restringit; & qui angustiam ejus amplificat ac dilatat: omnes nobis legis veram sententiam ac voluntatem interpretantur, declarant,
atque exponunt. Legum * enim intentioni sensuique nihil re- 8
vera addunt aut demunt, sed apertius solum & dilucidius exprimunt, quæ lex vel ob verborum inopiam, vel ingenii humani imbecillitatem, vel rerum ac casuum varietatem, quam-
vis voluisset, assecuta non est. Correctio * igitur legis est, 9
cum legem aliquam, quatenus asperior est, durior aut iniquior humanitatis æquitatisque norma corrigimus ac moderamur. Exemplum in *l. 1. §. qui operas, ff. ad Senatuscon. Tertullianum, &c.* Talis correctio, siquidem rite fiat, non mutatio est legis aut abolitio, sed interpretatio, voluntatem ejus, quam verba aut oratio certo in casu labefactabant, defendens

10 atque conſervans. Reſtrictio * ſeu arctatio legis eſt, cum verba ejus, ſententiam nimis generalem præ ſe ferentia, eoque jus & æquitatem certo caſu lædentia interpretatione æqua & conveniente reſtringimus & moderamur: ut fit in *l. verbis 120.*
11 *ff. de verb. ſignific. &c.* Hic quoque * maxime neceſſarius & utilis leges interpretandi modus eſt. Nam licet generaliter dicta generaliter ſint accipienda, *l. 1. §. 1. ff. de legat. præſtand. l. 4. ff. de in jus vocand. l. 2. §. homines, 4. ff. vi bonorum rapt. l. item apud, 15. §. generaliter, 27. ff. de injur. l. 2. §. exercitum. ff. de his, qui notantur infam.* Et ubi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus, *l. de precio, 8. & ibid. gloſſ. ff. de publician.* nec a verbis legis ſit recedendum, quamvis ea perquam dura ſit, *l. proſpexit, ff. qui & à quibus manumiſſ.* id tamen cum hac exceptione tenendum, niſi vel expreſſa vel tacita ratio diverſum ſequi & obſervare evidenter cogat: ut pulchre docet Baldus in *l. ſi quis ſervo, C. de furtis, & pluribus Everrard. in loco, à ratione legis ſtricta ad reſtrictionem ipſius legis.* Privilegium
12 * itaque quamvis generaliter indultum; non includit caſum publicæ utilitati contrarium, ut exprimit *l. jubemus, 10. C. de SS. Eccl.* Et quantumcunque generalis ſit conceſſio vel obligatio, ſemper tamen excipiuntur ea, de quibus proferentem non cogitaſſe certis rationibus argumentiſque probatur, *l. qui peculii, 46. ff. de peculio l. 6. ff. de pignoribus, l. filiusfamil. ff. de donation. l. ſi pater, ff. quæ in fraudem credit. l. cum Aquiliana, 5. l. qui cum, 9. §. 1. §. 3. l. non eſt ferendus, 12. ff. de transact. l. ſi de certa, 31. C. eod. l. 1. quæ res pignori obl. non poſſ. l. ult. C. de non numerata pecun. c. in generali, de reg. jur. lib. 6. c. ſi Epiſc. de pœ-*
13 *nitent. ibid.* Quartus modus interpretandi leges * extenſio eſt, quam & prorogationem gloſſa appellat; cum ad alias pluresve perſonas vel negotia, quamque verba legis deſignant, aut deſignare videntur, vis legis, ratione aliqua & cauſa probabili ſuadente, extenditur. De quo poſtea cap. 4. uberius dicemus. Hæ viæ, hi modi ſunt, quibus jura omnia legesque tam

tam singulares quam universales interpretari, cum usitatum tum maxime necessarium est.

Sequitur nunc, ut cujus sit interpretari privilegia, adjiciamus. Duplex * autem interpretatio esse solet: alia perpe- 14
tua generalis, necessaria: alia temporanea, particularis, probabilis, ad certum tantummodo tempus, certumque negotium pertinens. Prius * interpretationum genus, ei convenit, 15
cui condere privilegia licet, *l. 1. C. sententiam passis, cap. cum venissent, de judi. cap. ult. de constitut. P. Ancharan. in cap. quoniam, not. 5. de concess. prabend. lib. 6.* cui liceat, supra dictum est. Unde jus prodit, inde interpretatio quoque procedat, ait *cap. inter alia, de sentent. excom.* Ut * igitur generalem tam legem 16
quam privilegium, quod nimirum ubique & per totum valeat imperium, solus condit Imperator: sic interpretationem quoque perpetuam, generalem, & in scriptum redigendam, solus tradit Imper. ut docet gloss. *in l. 1. ver. jusque, C. de legibus & in l. neque leges, & l. seq. ff. eod.* & confirmant, *l. Neratius 191. ff. de reg. juris, l. ex facto, 43. in princ. ff. de vulg. & pupill. substit. l. 10. ff. ad municipal. l. licet, 74. in fin. de legat. 1. l. 1. l leges, 9. l. ult. C. de legibus, l. 9. C. de operibus publicis, Innocent. in cap. cum speciali, col. 2. in princ. de offic. & pot. judic. delegati, & in c. cum venissent, in princ. de judic. Socin. jun. consil. 17. n. 13. vol. 1. Menochius de retin. possess. remed. 3. n. 775. & seq.* Ut item * spe- 17
ciale faciunt privilegium, qui legem specialem condere possunt (de quo supra lib. I. cap. 4.) ita specialem quoque suorum privilegiorum interpretationem iidem facere possunt, *l. antep. ff. de prator. stipul.* specialem dico tam interpretationem quam privilegium, respectu præcedentis generis. Nam alioquin, ut lex, ut privilegium; sic & interpretatio talis, eorum ratione qui latoris juri atque imperio subjiciuntur, perpetua, generalis ac necessaria merito habetur. His * consuetudinem adde, 18
quæ sicut & leges & privilegia intoducere potest (quod supra sufficienter monui) ita interpretationem quoque iisdem conferre

ferre aliquando solet, ut docent, *l. si de interpretatione, 37. ff. de legib. gloss. in l. 1. ver. jusque, & l. pen. C. eod.* Atque adeo ut universe & breviter rem omnem complectar, ille interpretandi privilegia jus habet, qui condendorum potestatem habet, qua-
19 tenus habet. Iisdem nimirum * limitibus carceribusque constringuntur lex, privilegium, interpretatio; cui prius competit, & quatenus competit, ei & eatenus sequentia quoque ri-
20 te tribuuntur. Alterum * interpretationis genus temporaneum & particulare diximus esse, certo nimirum & definito tempore, certoque in negotio vim tantummodo habens. Id judicibus quibuscunque licet, neque legem, neque privilegium ferre possint, dummodo jurisdictionem habeant, convenit. Quod confirmant tum illa, quæ dicta satis sunt superius, tum vero etiam *l. famosi, 7. §. 3. ff. ad leg. Jul. Majestat. l. voluntatis, 7. cum glos. C. de fideicommissis, l. si quis, 5. ubi glos. C. de aqua ductu, l. nam ut ait, ff. de legibus, l. quæsitum, 13. ff. de testibus, auth. de præside Pisidiæ, §. 3. glos. in l. 1. in verbo Jusque & in l. pen. C. de legibus, & in l. 2. in verb. Sententiam, C. si contra jus vel util. publ. Innocentius in c. cum speciali, de appellat. Abbas in c. Capellanus, de feriis, Felin. in c. super quæstionum, col. 2. in pri. de offi. & pot. jud. de leg. & in c. cum venissent, in princ. de jud. Menochius de arb.*
21 *jud. quæst. lib. 1. q. 15. n. 8.* Talis * autem privilegiorum interpretatio, ut in illo casu & negotio, de quo jus dicitur, vim necessariam & convenientem habet, sic ad alias causas aliaque tempora minime portenditur. Judex enim, quoad causam coram eo versantem, potest jura interpretari: non tamen ejus interpretatio facit jus, quoad alias causas: ut loquitur Abbas, *in c. cum speciali, de appellat.* & consentiunt Felinus, & cæteri, quos hic refert, *in rubr. de rescript. col.* De jure itaque magis illius, qui privilegium allegat, non de jure ipsius privilegii judici pronuntiare licet: ut probe & accurate definit, *l. 1. §. item cum contra, ff. quæ sentent. sine appellat. rescinduntur.* Privilegio-
22 rum * igitur interpretationem, primo quidem & maxime à Prin-

Principe & cæteris privilegiorum conditoribus, tum vero etiam à quovis judice legitimo & ordinario, petendam intelligis. Nam * quod à Jureconsultis & Doctoribus (quos ideo 23
interpretes juris appellitant) interpretationem legum sumere jubent, *d. gloss. in l. 1. Cod. de legib. & l. neque leges, & l. seq. & l. si de interpretatione, ff. eod. Abbat. in c. 1. de decimis, & alii plures*, scito, illorum interpretationes docere tantum & erudire judicaturum, nihil vero penitus decernere vel definire. Auctoritas enim Doctorum probabilis est tantum, non necessaria: ut commune ajunt, Curt. *consil. 160. n. 4. & cons. 136. n. 8.* & Eman. Soarez. *in thesauro recept. sentent. in verbo auctoritas, & fac. l. 1. §. nostram ibi, nullo ex interpretat. eorum vitio oriun. C. de vet. jur. enucl.* Itaque nec glossæ juris, nec doctori quantæcunque auctoritatis, credere debemus, nisi sententiam suam probet lege aliqua aut ratione firma: ut docent Bald. *in l. 4. C. ex quibus causis majores, &c. Archidiaco in c. nolite, 11. q. 3. Jason in l. illum, 19. Cod. de collat.* Et Cardinal. in cons. 70. loquens de Jo. And. nec suæ, nec alterius opinioni credi inquam vult, nisi quantum ratio cogat. Erubescere enim * debet Ju- 24
risconsultus, cum sine lege loquitur, *arg. §. & consideremus, auth. de triente & semisse.* Unde opiniones quoque eorum semper secundum leges & textus, quos allegant, accipiendæ, tantumque eis credendum, quantum probant: ut probe Bartolus *in l. non solum, 8. §. si verba. n. 7. ff. de liber. leg. & in l. cum quidam, 12. ff. de his, quibus ut indig. Roman. consil. 76. & cons. 311. col. ult. Abbas in c. 1. de decimis, & in c. 1. in 6. col. de postul. præfat.* & confirmat, *l. 1. §. Sed neque C. de vetere jure enucl.* Modos igitur, quibus privilegia interpretemur, à quibus item privilegiorum interpretatio certa atque efficax petenda, hactenus audivimus.

CA-

CAPUT III.

Præcepta quædam ſeu regulæ interpretationum.

SUMMARIA.

1. *Leges interpretari legitime, non pro lubitu, debemus.*
2. *Conſuetudo & res judicata leges interpretantur.*
3. *Maxime, ſi ita Princeps judicavit.*
4. *Parum intereſt, lege ſua & ſuffragio, an re ipſa & facto, voluntatem ſuam Princeps declaret?*
5. *Conſuetudo ſine ratione invalida eſt.*
6. *Voluntas conditoris certa & clara, privilegia etiam adverſus verba interpretatur.*
7. *Mens potius quam verba ſpectanda.*
8. *Intentioni verba, non verbis intentio, deſervire debet.*
9. *Sententia legis retinenda eſt, licet verba diſſentiant, vel etiam repugnent.*
10. *De vocabulis diſputatio pertinacibus relinquenda eſt.*
11. *Principum reſcripta cur non recipiantur ob formulas neglectas, & ſimilia?*
12. *Ubi de voluntate Principis dubitatur, verbis eſt inhærendum.*
13. *Privilegia in dubio ex ſupplicatione impetrantis interpretrari licet.*
14. *Privilegia contra commoda conditoris interpretari oportet.*
15. *Obſcurum loquitur quisque periculo ſuo.*
16. *Privilegia ſecundum qualitatem perſonæ vel negotii interpretrari debemus.*
17. *Jura à loci conſuetudine interpretationem ſumunt.*
18. *An culpa dolo æquanda?*
19. *Si Clericus oſculatur mulierem, præſumitur cauſa benedictionis hoc facere.*
20. *Jurisdictio conceſſa in caſtro, in dubio caſtro facta videtur.*
21. *Similium eadem interpretatio.*
22. *Ex alia parte privilegii alia explicanda.*
23. *Verbum dubium vel obſcurum ita accipiendum, quomodo clarius alibi ponitur.*

24. *Inci-*

24. *Incivile est, non tota lege perspecta ex una particula judicare.*
25. *Quod simile veri est, interpretationi confert.*
26. *Æquitas pensanda interpreti.*
27. *Proximi & peculiares privilegii cujusque fines respiciendi.*
28. *Honestas & mores boni pensandi.*
29. *Qui à Testimonio dicendo exemti sunt, eo tantum cum hoc privilegio fruuntur, quo alii testes haberi possunt.*
30. *Nullum privilegium excusat à peccato.*
31. *In dubio humaniorem sententiam sequi, consultum.*
32. *Humanior sententia quæ?*
33. *Secundum libertatem respondendum.*
34. *Melius est faverti repetitioni, quam advenetio lucro.*
35. *Privilegia non debent fieri elusoria, sed effectum operari.*
36. *Eumque ultra dispositionem juris communis.*
37. *An Clerici privilegio immunitatis fruantur, etiam in patrimonio proprio?*
38. *Illa semper interpretatio sumenda, qua privilegium conservatur.*
39. *Privilegio, ut nulla contra Ecclesiam præscriptio currat, longi temporis præscriptio removeri videtur.*
40. *Filii verbum quando adoptivos contineat?*
41. *Ex jure communi privilegia interpretari licet.*
42. *Privilegia ita interpretari oportet, ut quam minimum juri communi derogetur.*
43. *In apertis non est interpretationi locus; & num. 55.*
44. *Quod favore constitutum est, ad læsionem produci non debet.*
45. *Privilegium neminem juri communi privat.*
46. *Remoto privilegio aliquis reponitur in jure communi.*
47. *Privilegio contra impetrantem quando uti liceat?*
48. *Privilegio uti non possum in damnum illius, qui causam dedit privilegio.*
49. *Privilegia in alterius præjudicium non sunt intelligenda.*
50. *Princeps enim non solet in alterius injuriam beneficia dare.*
51. *Nisi expresse ita statuat.*
52. *Cavenda in interpretatione absurdum, contrarium, subtilitas, supervacuum, & similia.*
53. *Cavendum, ne contra sententiam in alteram partem peccetur.*
54. ***Qui aliquid indulget, non ideo omnia permittit.***

56. Inter-

56. Interpretatio malitiosa cavenda.
57. Conditor privilegii primus est illius & ultimus interpres.

1 VERUM enimvero ne * quibus interpretandi auctoritatem dedimus, hi liberam sibi hac in parte voluntatem atque licentiam, quomodocunque detorquendi & circumcidendi jura, datam putent: sciant, legitime interim, prudenter & secundum legum præscripta, eis hoc loco versandum. Igitur ut unusquisque, quid in privilegiorum interpretatione sequi, quid vitare debeat, scire possit: præcepta quædam huc conferentia & regulas in sequentibus trademus.

2 Primo igitur, si de interpretatione privilegii cujuscunque obscuritate, ambiguitate, aut alia difficultate laborantis, quæritur: id maxime, si * quæ prius consuetudine & rebus judicatis interpretatio recepta fuerit, circumspiciendum est: & ea, si qua inveniatur, ante omnia amplectenda, *fac. l. si servus, 50. §. ultim. de legat. 1. Bartol. in l. neque ff. de legibus, gloss. in l. 1. & l. penult. C. eod. l. missi, 7. ibi, consuetudine servata regionum, Cod. de exactoribus tribut. pluribus Everard. in loco ab usitato.* Optima est enim legum interpres consuetudo, *l. si de interpreta. 37. ff. de legibus*, & maxima rerum judicatarum auctoritas, *l. seq. ibid.* nam pro veritate habentur, *l. res judicata, 207. ff. de reg. jur.* Et ideo minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt, *l. minime, 23. ff. de legibus*, & in obscuris quod plerunque fieri solet inspicitur. *l. in obscuris, 114. ff. de regul. jur.* Quod
3 tunc * maxime servandum, cum ab eo interpretatio profecta est, qui & condendi & interpretandi privilegium jus habet, *l. ult. C. de legibus, Abbas in capit. in causis, de sent. & re judicat.* Nam reliquorum interpretationes & res judicatæ, auctoritatem quidem aliquam, non vero necessitatem (legibus enim, non exemplis, hoc casu judicandum, ait Abbas *in d. c. in causis, argumento l. nemo, C. de sent.*) imponunt: nisi cum perpetuo similiter judicata res, consuetudine certam interpretationem introduxit, *d. l. in ambigu-*

biguitatibus, 38. ff. de legibus. Parum * enim interest, lege sua & suffragio, an re ipsa & facto, voluntatem suam Princeps declaret, *l. nuper, 11. C. de natur. liber.* Consuetudinem * tamen istam, ex ratione ortam esse oportet; quod enim non ratione introductum est, sed errore primum, dein consuetudine obtentum, in aliis similibus non obtinet, *l. antepen. ff. de legibus.* 4 5

II. Voluntatem, * propositum, intentionem ejus, qui privilegium tulit, considerare & ex his, si fieri possit, ambiguitates aut difficultates privilegii explicare, debemus, *l. in ambiguis, 96, ff. de reg. jur. l. alien. 28. §. 1. l. verbum, 123. ff. de verb. sign. glos. in c. ex multiplic. de dec. Joa. Andr. in quæst. Mercur. 27. n. 10.* Ejus enim est privilegium interpretari, cujus condere, *l. 1. C. de sentent. passis, cap. ult. de constit. cap. cum venissent, de judic.* Neque aliud magis curandum, quam ut voluntas conditoris conservetur, *l. benignius, 18. ff. de legibus*, etsi forte verba diversum sonent, *l. 3. ff. de rebus dubiis, l. scire, 13. §. 2. ff. de excusat. l. si quis, 4. de legat. 1. l. non aliter, 69. de legat. 3.* Mens * enim potius & voluntas, quam verba, spectanda sunt, *dd. ll. & l. 3. §. 9. ff. de adimend. vel transfer. legat. l. in conditionibus, 19. ff. de condit. & demonstr. l. sed si possessori, 11. ff. de jurejuran. l. promittendo, 41. §. 1. ff. de jure doti. l. in conventionibus, 219. ff. de verb. signific. l. 3. ubi Jason, C. de liber. prætor. l. ult. ibi, justum voluntates contrahentium magis, quam verborum conceptionem inspicere, C. qua res pig. oblig. non possunt, l. 2. §. pen. C. de const. pec. l. quoniam 15. C. de test. l. 3. C. ad legem Jul. de adult. c. quanto amplius, de privil.* Intentioni * namque verba, non verbis intentio, deservire debent, *c. hum. 22. q. 5.* Id quod copiose atque accurate in oratione pro Cecinna M. Tullius defendit, ubi illa præcipue ratio notanda: si tacitis nobis voluntas intelligi posset, verbis omnino non uteremur: quia non potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. Hæc * servanda etiam, cum valde sunt ab sensu diversa verba, imo penitus contraria, *fac. l. verb. test. 6. ff. de testa.* Quamvis enim hoc casu & verba & senten- 6 7 8 9

tiam rejicienda judicet Ang. Aret. *per. l. si quis in fund. 4. ff. de leg. 1.* hanc tamen cum similibus de eo solum casu loqui certum est, quo mens legantis dubia est & obscura. Dum igitur de mente conditoris privilegii certi sumus, qualitercunque verba sint comparata, sententiam ejus & voluntatem amplecti debemus; fides enim veritatis verborum adminicula non desiderat, *l. 1. C. si*
10 *min. ab hær. se abstineat*, & de vocabulis * disputatio pertinacibus est relinquenda, ut ait *Innoc. in c. quia verisimile, de præsum. refer. Abb. in c. 3. loco de prob.* Unde Æbutio *in d. orat.* exprobrat Cicero, quod callide verbis controversias, non æquitate dijudicare, & jura non utilitate communi, sed literis exprimere velit; se item ex campo æquitatis ad verborum angustias, & ad omneis literarum angulos revocari queritur. Atque hæc in isto præsertim genere valere debent, quo non privati alicujus, sed superioris volun-
11 tas spectanda est: quæ etiam omissis solemnitatibus auctoritatem habet: ut supra *lib. 1. c. 8. n. 6.* ostensum. Nam * quod aliquando Principum rescripta ob solemnitates aut formulas neglectas respuuntur, id eo maxime fit, quoniam illo casu de voluntate Principum dubitatur: quam talium omissione, ut & pugnantibus cum sensu verbis, multum argui, non diffiteor. Certam igitur & manifestam esse legislatoris mentem oportet, ut senten-
12 tiam verbis anteferamus. Nam * cum dubia est, nec certis indiciis atque argumentis explorari potest, verbis potius & scripturæ inhærendum, *l. 1. §. 20. ff. de exer. act. l. si alii fun. 19. ff. de usu & usufr. leg. d. l. non aliter, de leg. 3. prospexit, ff. qui & à quib. manumiss. &c.* Verba enim sine magna necessitate improprie non esse sumenda, ait Abb. *in c. ad audien. not. 2. per illum tex. de dec.* Principem quippe, si aliter sensisset, vocabulum aliud & accommodatius positurum fuisse. Plura hujus generis invenies apud *Men. lib. 1. de præs. q. 26.*

13 III. Quamvis * à concedente privilegia vires & auctoritatem habeant, indeque etiam plane dependeant, ut ex antea dictis apparet: in dubio tamen ex supplicatione quoque & precibus pe-

tentis

tentis interpretationem accipere possunt, *l. si sine, 9. §. qui interrog. ff. de interrog. in jure fac. Jas. & gl. ex l. si libello, 1. C. de diver. rescr. Bald. & Felin. in c. inter dilectos, de fide instr. Bar. in l. 1. vers. 4. quaero, ff. ad leg. Jul. majest. Abb. in c. ult. de treuga & pace, & in c. cum dilectus, de succes. ab intesta. Mat. Brun. de cess. bon. q. 8. princ.* Qui ibi & illa agitat; an Princeps rescribens, nullo verbo in precibus cancellato, omnia in eis contenta concedere videatur? quomodo item intelligatur, & quo referatur clausula illa, *Prout petitur,* in rescripto posita? De quo videas etiam Angel. Aret. *Instit. de inutilibus stipul. §. praeterea, n. 1.* Hanc autem regulam in dubio tantum, & cum obscura est voluntas concedentis, sequendam scito. Nam si claris atque expressis verbis excedatur aut restringatur forma petitionis, aliud statuendum monent Felinus *in d. c. inter dilectos, & Abbas ibid. & in c. 2. de treuga & pace.*

IV. Interpretationem * quandoque adversus conditoris 14 commoda (non voluntatem; haec enim, si clara sit, semper praecedit, in dubio autem praesumitur aliquid de suo conferre voluisse) recte meritoque fieri, dici non inepte potest: secundum *c. quia circa & ibi glos. de privil.* Beneficia quippe Principis quam plenissime interpretari debemus, *l. pen. ff. de const. Prin.* sed contra ipsum, ut notat Bar. *in l. si quando, C. de bon. vac. Bald. in d. l. pen. & in l. nec avus, C. de eman. lib. P. Anch. lib. 2. q. 62. n. 13. q. 57. n. 1. lib. 3. q. 43. n. 10. & seq.* inprimis cum motu proprio data sunt: ut docet idem *ibid.* Obscurum * enim loquitur 15 quisque suo periculo *gl. ult. in l. si arbor. 16. ff. de serv. urb. praedior. & in l. in trad. 7. in ver. debeat, ff. commun. praed.* & pactio obscura vel ambigua ei potius nocere debet, in cujus potestate fuit legem apertius dicere, *l. vet. 39. & ibi Bart. & gl. ff. de pact. l. Labeo, 21. l. cum in leg, 33. ff. de contra. emp. l. in contra, 132. ff. de regu. juris, l. stipulatio ista, 38. §. in stipulationibus, l. quidquid, 99. ff. de verborum obl. l. cum quaeritur, 26. ff. de rebus dub. &c.*

V. Nec * minus secundum qualitatem personae vel negotii, 16 quod prae manibus est, privilegia interpretari debemus, *l. ex mi-*

litar. 11. & ibid. Bart. & Bal. ff. de test. mil. l. plenum, 12. §. equitii ff. de usu & habit. l. si servus, 50. §. ult. de leg. 1. gl. in l. si quando 35. in verbo testa fact. C. de inoffic. test. Dyn. in c. ea quæ, de reg. jur. lib. 6. Felin. in c. causamque in ver. interpret. privilegii, de re-
17 *scriptis.* Sic enim * & alias, sententia, jusjurandum, & omnes quæstiones, secundum naturam illius actus, in quo interponuntur, capiunt interpretationem, *l. sed si possessori, 11. §. item si, ff. de jurejur. l. miles, 6. §. 10. & ibi Bar. Jas. & Dd. ff. de re jud.* & tam communia jura quam privilegia generaliter loquentia, à loci consuetudine sumere interpretationem, ait Abbas *in c. certificari, de sepult. arg. l. cum de lanionis, §. asinam, ff. de fund. instr. & l. quod Labeo ff. de sup. leg. &c. ex literis, de spon. Innoc. in c. olim, de ver. sign. Bart. in l. omnes populi, in ver. finist. ff. de just. & jure.* Sic
18 cum de lata * culpa quæritur, dolo sit æquanda, vel non? res subjecta; cui talis intervenit culpa, spectari debet. Universe enim quidem pro dolo accipitur, *l. quod Nerva, 32. ff. depositi, l. 226. ff. de verb. sign.* in corporalibus tamen non accipitur, *l. in lege, 7. ubi Bart. l. ad leg. Corn. de sicariis.* In eo item, qui circa propria solet esse diligens, culpa æstimatur, quod alteri in suis negligenti
19 non imputatur, *d. l. quod Nerva.* Ita * si Clericus osculatur mulierem, præsumitur causa benedictionis hoc facere, ut censet glos. *in c. absit, 11. q. 3.* quam memorans Angelus de Aretio, subjicit;
20 A tali benedictione Clericorum liberet nos Deus. Huc * pertinet
21 quod Imperatore concedente jurisdictionem in quodam castro, concessio illa in dubio castro facta videtur, secundum Bart. *in l. pater, 6. ff. de servit. legata.*

21 VI. De similibus * ad similia, ut loquuntur, procedendum, atque inde interpretatio eruenda, *l. non possunt, 12. ff. de legib. l. ult. & glos. in l. pen. C. eod. l. non solum, 10. §. similiter, ff. de excus.* de similibus enim idem est judicium, *l. nam ut ait, ff. de legib. l.*
22 *illud, 32. ff. ad leg. aquil. l. ult. C. de const. pec.* Ita * ex alia parte, ut testamenti, sic privilegii, alia explicatur; præsumitur enim mens conditoris in hac parte eadem fuisse, quæ in illa, Bart. *in l. cen-*

l. centurio. col. 9. verſ. vel quid ſi, ff. de vulg. quem ſequuntur communiter Dd. ut dicit Soc. jun. in conſil. 101. n. 7. lib. 1. Unde * ſi 23
verbum dubium aliquod vel obſcurum occurrit, ſic illud accipere & intelligere debemus, quomodo clarius poſitum alibi invenitur, *Bart. ibid.* Sequentia item aut præcedentia ſpectanda, *l. ſi ſer. 50. §. ul. de leg. 1.* Interim tamen totus privilegii contextus non negligendus; incivile enim * eſt, niſi tota lege perſpecta, 24
una aliqua ejus particula propoſita, judicare, *l. 24. ff. de legib.*

VII. Illud quoque certis * argumentis perveſtigare atque 25
amplecti prodeſt, quod veriſimile eſt, ut jubent *l. in obſcuris, 114. ff. de reg. jur. l. obligatione. 6. ff. de pignoribus, l. ult. in fine, C. de uſufruct. & habit. l. ſi quis, 15. C. de contrah. & com. ſtipul. Inſtit. quibus ex cauſis manum non licet, §. idemque juris eſt, gloſſ. in l. tale pactum, 40. §. ult. ff. de pactis, & in l. pen. in verbo voluntas, de legat. 1.*

VIII. Super * omnia autem & in omnibus æquitatem an- 26
te oculos habere debet privilegiorum interpres, *l. 4. in fine, ff. de eo quod certo loco, l. 8. C. de judiciis, l. non ſine, 5. C. de bonis quæ liberis, &c.* Nam, ut ſupra inculcatum eſt, æquitas finis eſt & regula privilegiorum, ad quam & ſecundum quam penitus dirigi & comparari omnia debent.

IX. Nec * ultimum ſolum hunc privilegiorum omnium 27
finem ſed peculiarem quoque & proximum, maxime tamen proprium, cujusque privilegii finem ſpectare debemus. Quos inter non parum utilitas, publica præſertim, eminet, quatenus cum æquitate conſentit; de quo ſatis multa ſuper cap. Qua de cauſa & Bartolus, odia ampliare quandoque favores reſtringere (quod eſt contra naturam utriusque) jubet in *l. 2. §. 1. num. 2. ff. de his, qui not. infam.*

X. Honeſtas * vero etiam & mores boni reſpiciendi, *l. hæ* 28
demum, 38. ff. de operis libert. l. filius, 15. ff. de condit. inſtit. l. 1. §. 7. depoſiti, leg. ſi quis inquilinos, 112. §. pen. & ult. de legat. 1. legatum, 16. ff. de uſu, & uſufr. l. ſtipulatio, 61. ff. de verbor. obligat.

gat. l. ex damni, 40. ff. de dam. inf. l. 9. C. de testibus, l. ult. C. de
incestis nupt. auth. res, C. communia, de leg. l. 3. C. de administr.
bon. l. 6. C. de pactis, l. 4. C. de inut. stipul. gloss. in l. si navis, 62.
29 *in ver. potuerit, ff. de rei vendic. l. 4. §. ff. de in jus voc.* Ita *
privilegium, quo quidam à testimonio in judicio dicendo ex-
imuntur, secundum Hostiens. limitare atque interpretari ita
oportet, ut eo tantum casu, quo alii testes haberi possint, ex-
cusentur: adeo, ut non privilegiati testari cogantur, etiamsi
per alios fides fieri possit; privilegiati non cogantur, nisi alii
haberi non possint. Ratio hujus interpretationis proximi est
dilectio & charitas, quæ tali privilegio sine dubio violatur, ni-
30 si ad dictum modum illud accipiamus. Nulla enim * lex nul-
lum privilegium, excusare à peccato potest, *cap. fin. de præ-*
script. cap. Julianus, c. si Dominus: 11. q. 3. cap. imo.

31 XI. Semper * in re dubia sensuque ambiguo benigniorem
& humaniorem interpretationem pro duriore sequi, & justius
& tutius esse, ait *l. proxime, 3. ubi gloss. in ver. benigniorem, ff.*
de his, quæ in test. delentur, l. hoc articulo, 29. l. si servo, 84. in princ.
ff. de hæred. instit. leg. semper, 56. ff. de reg. jur. l. 11. l. ult. ff. de
pœnis, l. majorem, 8. ff. de pactis, l. 13. ff. de probatione, l. cum inter,
14. C. de fideicommiss. libert. l. non sine, 5. Cod. de bonis, quæ libe-
ris. l. ult. in fine, C. de communi servo manumiss. Hyppolit. de Mar-
sil. singul. 15. &c. Semper enim quidquid dubium est, huma-
nitas inclinat in melius, ut Seneca ait *lib. 11. epist. 82.* Hu-
32 manior * autem sententia est, quæ pro eo, de cujus incom-
modo agitur, facit, *l. ult. C. qui bonis ced. possint, l. id est. 88. ff.*
de condition. gloss. in dict. l. majorem, & in l. si mater, 3. in verbo
33 *prohibetur, C. de inoffic. test.* Sic * quotiens dubia est libertatis
interpretatio, secundum libertatem respondendum, monet
lex 20. ff. de reg. juris, l. quod traditum est. 87. ff. de condit. instit.
gloss. in leg. proinde, 7. §. 1. ff. de stipul. servorum. Et in re ob-
34 scura * melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro,
l. non debet 4. ff. de reg. juris. Ita glossa *in c. Cleric. distinct. 81.*
magis

magis affirmat, credi teſtibus laicis, teſtantibus me non deliquiſſe, clericis id affirmantibus: licet alioquin digniores laicis clerici habeantur, *cap. duo ſunt 12. q. 1. &c.*

XII. Utique * tamen ſic intelligere atque interpretari pri- 35
vilegia oportet, ut von fiant eluſoria, ſed effectum habeant, & aliquid operentur, *cap. in his, quæ de privileg. l. unica, C. de theſauris, Lib. X. l. ult. §. fin. C. de uſuris rei, judic. l. 1. ibi, quo nos veteranos factos, ſi nullam indulgentiam habeamus, C. de veteranis, Lib. XII. l. 12. ff. ſi quis cautionibus, l. 1. §. 2. ff. quod quisque juris in alterum, &c. l. 1. ff. ad municipal. l. ſi quando, 109. de legat. 1. l. pen. ff. de uſu & habit. l. pen. §, 2. ff. ne quis eum, qui in jus vocab. vi eximat, l. ſi ſtipulatus, 4. ff. de uſu 2. cap. paſtoralis, & ibi Abbas, de appellat. gloſſ. in l. ſi quando, 35. in princip. Cod. de inoffic. teſtam.* Idque ultra * diſpoſitionem juris communis, 36
l. unica, Cod. de theſauris, Lib. X. & alio modo dd. ll. Bartol. in l. 3. ff. de uſucap. Idem cum Alex. in l. 4. §. ait prætor, ff. de damno infecto. Bald. & Alex. in l. ſi cum dotem, 23. in princ. ff. ſoluto matr. Hoſti & omnes alii, in cap. 1. de reſcript. per cap. in his, de privilegiis, & d. c. paſtoralis, in princip. de app. & l. 1. in fine, ff. ad municipal. Baldus in auth. habita. in 4. notab. C. ne filius pro patre, in l. 3. §. ſi hic., pro quo, ff. quod quisque juris in alterum, &c. in l. 1. col. 4. Cod. ſi ſervus ex ſe, &c. Abb. poſt Cardin. l. in cap. fin. circa med. de præbend. Ant. de Butrio. in c. at ſi clerici, §. de adult. in 6. colum. &c. Hanc enim formam eſſe privilegiorum ſupra dictum eſt; quæ ſi abſit, privilegium quoque nullum evadit.
Hac ratione clericos * privilegio immunitatis etiam in proprio 37
patrimonio & bonis frui (quamvis non expreſſe lex iſtud dicat) affirmari poteſt. Si enim clerici in bonis tantum eccleſiaſticis hoc privilegio gaudent, nihil habent ex ſuo privilegio, ſed totum ex privilegio Eccleſiæ. At datum eſt hoc privilegium non tantum Eccleſiæ, ſed etiam in ſpecie & ſeorſum clericis. Igitur ut Privilegium iſtis non inane datum inveniatur, non in eccleſiaſticis tantum, ſed ſuis quoque bonis propriis immuni-

munitatem habere ſtatuendum eſt. Quod confirmatur etiam *l. 2. §. pen. ibi, nec eorundem facultates atque ſubſtantia, leg. ſi quis*
38 *Presbyter, 20. C. de Epiſcopis & clericis.* Illa itaque * ſemper interpretatio ſumenda, qua privilegium valet, integrumque manet, ut monent *l. quotiens, 13. cum gloſſ. ff. de reb. dub. l. in contrah. 172. ff. de reg. jur. c. inter dilectos, de fide inſtrum. c. Abbate 25. de verborum ſignific.* etiam in his caſibus, qui ſtrictam tantum interpretationem admittere videntur Dd. quos refert *Menoch. de recuperan. poſſ. Remed. 15. num. 263.* licet verba ſint maxime improprie accipienda, Bart. & Dd. *in l. ſed ſi poſſeſſori, 11. §. idem ſi juravero, ff. de jurejur. & in l. inſulam, ff. de præ-*
39 *ſcript. verb. & in l. 1. C. de uſufructu.* Ita per * privilegium datum Eccleſiæ, ut nulla contra eam currat præſcriptio, videtur removeri temporis longiſſimi præſcriptio, ut cenſet Aret. *in conſil. 15. col. pen. ver. circa tertium.* Alias enim nihil operaretur privilegium, cum jam antea ſola longiſſimi temporis contra Eccleſiam præſcriptio currat, *cap. illud, de præſcript.* Sic Bald. in *l. ſi quis poſthumos, in princ. ff. de lib. & poſthac* licet
40 alias per * filios non intelligantur in privilegiis adoptivi, *cap. adoptivus, ſi de feu. fu. controver.* tamen aliter id accipiendum ait, ſi verbum filii non poſſet, niſi in adoptivis ſubſiſtere. Plura huc pertinentia habes apud Felin. *in c. 1. de reſcript. col. 6. & ſeqq. & in c. cauſamque, in ver. interpretatio privilegiis ibid.*
41 XIII. Poſſumus * etiam atque adeo debemus ex jure civili ſeu communi privilegia interpretari, *l. ex facto, 43. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. tria onera, §. ſi duas, ff. de excuſ. tut. l. ut gradatim, 11. §. 1. ff. de muner. l. ſi à milite, 29. §. edictum, ff. de teſt. mil. l. 2. & ibi Bart. Bald. Salic. & Dd. C. de noxalib. act. c. cum dilectus, & ibi Abbas & Dd. de conſuetud. c. ad audientiam, c. cum dilectus, de cleric. non reſidentib.* ea inprimis, quæ ſunt in corpore juris inſerta, ut vult gl. *in proœmio Clementinarum, in verbo de cætero, & Fel. in c. cauſa, col. 5. de præſcript.* Ita ſpeciales vel privilegiatos alioquin caſus generalibus juris definitionibus

theſau.

regi, si nullam expresse prærogativam in ipsa specie, de qua agitur, habent communem opinionem, ait esse *Emanuel. Zoa. in thesaur. rec. sent. in ver. speciales*, allegans Bartol. *in leg. 2. num. 1. ff. si quis in jus voc. Cagnol. in fine ad l. 1. ff. de reg. juris, Bald. in l. 3. num. 5. ff. finium regun. Jas. à num. 9. &. Alciat. à num. 6. in l. 1. ff. solut. matrim. Jason. in l. ult. col. 3. num. 4. C. de edicto D. Had. tollen. Doc. in l. 2. in fine, Cod. unde liberi, gloss. in l. à Divo Pio, ff. de re judic. Ar. Pinel. in rubr. 2. par. cap. 1. num. 10. de rescind. vendit.* Hæc ita tamen fieri debent, ut nervus ac scopus privilegii, qui præter jus civile esse solet, non evertatur; in his enim quæ contra rationem juris constituta sunt, non possumus sequi regulam juris, *l. 15. ff. de legib.* & mala interpretatio est, quæ dum distinguere nititur, extinguit. Exempla hujuscemodi ex jure communi deductæ interpretationis habes in *l. quanquam, 3. C. de testam. mil. l. si a milite 29. §. edictum, ff. eod. l. impuberi, 40. ff. de administr. & periculo tut. l. 1. §. in filiis ff. ad Trebellian.* Vim itaque privilegii ac propositum conservare, & nihilo minus regulis juris civilis uti licebit. Nam * & 42
alias ita privilegia interpretari debemus, ut quantum fieri potest, minimum juri communi derogetur *d. cap. cum dilectus, §. quia nobis, de consuetud. Dd. in d. l. 2. C. de noxalibus, Abbas in cap. certificari, colum. 3. de sepultur. tex. in c. eos, §. 1. de tempor. ord. in sex. Archidiac. in c. licet, 8. q. 2.* Et plures alii, quos allegat Fel. *in cap. 1. colum. 9. de rescript. & in cap. causamque in vers. interpretatio, ibid.* A claris * tamen & apertis privilegiorum verbis 43
minime recedendum in his quippe non est interpretationi locus, *l. ille aut ille, de legat. 3. cap. in his de privileg. gloss. in dict. c. cum dilectus §. quia nobis, ver. Nec juri communi, Felin. in dict. c. 1. colum. 9. ver. considera etiam aliud, Franc. Zabarel. in c. ne innitaris, de constit.*

XIV. Quoniam * privilegia pleraque in favorem, gratiam, 44
& commodum privilegiatorum introducta sunt, id maxime curæ esse interpreti debet, ne quod favore talium constitutum

eſt, ad læſionem eorum interpretatione duriore producat, *l. ſi ſervus, 30. ff. de obligat. l. Paulus, 8. ff. de ſtipul. prætor. l. in commodato, 17. §. 3. in fine, ff. commodati, l. nulla juris, 25. ff. de legibus, l. 33. §. 2. ff. de condit. & demonſt. l. 3. §. 5. in fine, ff. de Carbon. edicto, l. generaliter, 5. in princ. C. de ſecundis nupt. l. non eo, 14. C. de procurat. l. ad invidiam, 6. C. de his, quæ vi metusve, l. 6. ubi copioſe Felin. C. de legibus, l. unica, §. accedit, 13. Cod. de rei uxor. act. l. plures, 19. in fin. C. de fide inſtrum. l. 2. C. de præpos. agent. in rebus, Lib. XII. l. meminerint, 6. C. unde vi, gloſſ. in l. 3. ff. de teſtam. milit. & in l. 3. ff. de legit. commiſſ. &c.* Hoc argumento jus, quo miles ex provincia, in qua militat, uxorem ducere prohibetur, non ſic intelligendum efficitur, ut ne ex patria quidem ſua, ſi in ea militet, uxorem ducere poſſit. Lex enim id prohibens de exteris tantum provinciis loquitur, *l. eos, qui, 65. ff. de ritu nupt.* Hinc non ita eſſe accipiendum
45 privilegium, ut ideo jure communi * privilegiatus privatus cenſeatur, recte docet Ancharan. *in cap. ſi Clericus pro quo, colum.*
46 *ult. de præbend. & dignit. in ſex.* Remoto * enim privilegio aliquem reponi in jure communi, *l. ſed. & milites, 8. cum l. ſeq. l. adminiſtrantes, 41. §. ult. & l. ſeq. l. in bello, §. ſi quis ſervum,*
47 *ff. de captiv.* Illud tamen ſciendum, ſi quis privilegium * quodcunque impetraverit, quod adverſus alterum iniquius inveniatur, poſſe eodem & alium adverſus impetrantem uti, ſive is uſus eo ſit, ſive non ſit: ut cenſet Bartol. ***in l. 1. §. 1. ff. quod quisque juris, &c. & fac. l. 3. in princ. ibid.*** Quod tamen in his tantum privilegiis admitti poteſt, quæ ad poſtulationem conceſſa ſunt, non quæ motu proprio oblata, ***arg. dict. l. 3. in princ.*** Et conſentit Felin. ***in l. 6. oppoſ. 2. C. de legibus.*** Simul vero etiam apertis verbis privilegiatum niti oportet; alioquin enim, quod initio monui, valere debet, ne quod favore datum eſt,
48 ad læſionem interpretatione duriore producamus. His * adde nec in illius detrimentum, qui cauſam dedit privilegio meo privilegio me uti poſſe, ***tex. eleg. in l. amiciſſimos, 36. §. 1. ff. de excu-***

excusat. Unde Bartol. *in l. pen. C. de donat. inter vir. & uxor.* militem vel Doctorem non teneri, ait, uxorem suam dominam vocare, ob id, quia illo privilegio utitur jure mariti, & ideo contra maritum uti non potest, *arg. l. si judex, ff. de minoribus.* Vide tamen & Bald. *in d. l. amicissimos d. §.*

XV. Sed nec * in tertii præjudicium, fraudem, vel inju- 49
riam, privilegia intelligere decet, *l. ex facto, 43. ff. de vulgar. & pupill. substit. l. in fraudem, 15. in princip. ff. de testam. mil. l. 2. §. merito, 10. §. si quis à Principe, 16. ff. ne quid in loco publico, l. impuber. 40. ff. de administr. & peric. tut. l. 1. §. illud tamen, 15. ff. de aqua quot. l. sed cum, 12. ff. ad Trebell. l. servitutes, 14. §. ult. ff. de servitut. l. penult. ff. de re judic. l. nec avus, 4. ubi Bald. C. de mancipat. lib. tot. tit. Cod. inter alios acta aliis non nocere, l. 2. C. de pascuis pub. Lib. XI. leg. unica, C. de Metropol. Beryto. ibid. auth. de æqualitate dotis, §. aliud in fine, cap. super. de offic. de leg. &c. Cravetta consil. 276. numer. 7. volum. 2. Ruinus cons. 161. numer. 1. volum. 5.* Non * enim moris est Principum, in cujusquam in- 50
juriam beneficia tribuere, *dict. l. nec avus, l. quæcunque 5. C. de fide & jure hastæ fiscal. Lib. X.* nec quenquam cum alterius detrimento locupletiorem fieri, æquum, *l. 14. ff. de condict. indeb.* Ut nec, quod in læsionem alicujus est introductum, in favorem alterius redundare debet, Bart. *in l. si quis solidum, 72. ff. de hered. inst.* Ob hæc privilegium stricte intelligendum, quatenus tangit præjudicium tertii, licet ex causa pietatis concessum, ait Abbas in *c. cum dicat, de Eccles. ædific. & in c. dilecti filii, de decimis, Innoc. in c. cum dilecti, de donatio.*

Si tamen * expresse cum incommodo alterius quidpiam lar- 51
giatur Princeps, locum utique habebit, per *l. 2. §. si quis à Principe, 16. ff. ne quid in loco public.* de quo plura supra libr. 1. cap. 6. videre poteris. Non enim etiam hoc casu usque adeo stricte privilegia interpretari oportet, ut recedamus à propria significatione verborum: ut notat Abbas *in c. ad audientiam, not. 1. de decimis.*

XVI. Illud cavendum, * ne interpretationi nostræ absur- 52

 dum

dum aliquid objici possit, *l. si à Domino, 36. §. si prædo, 3. ff. de hered. petit. l. 3. C. de usuris rei judic. l. fin. §. 1. C. de sententiam passis; pluribus Everardus in loco ab absurdo*, aut contrarietas, *l. ubi pugnantia, 148. ff. de reg. jur. l. si inter me, 15. ff. de except. rei judic. l. Titiæ, 100. ff. de condit, l. unica, Cod. si servus extero emi se mandav. l. scripturæ, 14. C. de fide instrum. l. 1. C. de furtis, Bartol. in leg. Stychus, 67. §. idem quæsivit, ff. de condict. indeb.* aut nimia subtilitas, *l. posthumus, 12. in princ. l. filio, 17. ff. de injusto rup. irr. facto test. l. si fidejussor, 29. §. 4. ff. mandati, l. ita vulneratus, §. ult. ff. ad leg. aquil. l. 1. C. de formulis, l. ult. C. de his, qui ven. ætatis*, supervacuum item, *l. 1. & ibi gloss. ff. ad munic.* (quamvis non semper scripturas abundantia vitiare soleant, *l. cum antiquitas, 28. C. de testam. l. heredes, 21. ff. qui testam. fac. possint, l. non solent, 94. ff. de reg. jur. l. testamentum, 17. C. de testamentis, l. si pupilli, 6. §. 2. ff. de negot. gest.*) aut simile vitium, ***l. in ambigua, 19. ff. de legibus.***

53 XVII. Universe denique * meminisse debes, cum interpretationis unus hic finis sit, ut vera privilegii sententia ac propositum valeant. Hæc ipsa semper ob oculis habenda; & ne qua interpretatio plus, minus, aut diversum introducat, cavendum, ***tex. elegans in l. sed hæc, 13. ff. de procurat. l. quod constitutum est, 21. ff. de testam. mil. si quando, 35. C. de inoffic. test. l. ab ea parte, 5. ff. de probat. gl. in l. 1. §. pen. in verb. exim. ff. de postulat.***

54 Nec enim * continuo, qui aliquid indulget, omnia permittit. Claudius Cæsar cum orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam; litura tamen extet, inquit: ut Suetonius scribit: Cui dicto consentit *l. ult. C. de generali abolitione*, indulgentia, inquiens quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit. Ita *l. 2. C. de jure aureorum annulorum* aureorum, inquit, usus annulorum beneficio Principis tributus, libertinitatis, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis, præstat. Sic qui indulgentia Principis pœna metalli liberatus est, non propterea bonorum restitutionem impetra-

petravit, nisi speciale super hoc beneficium obtineat, *l. 2. C. de sent. passis.* Et privilegium, quod legatione pro Rep. fungentibus datur, ad eos tantum qui in transmarina sunt legatione, non qui de proximo Reip. obsequium præstant, pertinet *l. 3. C. de legationib. Lib. X.* Causa interpretationis est finis & propositum hujus privilegii, quod istis, qui Reip. ccusa propria negligere coguntur, (id quod qui in proximo abeunt, necesse non habent) auxilium præstare conatur. Inprimis * autem si clara sit certaque privilegii sententia, ab omni interpretationis cura abstinere debemus. In apertis enim non est conjecturæ locus, *l. continuus, 137. §. 2. ff. de verb. oblig.* & fides veritatis verborum adminicula non desiderat, *l. 1. C. si minor. ab hæred.* Multo minus ut * astute ista aut malitiose interpretemur, sententiamque eorum circumvenire tentemus, committendum, *l. 29. ff. de legib. l. 2. C. eod. l. ita fidei, 40. ff. de jure fisci,* notam quippe infamiæ talibus minatur, *d. l. 2.*

Atque hæc fere sunt, quæ in interpretatione privilegiorum sequi & observare, tum utile est, tum necessarium. Plura quidem tradi possunt: sed hæc præcipua sunt, & maxime præsentibus apta.

Illud * tantum postremo monendum duxi, ut primum ac præcipuum, sic ultimum privilegiorum interpretem esse Principem seu conditorem ejus, de quo agitur, privilegii: tunc maxime, cum ejus præsentiam habemus: ut censet Baldus *in l. cum de novo, C. de legib.* Quoties igitur cunque nec præscriptis hactenus rationibus, nec alia via sensum ac interpretationem certam invenire potes: ad illum utique recurrendum, qui ut lex animata, *auth. de Coss. in fine,* ejusmodi difficultates vel nutu discutere potest.

CAPUT IV.

De extensione seu prorogatione privilegiorum.

SUMMARIA.

1. *Extensio privilegiorum describitur.*
2. *Quam improbant quidem.*
3. *Privilegia num stricte accipienda sint, an extensionem recipiant? quaeritur, & num 10. & 13.*
4. *Privilegia extendi debere probatur.*
5. *Princeps privilegia extendere jubet.*
6. *Verba Principum plenius accipienda sunt.*
7. *Privilegia non ex nostro arbitrio, sed secundum Principis praescriptum extendere debemus.*
8. *Privilegia plerumque favorem continent.*
9. *Beneficia plenissime interpretari oportet.*
11. *Legata si fiant consanguineis, largam habent interpretationem.*
12. *Odia ampliantur quandoque, & favores restringuntur, & num. 13.*
14. *Privilegia cur stricta interpretationis esse videantur?*
15. *Privilegia militum quomodo stricte & quomodo large accipiantur?*
16. *Qua ratione leges quaedam extensionem privilegiorum prohibere videantur?*
17. *Omnia privilegia jam stricte, jam large accipiuntur.*
18. *Causa extensionis hujus indicatur, & num. 59.*
19. *Privilegia cum modo extendere decet.*
20. *Nec ita, ut inutilia fiant.*
21. *Regulae seu exempla extensionis traduntur.*
22. *Privilegia proprio motu data, plenius accipienda.*
23. *Ratio privilegii idem restringit & extendit.*
24. *An privilegia ex rationis similitudine extendenda? quaeritur.*
25. *Rationem solam sine auctoritate publica non sufficere, ajo.*
26. *Idque confirmo, & num. 35.*
27. *Non sequitur, quia lex aut Princeps legem aliqua ratione extendit, ideo hoc cuilibet permissum.*

28. Le-

28. *Legis aut juris vim non habet, quod non est ab Superiore promulgatum.*
29. *Similitudine nihil fallacius.*
30. *Nullum simile est idem, & duo cum faciunt idem, non est idem.*
31. *Argumentum ab aquiparatis nullum est, nisi in omnibus illa aquentur.*
32. *Argumentum à similitudine nullum est, cum dissimilitudo dari potest.*
33. *Quomodo ab aquatione aut similitudine argumentari liceat?*
34. *Ratio legis & privilegii in legislatoris tantum judicio posita est, & numero, 39.*
36. *Ne judex quidem sine omni lege rationem extendere potest.*
37. *Ab jure communi ad privilegia recte hic argumentamur.*
38. *Si maxime jus commune vi rationis extendere licet, privilegia ita non extendi tamen, communis est sententia.*
40. *Extensio privilegiorum ex legum auctoritate, non ratione, sumenda; & num. 44.*
41. *Interpretum & judicum extensiones non sunt, nisi probabiles.*
42. *Qui quacunque moti ratione privilegia unius generis in aliud sine auctoritate publica transferunt, arguuntur.*
43. *Militum privilegia ad clericos, advocatos, scholareis, male transferri.*
45. *Privilegia quadam realia sunt, quadam personalia.*
46. *Illa transeunt; hac minus.*
47. *Quadam ex utroque genere mista sunt.*
48. *Omnia tamen extendi per interpretationem solent.*
49. *Aliter extenditur privilegium, aliter transmittitur vel transit, & num. 57. num. 132.*
50. *Realia privilegia extendi, monstratur.*
51. *Sic & personalia, & num. 58.*
52. *Hac ad suum haredem per interpretationem aliquando extendi, non tamen transire ad illum, doceo.*
53. *Qua sint personalia privilegia, qua realia? definitur.*
54. *Causa, an persona Princeps succurrere voluerit? astimandum.*
55. *Quid in dubio?*
56. *An privilegia ob merita data, restitutionis, Vellejani, realia sint, & ad haredes transeant?*
59. *Beneficium mariti personale quomodo extendatur?*
60. *Quomodo immunitas clericorum?*

61. *Faciendo per alium, ipse facere videor.*
62. *Privilegium personale potest fieri reale.*
63. *Idem privilegium diverso respectu reale & personale dici potest.*
64. *Privilegium immunitatis cujus generis?*
65. *Hæredis vocabulum quos complectatur?*
66. *Generi & posteris data privilegia realia sunt.*
67. *Familia consistit in natis ex masculis.*
68. *Interdum tamen ad posteros extenditur.*
69. *Mihi & descendentibus meis datum privilegium, ex fœminis quoque natos includit.*
70. *Quis ordo in his servandus?*
71. *Nuptas fœminas ex descendentibus eximit Bartolus.*
72. *Liberorum appellatio quantum pateat?*
73. *Filii nomen quos designet?*
74. *De filiis naturalibus & spuriis.*
75. *Talia vocabula in odiosis stricte, in favore largius accipienda, & num. 85.*
76. *Privilegiis mariti uxor fruitur.*
77. *Etiam antequam transeat in domum mariti.*
78. *Conjuges enim omnis fortunæ participes, & unum corpus esse debet.*
79. *Augusta eadem privilegia habet, quæ Princeps.*
80. *Idem fere de regina Franciæ.*
81. *Quamdiu & quousque privilegiis mariti uxor potiatur?*
82. *Militum scorta non habent privilegia militum.*
83. *Fœmina nubens, in pristino an mariti foro convenienda, quæritur.*
84. *Masculi appellatione quando fœminæ notentur?*
86. *Socii privilegium quando socio prosit, & num. 89.*
87. *Sæpe quod qui ex sua persona non habet, per alium impetrat.*
88. *Laicus in individuis gaudet beneficio clerici.*
90. *Causa hujus extensionis.*
91. *Fraus abesse debet.*
92. *Privilegiatus ob socium non privilegiatum lædi non debet.*
93. *Revocatio quoad unum, non extenditur ad alterum.*
94. *Privilegium uni ex litigatoribus concessum, in alterius quoque persona servatur.*
95. *Uno ex contrahentibus liberato, alter quoque liberatus censetur.*
96. *Exempla hujus regulæ.*
97. *Restrictio ejusdem.*
98. *Privilegium euntibus datum, redeuntibus datum est.*

99. *Non*

99. *Non dicitur secure venire, qui tuto abire non potest.*
100. *Privilegium cui datum, his quoque datum intelligitur, sine quibus persona illa privilegio frui nequit.*
101. *Privilegium extenditur ad comites & familiam.*
102. *Familia quid?*
103. *Filius regis rex vocatur.*
104. *Adsessoribus competunt sui judicis privilegia.*
105. *Privilegium magistratus ad subditos extenditur.*
106. *Privilegium hospitalitatis habet œconomus.*
107. *Habitatio data uxori, data est marito.*
108. *Concesso fine media concessa sunt.*
109. *Restrictio prædictorum.*
110. *Forma concessionis semper respicienda.*
111. *Et natura privilegii.*
112. *Quando familia gaudeat privilegio domini?*
113. *Civium appellatio an ad incolas extendatur?*
114. *Non semper quem onus tangit, omne tangit emolumentum.*
115. *Civitati datum privilegium, ad castella quoque & viciniam extenditur.*
116. *Privilegium extenditur ad postea quæsita.*
117. *Res laici data ecclesiæ, habet privilegia ecclesiarum.*
118. *Augmentum dotis gaudet privilegio dotis.*
119. *Accessio regni utitur legibus & privilegiis regni.*
120. *Accessorium assumit naturam principalis, nisi alia sit ratio in altero.*
121. *Privilegium expresse de præsentibus loquens, non extenditur ad postea quæsita.*
122. *Surrogatus utitur privilegiis ejus, cui surrogatur.*
123. *Surrogatum sapit naturam ejus, cui surrogatur.*
124. *Ad munus, cui unus consueverat praesse, plures electi omnes illis privilegiis fruuntur.*
125. *Surrogatus in ordine antiquioribus cedit.*
126. *Privilegium non solvendi vectigal datum fisco vel ecclesiæ, non competit emptoribus.*
127. *Fidejussor eadem habet privilegia, quæ principalis.*
128. *Cur hoc?*
129. *Quando?*
130. *Qui in locum creditoris tempore prioris successit, ejus jure sequentes vincit.*

131. Aliud est in eo, qui plene succedit, aliud in eo, qui in vicem tantum surrogatur.
133. Utrum successor teneatur ex delicto antecessoris?
134. Privilegiatus succedens in locum non privilegiati, an suo jure utatur?
135. Cedi possunt privilegia, quæ transmitti possunt.
136. Privilegia loco vel corpori data, ad eos, qui sunt ibi extenduntur.
137. Et quod mox competiturum est, jam competere videtur.
138. Exempla.
139. Conceptus habetur pro nato.
140. Vtrum Papa, Imp. Episcopus, &c. ante Coronationem tales haberi, & administrare possint.
141. Ad parentes an ascendant filiorum privilegia?
142. Odia restringenda, favores ampliandi.
144. Cum modo tamen.
145. Quomodo agnoscendum, odium contineat privilegium, an favorem?
146. Privilegia extendi & transferri vel communicari generalibus verbis.
147. Privilegia extendi possunt, ut jus commune fiant.

QUARTUM modum interpretandi privilegia, extensionem
1 esse seu prorogationem diximus, cap. 2. hujus libri; quæ * scilicet ad alias pluresve personas aut res, quam verba privilegii præ se ferunt, effectus illius extenditur. Hunc modum *
2 rejicere leges quædam & interpretes juris atque improbare videntur: qui privilegia arctissime accipere, & non ultra, quam verba sonent, extendere jubent: veluti, *l. quod constitutum est, 21. ff. de testam. mil. l. quæ propter, 162. ff. de reg. juris, l. 3. C. de legibus, l. 2. l. 4. C. de appellationibus, gloss. in c. significavit, in verbo viveret, de rescriptis, c. cum olim, 32. de offic. judic. cap. sane. de privilegiis, gloss. & Jas. in auth. quas actiones, C. de S. Eccles. gloss. in l. 1. §. licet, 20. in verbo edicti, ff. de exercit. actio. Everard. in loco à contrario sensu, Felin. in cap. causamque, n. 10. de rescript. Jo. And. & Butr. in c. olim, de verbo. sign. & plures alii, quos allegat L.* Schra-

Schraderus, de feudis par. 10. sect. ult. nu. 180. & C. Tapia, in rubr. Dig. de constit. Princ. cap. 6. in princ. Nam * quæ stricti sunt juris, extensionem recipere non videntur, *per l. si pragn. 42. cum l. seq. ff. de eviction. Bart. in l. non quasi, 4. §. illud, ff. rem pupilli salvam fore*, & privilegia stricti juris esse, arguunt *cap. cum & plantare, c. porro. c. petistis, de privilegiis. Anchar. lib. 1. quæst. 62. n. 6. cum ibi allegat. Bald. in l. 2. Dig. de legibus, not. l. Mascardus de probat. vol. 1. conclus. 462. n. 36.* quod enim contra jus commune est, vel ab eo credit, stricti juris est, *l. 3. §. hac verba & ibi Bart. ff. de negot. gest. Bald. in l. non sine, 5. C. de bonis quæ liberis, & in l. diligenter, ff. mandati, Albert. de Rosate 14. in prima par. statu. q. 2. ver. item quæro, an statuta, & alii Dd. quos allegat, id. Schrad. de feud. par. 10. sect. 17. nu. 33. & sect. ult. n. 165.* Non igitur extendi privilegia debent. 3

Ego * vero privilegia extendi & posse, & debere, affirmo cum glossa *in l. fin. in ver. convertere, Cod. de præposit. argent. in rebus. Lib. XII.* Quod probant * primo innumera passim in jure nostro occurrentia exempla, ubi jam hoc, jam aliud, nunc isto, nunc illo modo, extendi privilegium manifeste videmus: ut *l. 1. §. ult. ibi, pro favore pupillorum latior interpretatio est facta, ff. de usuris, l. Princeps, 21. & ibi gloss. ff. de verb. sign. l. si sponsa, 74. ff. de jure dot. l. 4. ff. de fundo dot. l. ult. C. de palat. sacrarum largit. Lib. XII. l. unica ff. de bon. poss. ex testam. mili. l. ult. C. in quibus causis in integ. restit. non est necessaria, l. filium habeo, 14. ff. de sen. Macedonian. l. pen. C. eod.* & plurima alia infra hoc cap. exempla habebimus, quæ privilegia passim extendi clarissime monstrant. In apertis itaque conjectura non est opus, *l. continuus, 137. §. 2. ff. de verb. obligat.* & cum privilegia extendi ubique in jure videamus, an fieri possit, quod fieri videmus, dubitare dementis puto. At, inquis, legis quidem lator & Princeps privilegia extendit: nobis vero non idem quod Principi licet. Nos vero hac in re expressum habemus & generale * præceptum, quo beneficia Principis plenissime & largissime interpretari jubemur, *l. fin. ff. de constit.* 4 5 6

 Prin-

*Princip. cap. olim, 16. ubi gloss. de verb. signif. c. cum dilecti, de do-
nat. c. quia circa, de privileg.* Docet idem, *l. justa interpretatione,
201. l. liberorum, 220. ff. de verborum signif.* Imo totus ille titu-
lus, & aliæ leges; quæ ideo verborum nobis significationes ge-
neratim atque universe tradunt, ut verba Principum in legibus,
constitutionibus, privilegiis, non nude, nec ut sonant simpliciter,
sed plenius & cum extensione nonnulla, accipienda quandoque
7 & intelligenda sciamus. Tum vero non * illud hoc loco, quod
te meminisse inprimis volo, obtinere atque evincere studemus,
privilegia pro lubitu & arbitrio nostro nobis extendi permissum.
Illud enim tantum dicimus & docemus, privilegia extendi ali-
quando: quando autem, quomodo, & quatenus; ex legibus &
præceptis ipsorum Principum discendum dicimus. Nam & omnem
interpretationem ita fieri debere supra ostensum, ut non ex no-
stro ingenio, sed ex Principis judicio & auctoritate profecta in-
veniatur. Et postea, cum leges quasdam extensionis trademus,
nihil aliud quam ipsorum Principum jussa & regulas afferemus.
Dein illud quoque sententiam nostram confirmat, quod privile-
8 giorum * pars major ob favorem personæ certæ aut negotii in-
troducuntur, ut exemplis demonstrari potest, & dictum satis est
supra capit. 7. favoris autem, si cujus alterius, natura est, ut ex-
tendatur; ut infra docebitur. Ad hæc privilegia beneficia in ju-
9 re appellantur: ut supra lib. 1. satis est ostensum. Beneficia *
vero quam plenissime & quam latissime interpretari jubent *l. fin.
ff. de constit. Princ. gloss. in l. in testamenti, 12. ff. de regulis juris, &
in l. imperialis, 23. C. de nupt. c. olim, 16. & ibi gloss. de verbor.
signif. cap. quia circa, de privileg. c. cum dilecti, de donat.* Unde
recte Seneca libr. 2. de beneficiis, cap. 28. nullum est, inquit, tam
plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit: nullum
tam angustum, quod non bonus interpres extendat. Et libr. 5.
ibidem, capit. 19. nullum beneficium est, cujus commodum
non & proximos tangat, nonnunquam etiam longius positos.
His

His igitur & similibus rationibus moti, privilegia extendi merito affirmamus.

Etenim * quod illi privilegia stricti juris esse, & eo extendi 10
nequire, ajunt primo, illa quoque, quæ stricti sunt juris, extendi quandoque dico. Qualitas enim concessionis, ex persona concessionis efficit, ut illa dispositio, quæ alioquin strictam requireret interpretationem, largam admittat. Sic videmus, legatum,
* quod strictam interpretationem habet, *l. unum ex familia*, §. *si* 11
rem, de legat. 2. & l. munus, de legat. 3. tamen, si fiat consanguineis & affinibus, largam habere interpretationem, *l. si servus plurium, 50. §. ult. de legat. 1. l. Aurelius, §. Titius, ubi Bart. de liber. leg. Cravetta, cons. 297. n. 2. Socin. libr. 1. col. 3. ver. secundus ca-*
sus, de rebus dub. Sic * odia ampliari, favores restringi interdum, 12
ob publicam utilitatem, ait Bart. *in l. 2. §. 1. n. 2. ff. de his, qui not. infa.* Et in exorbitantibus, fieri extensionem ad casum, qui etiam ex lata vocabuli significatione poterat comprehendi, ajunt Jas. *in tit. de actionibus, §. superest, n. 58. argumen. l. filium habeo, 14. ff. ad Maced. juncta l. juxta, ff. de verbor. signif. junctis item, quæ not. Bart. in l. liberorum, in 2. quæst. princ. ff. d. t. & bene fac. l. libitum, §. 1. ff. de ritu nupt.* Quod expresse etiam notat Cynus *in l. 1. Cod. quæ sit longa consuetudo*, expressius Joan. de Imola, *in l. si vero, §. de viro, ff. solut. matrim. in 1. fall.* Verum enimvero
ego * privilegia proprie stricti juris esse nego: hac ipsa de causa, 13
quia, ut satis demonstratum est, extendi solent atque debent.
Quod autem * stricti juris aliquando esse videntur, non per se hoc, 14
sed respectu juris communis evenit: ut satis ex §. *sed jus quidem, Institut. de jure naturali*, apparet: quia nimirum non omnibus universe & ex æquo competunt, ad quos materia illorum pertingit; sed ad certas tantum res vel personas, in eo aperte aut tacite contentas. Exempli causa, leges civiles de testamentis loquentes ad omnes pertinent, qui testamenta facere possunt, licet in eis
non nominentur: privilegia * vero militum de testamentis agen- 15
tia, non ad omnes, qui testamenta facere possunt, sed ad solos

 milites

milites pertinent. Stricte igitur ſumenda ſunt, ut nemo niſi miles iis potiatur, *l. quod conſtitutum eſt*, *21. l. tribunus*, *20. l. antepenult. ff. de teſtamen. mil. l. quicunque*, *10. Cod. de re militari*, *Lib. XII. l. illicitas*, *6. §. ne quid*, *ff. de officio præſid.* non ita tamen, ut non etiam alia via extendi aut ampliari poſſint. Sic enim ad uxores eorum quædam militum privilegia extenduntur, *tot. tit. Cod. de uxor. milit.* & ad omnes, qui in hoſtio morantur, *l. unica ff. de bon. poſſeſſ. ex teſtamen. mili.* & ad medicos militum, *l. inter eos*, *33. §. ultim. ff. ex quibus cauſis major.* & ad eos, qui mox futuri ſunt milites, *l. penultim. ff. de teſtam. mil. & l. unica*, *§. fin. ff. de*
16 *bon. poſſ. ex teſtamen. mil.* Leges item * illas, quæ privilegiorum extenſionem prohibere videntur, de iis tantum caſibus loqui, qui nec expreſſe nec tacite continentur, ſatis conſideranti patebit. Et plerique omnes tum Dd. tum leges ideo invicem diſcrepant, quod modo ad concedentem, adverſus quem pleniſſimè privilegia accipienda ſupra docui, modo ad tertii præjudicium, quod, quantum fieri poteſt, declinandum ibidem monui, vel ad ſimilem cauſam, reſpiciunt, quod etiam notavit P. Ancharan. *in capit. ult.*
17 *not. 7. de decimis*, *lib. 6.* Itaque * aliquid privilegium large, aliud ſtricte ſumendum, imo idem ſæpe privilegium, jam arctandum, jam extendendum eſt: ut Baldus quoque docet, *in d. l. beneficium*, *in fi. ff. de conſt. Princ.* Cum modo tamen iſta & ratione certa, & inprimis ſecundum regulas, quas ſupra tradidimus, & mox trademus, fieri debent.

18 Quæ cauſa * vero, inquis, extendere utique privilegia & ampliare ad iſtum modum ſuadet? Eadem illa, inquam, quæ ferre & condere privilegium ſuaſit. Nam quæ condere privilegia ratio juſſit, eadem ſic interpretari illa mandat, ut quam maxime rationis iſtius polleat valeatque effectus; Valet autem, cum omnia, quæ vel tacite vel expreſſe continentur, ex privilegio fructum ſentiunt. Has inter cauſas longe prima eſt benignitas & indulgentia Principis, quæ ut odia reſtringere ac minuere, ita favores extendere atque augere ſolet, *l. 4. ff. de vacat.*

vacat. munerum, l. Princeps, 21. & ibi gloss. ff. de verborum significat. l. 40. ff. de condict. indeb. l. 9. §. 4. ff. de senatusconsult. Macedon. l. 2. l. si ita scriptum est, 13. l. cum quidam, 19. cum gloss. ff. de liber. & posthum. l. 1. §. ultim. ff. de usuris, l. 4. ff. de fundo dotali, gloss. in l. 2. Cod. de in jus vocando, & in l. 1. §. 3. in ver. filia, & ver. plurus, ff. de ventre in poss. mitt. Ita sunt quædam privilegia, quibus ipse, cui data sunt, frui nullo modo poterit, nisi ad alios quoque vis eorum & beneficium porrigatur. Ita enim *l. ult. Cod. de usuris rei judic.* inducias quadrimestres condemnatis datas, ad fidejussores quoque eorum & mandatores extendere jubet: ne, si isti solvere compellantur, ipsi quoque reum exerceat ad invitam solutionem; & ita nullum condemnatus habeat sensum humanitatis Imperatoriæ, cum per medium fidejussorem statim pecunias persolvere compellatur. Ultima tamen & maxima causa, sicut ipsius privilegii, ita extensionis, æquitas est: ut ex superioribus unusquisque facile æstimare potest. Unde si tam æquitatem, ut summam, quam alias uniuscujusque privilegii causa penitus atque probe consideraveris, nunquam rationem, cur ad hunc vel alium modum privilegium quodvis extendi debeat, ignorabis.

Non * eo tamen hæc accipi volo, ut cum extendere pri- 19
vilegia licitum dico, ideo in infinitum & absque modo extendi posse, asserere videar. Nam quas de interpretatione privilegiorum capite præcedente universe regulas dedi, easdem in hoc interpretationis genere observari accurate soliciteque volo: illud imprimis, ut mentem ac propositum privilegii ita ob oculos ponas, ne ultra modum privilegia exaggerando, contra voluntatem conditoris interpreteris, quod fieri vetant *l, 2. §. 2. & l. 4. ff. de vacat. mun. l. 3. ff. de jure immunit. l. 3. C. de aquaductu, Lib. XI. l. si quando, 35. Cod. de inoffic. testam. & alia quam plurima.* Quomodo & Abbas *in c. cum dicat. de Eccl. ædific.* privilegium, ait, stricte intelligendum, quatenus attingit præjudicium tertii, licet ex causa pietatis concessum sit. Nec * 20
ita,

ita, ut inutilia fiant extendi debent: ut *gloss. in l. sæpe 8. ff. de*
21 *offic. præsid.* monet. Itaque ut quousque * & quo modo extendere privilegia debeamus, videas nonnihil, regulas aliquas, seu exempla potius casuum frequentiorum deinceps tradere animus est: unde quid legislatores nostri in extendendis privilegiis secuti fuerint, unde quid tibi, sic re ferente, observandum intelligere possis.

22 Ac * primum omnium semper plenius illa tibi accipienda scito, quæ ab proprio concedentis motu profecta sunt, quam quæ ad qreces supplicantis dantur: ut ea, quæ supra lib. 1. cap. 5. de utroque genere diximus, satis commostrant: & consentiunt *l. beneficium, ff. de constit. Princ. Felin. in c. causam quæ. col. 4. ver. 4. generaliter, de testib. Pet. Anchar. in consi. pro clariori evidentia, 290. Ant. post. Hostiens. in c. cum in cunctis, col. 5. de elect. Ægid. Bellamer. in c. item pro alimonia, in fin. 12. q. 2. Bart. in l. universis per illum, tex. Cod. de leg. Lib. XI.*

II. Ille hic maximopere extendi privilegia modus notan-
23 dus, qui ab ratione * ejus duci solet. Hæc enim primo restringere privilegia solet: ut fit in *l. 2. §. pen. ff. de vacat. & excusat munerum*, ubi corporis debilitas munerum excusationem præstare dicitur, eadem vero illam immunitatem restringit ad illa munera, quæ tantum corpore sunt implenda: ab iis enim, quæ consilio vel patrimonio obeunda sunt, minime corporis
24 debilitas excusat. Deinde * ubi eadem plane ratio, idemque ab omni parte casus invenitur, idem quoque jus statui, & proinde ex idenditate (ut loquuntur) seu æqualitate rationis privilegia extendi debere, arguere videntur *l. libertum 64. §. senatusconsulti, ff. de ritu nupt. l. si sponsa, 74. ff. de jur. dot. l. min. 51. §. 1. & ibi gloss. ff. de procur. l. 3. §. unde etiam, & ibi gloss. ff. de injusto rup. irr. facto test. l. ab Titio, 108. ff. de ver. oblig. l. illud, 31. ff. ad leg. aq. l. de quib. 32. §. inveterata, ff. de legibus, l. dabimusque, & seqq. ff. de privil. credit. l. si qui, 10. §. ult. ff. de appellat. l. unica, ff. de poss. bon. ex testam. milit. l. quædam, 9. §. 2. ff. de*

de edendo, l. ult. C. de palatinis, sacr. largit. Lib. XII. l. cum mulier, 47. & ibi, Alex. ff. soluto matrimon. Decius in l. factum, 155. §. in pœnalibus, ff. reg. jur. Jas. in l. 1. col. 2. ff. si quis in jus voc. non ierit, & in l. cum quidam, 19. colum. ult. limit. 9. ff. de liberis & posth. & in tit. de actionibus, §. omnium, num. 40. & §. item serviana, num. 18. Bald. in cap. quia vero, de judic. Bart. in l. si constante, 24. ff. sol. matrim. copiose Angel. Aretin. Instit. de jure naturali &c. Everardus in loco a simili, & in loco ab exceptione ad regulam & plures alii, quos allegat. L. Schraderus de feud. par. 8. cap. 7. num 16. Imo secundum Menochium, *de recup. possess. Remed. 14. num. 18.* Ubi eadem adest ratio in lege scripta, illa, ut generalis, omnes casus, non per extensionem, sed per intensionem, seu, ut ipso allegante, Baldus loquitur, intellectivam interpretationem complectitur. Quod & Cyn. sentit *in l. illud quod, C. de S. Eccles. & gloss. in c. sæpe, de temp. ordin. in sex.* Et, ut loquitur M. Brunus *de cession. bon. quæst. princip. 2. num. 13.* ubi eadem ratio militat, tam in uno quam in altero, una illa & eadem ratio decidit omnes casus illos, non per extensionem, sed sicut genus species comprehendit, sic generalis ratio species diversas. Atque ita isti legislatori parum, rationi omnia tribuunt: & quod nos legum auctoritati & judicio Principis, id isti rationi totum permittunt; ratione enim casus omnes decidi autumant. Ego, * salvo judicio istorum & aliorum, quanquam rationi pluri- 25
mum tribuam, eidemque in jure etiam nostro locum amplissimum relinquam; nego solius rationis vi atque efficacia privilegium ad casum non expressum transferri posse, nisi insuper legis aut superioris auctoritas accedat. Complures equidem ita sentire video, ut ubicunque ratio privilegii locum habere possit, ibi sanctio quoque & jus ejus perinde ac privilegio comprehensa valeant. In qua sententia Germanorum olim ad Romanos Legati fuerunt, qui ad spectacula Romæ accedentes, cum in popularia deducti animadvertissent, Bartos & Armenios sedenteis in Senatu, ad eadem loca sponte

transfierunt, nihilo deteriorem virtutem aut conditionem suam prædicantes: sive, ut Tacitus refert, nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse ferentes. Horum vero ego sententiam & legibus moribusque contrariam & ab ratione ipsa
26 alienam æstimo. Nam primo omnes * supra recitatas leges meam potius, quam illorum sententiam confirmare ajo. Ratio quidem ibi legis alicujus ad alium extenditur casum: sed id lex facit, seu interpretatio legislatoris: ut apparet ex *l. pen.*
27 *C. de his, quibus ut indign.* Minime autem sequitur, * quia legislator ita legem rationis similitudinem allegans extendit, ideo mihi & cuilibet idem licere. Non est enim singulis concedendum, quod per Magistratum fieri potest, *l. non est, 176.*
28 *ff. de reg. jur.* neque * legis aut juris civilis vim habet, quod ab superiore non est promulgatum, *l. jus autem, 7. ff. de justitia & jure*, quomodo vis est etiam, quotiens quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem reposcit, *l. extat. 13. ff. quod metus causa.* Et universe leges & privilegia non ab sola ratione, sed à Principis insuper auctoritate & sanctione pendere, summa & optima cum ratione receptum, infra libr. 3. cap. 12. apparebit. Itaque & Germanis illis Claudius Cæsar sedere in Orchestra permisit, non ratione illa (omnium enim gentium Legati hoc de suis prædicare voluissent) sed simplicitate eorum & fiducia motus: ut in Claudio cap. 25. scribit
29 Tranquillus. Accedit, quod nihil fallacius * est similitudine, ut Everardus docet *in d. loco à simili*, & omnes sani intelligunt.
30 Nullum * enim simile est idem, ut ait Baldus *in l. ad similitudinem, C. de Episc. & Cleric.* & plerunque duo cum faciunt idem, non est idem: ut ille apud Terentium ait, in Adelphis:

——— multa in homine, Demea,
Signa insunt, ex quibus conjectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:
Non quod dissimilis res sit, sed quod qui facit.

Ita

Ita nec * quæ æquantur, idem sunt, *quia est & aliud, Instit. de donat. l. 1. de legat. 1. & in l. 2. C. communia de legat. auth. de æqualitate do. §. 1. l. fin. in princ. ver. simpliciter, Cod. de donat. ante nupt.* Qua de causa argumentum ab æquiparatis nullum esse, nisi in omnibus illa æquiparentur, ait Matthesil. *in tract. extensionum, Jason. in auth. quas actiones, num. 19. Cod. de S. Eccl.* ut * & à simili argumentum nullum est, quando ratio aliqua dissimilitudinis dari potest, *l. Julianus, 60. ff. de condictio. indebiti.* Non enim si quæ in quibusdam, ideo in omnibus exæquantur aut similia sunt. Et eo * cum legibus quædam alioquin diversa certo in casu æquari aut comparari videmus, argumentari quidem ab illa æquatione non nihil licet: sed vis illius argumentationis non ab æquatione, sed legis potius auctoritate processit; non enim quia æquantur, ideo hoc sequitur, sed quia ab lege æquantur. Ratio * item vera & penita legis aut privilegii, soli ut plurimum legislatori nota est *l. non omnium 20. ff. de legibus*, & ideo non in cujuslibet, sed ejus solius posita manu, *l. seq.* ut infra d. cap. 12. satis docebitur. Quæ * omnia confirmant denique clarissimæ & pulcherrimæ leges: ut *l. quod constitutum est, 21. ff. de testam. mil. l. 1. ff. de constit. Princ. l. nemo, 13. ibi, non exemplis, sed legibus judicandum, Cod. de sent. & interloc. omn. judic. l. 2. Cod. quibus res judicata non nocet, l. præcipimus, 32. §. ultim. Cod. de appellat. gloss. in l. bene à Zenone, in ver. cum enim, Cod. de quadr. præscr. fac. inprimis, l. ult. in princ. C. de decur. Lib. X. c. sane, de privileg. & omnes in princ. c. allegata leges, cum pluribus aliis.* Quibus adde Bartol. *in authoritat. cui relictum, num. 1. Cod. de indicta viduit. & Bald. in auth. quas actiones, in 3. q. glossa, Cod. de S. Eccl. & in l. 2. ff. de legibus, notab. 1. Fr. Zabarel, in cap. procurationes, oppos. ult. de censibus, M. Anton: peregrinum de jure fisc. lib. 6. tit. 2.* Hac * de causa ne judici quidem (cui interpretari licet privilegium, non condere) sine omni lege rationem extendere concesserim: *fac. l. 1. in fine, ibi, quod ejus per leges plebiscita, senatusconsulta, edicta, de-*

31
32
33
34
35
36

creta Principum licebit, ff. ex quibus causa major. Quod si quis
37 * objiciat, plerasque hactenus dictas leges & argumenta ad jus potius commune, quam speciale pertinere: hic primo non paucas illarum ad jus quoque speciale spectare, tum vero à jure communi ad speciale firmissimum in præsenti quæstione argumentum duci, ajo. Privilegia enim extendi quidem per interpretationem, strictius tamen jure communi accipienda, ostensum est paulo ante num. 14. Et consentit Bald. *in l. centurio. ff. de vulg. & pupill. subst it.* jus commune magis quam privilegium extendi affirmans. Quare si jus commune ad istum modum extendere non licet, multo minus singulare licebit.
38 Tanto * hoc magis, quod etiam ubi ob rationis æqualitatem jura communia extendi posse asseritur, ibidem jura tamen specialia non extendi communi Doctorum sententia affirmatur. Et est textus expressus *in l. 3. in fin. C. de legibus, & in c. petist. de privil.* Qua de causa etiam illi, qui multis exemplis & rationibus firmare nituntur argumentationem à ratione legis, ea tamen, quæ contra rationem juris recepta sunt, item quæ propter necessitatem lata sunt, & maxime privilegia personalesque constitutiones, excipiunt. Causæ enim & rationis, ob
39 quam privilegia dantur * æstimationem, in Principis, non cujuslibet alterius potestatem judiciumque collatam, sæpius est dictum. Hujus igitur est, privilegia ob rationis similitudinem
40 extendere: reliqui etsi * rationem & causam istorum respicere & possint & debeant, præcipue tamen illius auctoritatem & sententiam sequi tenentur. Itaque judicibus etiam, & omnibus, quibus aliqua interpretandi privilegia data potestas, extendere privilegium datur, non ut ipsis videtur, sed ut Principi visum viderique probare possunt. Et quidquid nos hoc loco de extensione privilegiorum tradimus, non tam ratione, si quæ adducitur, quam Principis auctoritate, (qui, quomodo talia intelligi extendique velit, pluribus locis ostendit) firmari volumus. Non ignoro, tam interpretes juris quam judices varie,

rie, in explicandis atque interpretandis privilegiis, rationibus uti; ac neque poſſe aliter. Sed & * horum ſententiæ non ſunt 41
fere niſi probabiles, & niſi ſuperioris auctoritate firmentur, facili momento evertuntur.

Illorum vero, ut leviſſime dicam, audaciam * nunquam 42
ego excuſavero, qui ſæpe non ita magna ratione moti privilegia omnia, etiam quæ conſiderate & determinate maxime circumſcripſerunt Principes, ex uno genere in aliud diverſum transferunt: & quo loco ipſi Principes difficiliores ſe plerunque exhibere ſolent, hi adeo ſunt faciles & benigni, ut paucis verſibus aut pagellis res maximi ponderis & momenti ſe præſtare poſſe, præſumant. Tales ſunt, verbi cauſa, * qui militum privilegia ad cle- 43
ricos, ad ſcholares, ad advocatos, qui libertatis ad pias cauſas, &c. transferre ſolent. Equidem militibus multa Imperatores & magna privilegia dederunt: ſed & ſua clericis, ſua advocatis, ſua ſcholaribus dederunt.

Nusquam autem unius generis privilegia omnia in alterum tranſtulerunt: nusquam aliis hoc faciendi poteſtatem permiſerunt. Milites, inquiunt illi, aliquando clerici, advocati, ſcholares, appellantur: militum ergo privilegia habere debent. Quæro igitur, proprie iſti an improprie ita appellentur? Mox ſcilicet inermem & armatam militiam nobis afferent: & per imaginem illos ac translationem ita dici fatebuntur; quid eſt enim militia inermis? & cur non etiam, ſi ita privilegiis abuti, juraque omnia permiſcere licet, ad amantes (militat enim onus amans & habet ſua caſtra cupido, ut Ovidius canit) ad omnes homines, quorum vivere militare eſſe Jobus & Seneca dicunt; ad canes denique, quos militare ait gloſſa *in l. unica, ff. de bonorum poſſeſſ. ex teſtam. milit.* militum privilegia transferunt? Pro advocatis maxime jactatur, *l. advocati, 14. C. de advocat. diverſ. judic.* Sed ut legem illam honorificam omnino eſſe in advocato fateor; ita nec illa dicit ſerio, nec mihi quiſquam gentium perſuadebit, milites hos

esse tales, quales leges illæ, quæ privilegia militum continent, requirunt.

Nec aliud lex illa dicit, Advocatos non minus Reipub. prodesse quam milites, & ideo non minus privilegiis dignos. Et acceperunt hac de causa non pauca. Omnia vero ideo privilegia militum nec Imper. eis dedisse invenio, nec illos dare potuisse credo. Quanquam enim æquum, justum & rectum esse probare se posse putent, illius generis privilegia in hoc vel aliud transferri: hoc solo tamen privilegia non impetrari, supra lib. 1. cap. 5. num. 24. & 25. ostensum est. Itaque ne in re clara & aperta
44 longior justo & copiosior fiam, privilegiorum extensionem * ex legum potius auctoritate, quam ratione sumendam; & legislatorem quidem ratione legis moveri ad ferendum, subditos autem jussu atque verbo legis flecti ad parendum, & juris & moris Politici esse confirmo.

45 III. Non minus autem hoc * loco, ut vulgata, ita maxime memorabilis privilegiorum differentia notanda est: qua perso-
46 nalia quædam; quædam realia esse dicuntur. Ita * namque diversa horum solet esse natura, ut quæ personæ cohærent, cum persona desinant, nec ad heredem vel ullum successorem alium transeant, *leg. privilegia, 196. ff. de regul. jur. l. 1. §. antepenult. ff. de aqua quotid. & æsti. l. 3. §. 1. & l. seq. ff. de censibus, l. exceptiones, 7. in princip. ff. de except. l. non solum, 8. §. 3. ff. de lib. legat. l. 4. §. de auctoris, ff. de doli ma. except. l. idem, 25. §. 1. ff. de pactis, l. cum patronus, 28. de legat. 2. l. 5. §. 4. ff. de jure immun. l. verum, 63. §. 1. ff. pro socio, l. antepen. ff. de usu & hab. l. sed etsi, 28. §. 1. ff. de judic. l. 3. §. ult. ff. quib. mod. ususfructus amitt. c. privilegium, de regul. jur. lib. 6. c. mandata, de præsumption.* quæ vero rei data sunt vel causæ, cum his ad quemlibet transeant, *l. 1. §. & datur, 43. ff. de aqua quot. & æsti. l. 3. in fine, ff. de censibus, d. l. exceptiones, 7. §. 1. d. l. 4. d. §. l. pen. ff. de servit. leg. l. sordidorum, 13. C. de excusat. mun. Lib. X. &c.* Quam utriusque generis naturam, tam in privilegiis quam aliis juribus, perpetuam esse

esse & immutabilem, dictæ leges & earum rationes ostendunt. Eis tertium * forte genus ex prioribus mistum addi posset. Sunt 47
enim privilegia quædam, quæ nec personalia penitus, nec etiam realia dicere possis. Nam & personæ certæ dantur, & perpetua non sunt, nec ad omnes successores descendunt: eadem tamen hæc nec illi tantum, cui dantur personæ, adhærent, nec cum ea extinguuntur, sed modo ad filios eorum, modo ultra ad nepotes, interdum & pronepotes, transmittuntur. Exempla in *l. Divo, C. de quæstion. l. 3. ff. de veteran. l. minoris, 9. §. ista fere. ff. de pœnis, l. 3. l. 5. C. eod. &c.* Hæc * igitur omnia, ut quod pro- 48
positum est agamus, privilegia, cujuscunque sint generis, extendi per interpretationem ajo. Quod de realibus, quæ perpetuo transeunt, minus dubium videtur. Sed hæc illo casu non tam extendi per interpretationem, quam sui juris natura & amplitudine ista omnia comprehendere, tenendum est. Aliud est enim,
* extendi privilegium, aliud transire vel transmitti. Quod trans- 49
mittitur, id suo jure tam hic, in quem transit, quam ille, à quo transit, habet. Quod vero extenditur, hoc iste, ad quem porrigitur, ex illius tantum persona fruitur; illoque extincto, aut aliter privilegio privato, ipse quoque fructu privilegii orbatur. Et ut ille, in quem transiit, pleno jure privilegii gaudet; sic iste, ad quem extenditur privilegium, parte tantum aliqua, vel certo tempore certave sub conditione, gaudet. Reale igitur privilegium, omnes qui re potiuntur, pari cum antecedentibus jure tenent. Unde tunc transire magis ad alios propter successio-
nem temporum, quam extendi, dicendum. Nihilo tamen * mi- 50
nus realia quoque privilegia ad alios, quos non natura privilegii complectitur, sed interpretatio adducit, extendi solent. Veluti nobilitas generis reale privilegium habet, quod ad posteros omnes ita propagatur, ut perinde hoc privilegio postremus fruatur atque primus. Hoc non per extensionem, sed ex natura privilegii evenit. Interim tamen extendi quoque idem privilegium ad alios potest, velut ad uxores nobilium, ut postea patebit. Privilegia itaque realia & transmitti & extendi, simul quantum inter hæc duo

51 duo intersit, satis apparet. Personalia * autem jura, ut transire ad modum realium non solent, sed cum persona desinunt; ita
52 extendi per interpretationem & possunt & debent. Sane * quidem glossa *in l. dabimusque 4. ff. de privileg. credit. in l. unica, Cod. de privilegio dotis, in l. sordidorum, 13. Cod. de excusat. mun. Lib. X. in l. ultim. Cod. de silent. Lib. XII.* personalia jura ad suum heredem transire affirmat, argumento *l. etiam filios, 58. in princip. ff. solut. matrimon. l. assiduis, §. exceptis, Cod. qui potior in pignor. hab.* Sed contra diserte heredibus omnibus sine distinctione jura personalia negant *l. ex pluribus, 42. ubi gloss. ff. de administ. & peric. tut. l. privilegia, 196. ff. de regulis juris, l. penultim. ff. de servit. leg. l. etsi fidejussor, 24. §. 1. cum l. seq. ff. de re judic. l. Divo, Cod. de quaestionibus.* Ergo & sui heredes carebunt; ubi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Imo expressius suos quoque heredes excludunt, *l. 1. §. & datur, 43. ff. de aqua quotid. & aestiva, l. semper, 5. §. 4. ff. de jure immun. l. penultim. §. pen. & ibi gloss. ff. de ritu nupt. l. in honoribus, 8. §. 2. ff. de vacat. muner. d. l. sordidorum, 13. ibi, ad heredem successoremve Bartol. in d. l. quia tale, 13. numer. 4. M. Brunus de cessione bon. quaest. princip. 4. numer. 4.* Certe quidem quam plurima passim jura personalia & privilegia occurrunt, quae nec ad suos, nec ad ullos heredes transire apertissimi juris est. Nam quod ad legem *etiam filios, 18.* attinet: speciale id esse in illo casu, ipsa ibidem glossa fatetur, quamvis, ut postea dicam, hoc magis per extensionem, quo privilegio ex persona patris fruitur filius, contingat. Personalia igitur jura cum persona extingui, nec ad heredem aliumve quem transire, constat.

53 Hoc maxime loco, * quae sint personalia, quae realia privilegia, definire oportet. Sunt autem hac de re complures multumque etiam differentes Doctorum opiniones: quarum plerasque magna diligentia collegit Jacobus Menochius *lib. 3. de praesumptionibus, praesump. 103.* Mihi, ut rem paucissimis absolvam, duabus haecce viis cognosci posse videntur. Ex consequente, di-

cta

cta nimirum proprietate, quod realia transmittuntur, perſonalia non item: quod item illa perpetua ſunt, hæc non ſunt, *l. ſi filius familias, 31. §. ultim. ff. de religioſ. & ſumpt. fun. capit. cum veniſſent. verb. inter alia, de Inſtitut.* Ex antecedente vero ſeu cauſa hæc judicare docet, *d. l. ex pluribus, 42. cum ſimilibus.* Rei enim an perſonæ datum ſit privilegium? ex mente & conceſſione dantis, verbisque & tenore privilegii æſtimandum duco; quæ via ut tutiſſima & certiſſima, ita maxime expetita eſſe ſolet. In quovis igitur privilegio, * cauſæ potius an perſonæ ſuccurrere Princeps voluerit æſtimandum: & ex eo, cujus ſit generis, judicandum. Ubicunque enim perſonæ potiſſimum ſuccurritur, privilegium eſt perſonale, *d. l. ex pluribus, l. in omnibus, 68. ff. de regulis juris, l. tempus, 29. l. etſi fidejuſſor, 24. §. 1. ff. de re judic. l. penultim. ff. de ſervit. leg. d. l. ſordidorum, 13. capit. petiſti, 17. quæſtion. 1.* ubi vero cauſam potius privilegium reſpicit, aut rem, reale eſt, *dd. ll. & l. privilegia, 196. ff. de regulis juris.* In dubio * autem, utrum in rem, an perſonam facta ſit conceſſio? multis conjecturis agnoſcere docent Menochius *d. loco, & Bartolus in l. pater, 6. ff. de ſervitut. leg. Joannes Andr. in quæſtion. Mercur. 57. numer. 6. 9. 14. & quæſtion. 65. num. 2. 6. 8. Baldus in l. beneficium, Cod. de conſtitut. Principis, P. Ancharan. in capit. ne aliqui, de privilegiis, Libr. VI. & plures alii, quos refert Felinus, in capit. mandata, de præſumptione.* Veruntamen ſi partim traditas de interpretatione regulas, partim eas quas hoc cap. mox daturi ſumus, ſecutus fueris, & ſecundum duplicem modo commonſtratam viam unumquodque privilegium accurate inſpexeris: vix privilegium tibi occurſurum puto, de cujus genere non vere convenienterque æſtimare poſſis. Quæ de modo cognoſcendi tum perſonalia tum realia privilegia dicta ſunto. Unum hic præterire * non debeo, quod ut hactenus dicta nonnihil labefacere primo aſpectu videtur, ita ſi declaretur, mirifice omnia confirmat, veritatemque & conſonantiam dictorum pulcherrime oſtendit. Sunt enim, qui referente & conſentiente Menochio, ob bene merita data privilegia, reſtitutio-

nem item in integrum, beneficium Senatusconsulti Vellejani, & similia jura, realia esse & ad heredes transire, affirment. Quod mihi tamen haud perinde verum videtur. Nam ob merita data privilegia non utique realia esse, nec ad heredes transire, vel sola militum privilegia evidenter ostendunt. Hæc enim ob magna eorum merita laboresque data, apparet ex *l. testamenta, 26. in fine, ff. de testam. mil. l. milites, 13. ff. de re mil. l. veteranis, 9. C. quando provoc. non est necesse, l. 4. Cod. de appar. mag. mil. Lib. XII. l. pen. Cod. de milit. veste. lib. 12.* eadem vero personalia esse nec ad heredes transire liquet ex *l. 1. C. de restit. mil. l. 3. §. 1. ff. de muneribus, & similibus.* Nego itaque ob merita data privilegia realia esse, nisi aliud actum probetur. Sic & reliqua duo privilegia personalia esse ajo. Personis enim dantur, quarum vel ætati, vel sexui, vel absentiæ (accidentibus plane personalibus seu singularibus) subvenitur. Nam quod ad *leg. non solum 6. ff. de in integrum restitut. l. 1. Codic. de restit. milit. leg. minor, 18. §. ultim. leg. seq. ff. de minoribus, leg. 2. 4. 5. §. si quando, Cod. de temp. in integrum rest. leg. heredes, 20. Codic. ad Vellejan. & similes*, attinet, quæ ad heredem quoque & successorem beneficia ista transferre videntur: scire licet, hoc per extensionem magis, seu interpretationem pleniorem beneficii principalis fieri, quam ut ideo ad heredem transeant, aut realia fiant jura ista.

57 Initio enim * dixi, quæ transeant jura, & quæ realia haberi debeant, ita transire, ut ex æquo is, in quem transierunt, cum eo à quo cœperunt, obtineat: & tam ille, quam hic, ex sua, non aliena persona, privilegio utatur; quod hic non fit. Ex persona enim defuncti tantum seu auctoris sui hi privilegio fruuntur, *leg. 19. ff. de minoribus, leg. 2. Codic. de temp. in integrum restitut.* & eo quidem tantum casu fruuntur, quo occasio exercendi privilegium in defuncto seu antecessore cœpit. Quod si ipsi postea de integro circumveniantur aut lædantur, nihilo magis, quam alii non privilegiati hoc jure utentur; quod Bart. quoque *in d. l. quia tale*, apposite notat. Ad hæc, privilegia realia perpetua sunt, ut dictum

dictum est: hæc minime. Quod autem heredes successoresque istorum interdum privilegio fruuntur, fit hoc ob plenam privilegii, ut dictum, interpretationem. Princeps enim adeo istis succursum voluit, ut etiam post mortem suam adversus læsionem, quam vivi acceperunt, restituantur; heres namque defuncti refert personam, *auth. de jurejur. à morient. præst.* Nam ne principalis quidem beneficium Principis sentiet, si mutata tantum persona pro ipso heres gravetur: ut docet *l. ult. C. de usuris rei ju.* Et hæc communis penè extensionis ratio est: cum illa quoque * 58
quæ plane personalia esse constat privilegia, ad hunc modum quandoque extendantur. Beneficium * mariti, ut ab uxore con- 59
veniatur, in quantum facere potest, personale esse negari nequit, affirmantibus *id l. maritum, & l. seq. ff. solu. matri. cum aliis;* idem tamen ad filios mulieris, quatenus patri heredes extiterunt, extenditur, *l. etiam filios, 18. in prin. ff. d. t.* Sic immunitas * cleri- 60
corum ad liberos quoque, conjuges & ministeria eorum extenditur, *l. 2. C. de Episcop. & Cleric.* sed vivis tantum ipsis; ut glossa pen. Bart. & Bald. *ibid.* definiunt. Nudum ministerium, si cui competat ex privilegio, non ex commissione, potest id delegare, de quo est cap. ult. *& ibi gloss. in verbo casibus, de officio ordin.* Neque tunc dicitur privilegium egredi personam, quia faciendo
* per alium, ipse facere videtur: ut ibi Abbas, & Felin. *in c. ult.* 61
in fine, de officio & pot. jud deleg. Vides igitur, privilegia hoc casu extendi potius, & non ideo protinus realia dicenda. Non ignorare denique oportet, posse * quod alias personale est privi- 62
legium, per præscriptionem aut alium casum reale fieri: quod docet Felin. *in c. ult. in fine, de offic. & pot. jud. de leg.* Veluti, si circa decimas habeo personale privilegium, idque me mortuo successor continuando præscribit, efficitur reale. Imo unum * at- 63
que idem privilegium diverso respectu reale & personale simul esse potest. Quæ enim certo hominum generi dantur privilegia, eo respectu realia videri possunt; sunt enim perpetua. Quatenus vero ipsorum tantum personis dantur, nec ad liberos cujus-

que & posteros descendunt, personalia merito censentur. Exem-
plo navicularii, *in l. semper, 5. ff. de jure immun. & similes.* Im-
64 munitatis privilegium, * ex gratia concessum, personale; ex con-
tractu, reale; in dubio personale esse, docet And. Gailius, *lib. 2.
obser. c. 2. n. 13.*

IV. Deinceps alia huc pertinentia explicabimus. Heredis
65 vocabulum, quos * complectatur, veluti, si mihi heredique meo
privilegium datum dicatur, quæstio est. Sane Tiraquellus de Re-
tractu, primum tantum heredem intelligi censet. Contra *l. here-
dis, 65. ff. de verborum significat.* heredis appellationem non solum
ad proximum heredem, sed etiam ad ulteriores referri, ait. Nam
& heredis heredem, & deinceps heredis appellatione contineri.
Et heredis appellatione omnes significari successores, etsi verbis
non sint expressi, ait *l. heredis, 170. ff. d. t.* Ac nisi nominatim
aliquis heres exprimatur, omnes deinceps heredes intelligi, argu-
mento est *l. si plures, 95. de legat. 3.* Quæ omnia confirmant etiam
*l. sciendum, 70. ff. de verborum significat. l. si quis, 7. §. ultim. ff. de
adquir. her. l. qui per successionem, 94. ff. de regulis juris, l. 2. ff. de
lib. leg. l. tale pactum, 40. §. ultim. ff. de pactis, l. antiquitas, 14.
Cod. de usufruct. l. fin. Cod. de hered. institut. l. in annalibus, 22. Cod.
de legat. Bart. in l. Gallus, §. etiamsi parente, de lib. & posthum. Salic.
in l. in annalibus, C. de legat. & Jason. in l. 1. num. 17. ff. de constit.
Princ. Menoch. de adipiscend. possess. remed. 4. num. 237. & seq.* ubi
hæc etiam in dispositione, quæ strictæ est interpretationis, obser-
vari confirmat. Ex quibus omnibus, per vocabulum heredis in
privilegio positum omneis deinceps heredes accipiendos, non am-
bigue sequitur. Sed enim cum *d. l. sciendum est, 70.* paucis qui-
busdam casibus heredis appellatione proximum contineri dicat:
prædicta non carere exceptione manifestum fit. Non incommo-
dum itaque putaverim, distinctionem Bartoli *in d. l. antiquitas,
14. & Bald. in d. l. final. C. de hered. instit.* Si enim apponitur no-
men heredis in tali materia, quæ sua natura personæ cohæret,
nec transire solet, restringitur privilegium ad primum heredem:
sin

sin vero talis res sit, quæ sua natura transire potest, secundum prædictas leges ad omnes successores beneficium privilegii descendit.

V. Generi * & posteris data privilegia, realia esse, ostendunt 66 *l. neque Dorotheo. 61. C. de decurionibus, Lib. X l. 1. §. ult. l. 4. ff. de jure immunit. l. vacatio, 13. ff. de muneribus, l. quod his, 83. §. 1. de legat. 3. l. jurisconsultus, 10. §. parentes, 7. ff. de gradibus & adfinibus.* Improbe enim Caligula Cæsar, cum, teste Suetonio, ad rapinas calumniasque convertisset animum, negavit jure civitatem Romanam usurpare eos, quorum majores sibi posterisque eam impetrassent, nisi filii essent, neque enim intelligi posteros debere ultra hunc gradum. Hæc tamen ad eos tantum pertinere, qui ejus familiæ sunt, ait *l. vacatio, 13. ff. de muneribus, & fac. l. 2. C. de ordin. judiciorum*, (familia * autem consistit in natis ex 67 masculis; nam qui nascuntur, patris, non matris familiam sequuntur, *l. familiæ, §. 1. ff. de verb. signif. Instit. de legit. agnat. tut. §. 1.*) non ad eos, qui ex fœminis prognati sunt, *l. 1. §. ult. ff. de jure immun. Gayl. & Dd. quos allegat lib. 2. observat. practic. cap. 2. n. 16.* Veruntamen cum * generis vocabulo etiam filiæ 68 interdum accipiantur, *l. 2. C. de ordine judiciorum*, ut & voce posterorum seu posteritatis, *l. cum apertissime, 10. C. de secund. nupt. l. cum acutissimi, 30. C. de fideicom. l. quod his, 83. §. 1. de legat. 3.* potest interdum certa ex causa ad filias quoque tale privilegium interpretatione pleniore extendi.

VI. Mihi * & descendentibus meis datum privilegium, ex 69 fœminis quoque natos includit: ut decernit auth. *de heredibus ab intestato, §. 1. l. ult. C. de legit. hered. fac. auth. si pater, Cod. divortio facto apud quem liberi, &c.* Ordinem * autem sangui- 70 nis in hisce servandum, ita ut primo patri, hoc mortuo, filiis, non etiam nepotibus, nisi & illis mortuis, privilegium actu competat, censet Joh. de Platea *in l. 1. C. de Privil. eorum, qui in sacro pal. mil. Lib. XII. argum. illius legis, &c. unici, in princ. de successione feudi, fac. gloss. in l. Gallus, 29. §. 1. ff. de liberis & posthum.*

Contrarium tamen, & rectius mea sententia, statuit Bartolus, *in d. l. Gallus, 29. §. 1. argument. l. 1. & l. 2. ff. de jure immunit. l. ult. Cod. de injur. l. 2. Cod. de Episc. & Cleric.* Illud enim de ordine sanguinis, in his ait esse verum, quæ non possunt simul & semel esse duorum, ut sunt dominia rerum: in his vero, quæ possunt plurium esse simul, qualia sint immunitates & privile-
71 gia, non esse verum. Nuptas * tamen fœminas ex descendentibus eximit Bart. *in l. quoties, nupt. 2. C. de privil. schol. lib. 12.* de quo copiose disputat Felinus, *in c. novit, de judic. in 1. col. circa privil.*

72 VII. Liberorum * appellatione qui contineantur, varie leges definiunt. Usque ad trinepotem liberos vocari, ait glossa *in l. jurisconsultus, §. parentes, 7. ff. de gradibus,* nepotem vult *l. ult. ff. de pollicitat.* Privilegia ad pronepotes tantum extendi, ait gloss. *in l. liberos, 10. ff. de senatoribus.* Sed largiorem significationem ut nimirum omneis, sive virilis sexus sive fœminini, descendenteis & posteros vox liberorum complectatur, tradit *l. cognoscere, 56. §. 1. & l. liberorum, 220. ff. de verb. significat. d. l. liberos, 10. & l. Divo Marco, 11. C. de quæst.* Qua de re plura vide apud C. Tapiam *in l. fin. ff. de const. Princip. par. 2. cap. 3.*
73 *num. 63. & seqq.* Ita filii quoque * nomen, proprie quidem nec nepotes nec ulteriores, sed solos primi gradus liberos continet, *l. quid si nepotes, 6. ff. de testam. tut. l. sed. & milites, 8. ubi Baldus, ff. de excusatio. l. jubemus, 6. §. ult. Cod. ad Trebellianum* maxime in odiosis, *l. ult. Cod. de naturalibus lib.* Sed tamen ad nepotes quoque & pronepotes extenditur, *l. pen. Cod. de Macedonian.* imo ultra ad omnes descendentes, *l. penul. §. qua in filio, C. de adopt. l. 4. C. de liberis prat. Bald. in c. qua in ecclesiarum, col. pen. ver. sed pone concessum, de constit..* De quo vide inprimis Felinum *in c. in præsentia, col. 10. & 11. de probat. & Bald. in l. leg. XII. tabularum C. de legit. hered. & in l. si uxor, C. qui accusare non poss. & in l. si instituta, §. de inofficios. ff. de inoffici. testam. in l. 2. C. de successor. ed. glossa & Dd. instit. qui test. tut. dari possunt, & in l. liberorum, ff. de verborum signific. & in Clem. unica, de baptismo,*

ſimo, *in l. filii. ff. de verb. ſignific. in d. l. liberos, in fine, & in c. ubicunque de pœnis, Lib. VI. Joan. And. in cap. fundamenta, de elect. ibid.* Sub hoc nomine intelligi etiam adoptivos, cenſet Baldus, *in l. item in poteſtate, ff. de his, qui ſui jur.* negat An. Gailius, *lib. 2. obſervat. pract. cap. 136, num. 16.* Ita * filiis naturalibus & ſpu- 74
riis privilegia parentum negat gloſſa, *in l. 2. §. 2. ver. in filiis, ff. de decurionibus*, quibus adde Bald. *in l. parentes, ff. de in jus vocando.* Hanc omnem diverſitatem ex interpretatione naſci, facile unusquisque, qui & hactenus allegatas leges inſpexerit, & prius traditas regulas ad animum adhibuerit, intelliget. Nam * ut in odioſis ſtricte ac proprie vocabulum ſumitur, ut 75
patet *ex l. ult. C. de natural. liberis*, ita in favore largius, *ut d. l. D. Marco, d. l. pen. C. ad Maced. & aliis.* Ita cum præjudicium tertii privilegium attingit, ſtrictius eſt accipiendum, ut docet Bart. *in d. l. liberorum, col. 4. poſt princ. ver. quaro quid in reſcripto, & fac. d. l. jubemus, 6. §. ult.* alioquin extenditur, *ut in d. l. D. Marco 11.* Et ſic in cæteris ſecundum ſupra propoſitas leges ſtatuendum.

VIII. Privilegio * mariti uxor etiam potitur, ejusque radiis 76
coruſcat, *l. fœmina, 8. ff. de ſenatoribus, auth. de conſulibus §. ſi autem, l. 1. C. de in jus vocan. l. 1. l. 2. C. de uxoribus mil. l. 3. in princ. C. de privil. ſchol. Lib. XII. l. mulieres, 13. C. de dign. d. lib. l. medicos, 6. Cod. de Profeſſor. & Med. Lib. X.* Unde & forum ejus retinet, *l. cæterum, §. 4. ff. de uſu & habit. d. l. mulieres, & l. pen. ubi Dd. ff. de jurisd. gloſſ. in l. 1. §. domum, ff. de agnoſcend. lib.* & domicilium *d. l. mulieres, & l. cum te, §. 1. ff. ad municipal. l. exigere, 65. ff. de judic.* & familiam *l. quicunque 10. ubi Bart. C. de re militari, lib. 12. l. pen. §. Julianus, ff. quod falſo tut. geſt.* civitatemque *l. ult.* §. *3. ff. municipal.* etiam * ante traductionem 77
in domum mariti, *d. l. exigere, ubi Bart. num. 2. gloſſ. in l. ea quæ, 32. ff. ad municipal.* non tamen ante contractas nuptias, licet ſit deſponſa, *dict. leg. ea quæ.* Sunt enim * 78
nuptiæ vitæ omnis conſortium, divinique & humani juris

lieri. Ideo non posse illam leges condere, & similia, quæ tributa sunt Principi ratione dignitatis; quod etiam Bart. notat *in l. Princeps, 31. ff. de legibus.* Ita cum Senatus Liviam Augustam per adulationem, alii parentem, alii matrem patriæ appellandam, plerique ut nomini Cæsaris adscriberetur, Juliæ filius, censerent: Tiberius moderandos fœminarum honores dictitans, ne lictorem quidem ei decerni passus est, aramque adoptionis & hujuscemodi alia prohibuit: ut Tacitus lib. 1. annal. scribit. Sic & militum privilegia quædam uxores eorundem habent, *tot. tit. Cod. de uxoribus militar.* Non tamen * concubinæ & scorta. Expresse 82
enim uxores & maritos lex nominat. Et concubinas ac focarias militum lex odio prosequitur, *l. 2. Cod. de donat. inter virum & uxorem*, circa odiosa autem privilegia cohibenda sæpius dixi. Imo nec beneficium, *l. unica, ff. de bonorum possess. ex test. mil.* has habere facile concesserim; illud enim ad eos tantum, qui necessitate inevitabili aut officii ratione ducti in hostico deprehenduntur, pertinere censeo: non vero ad illos, qui temeritate, levitate, aut turpi libidine impulsi (ut omnia istius generis prostibula) in eum se statum deduxerunt. Non enim favendum est ei, qui se in necessitatem aliquam sponte & sine justa causa conjecit, *l. si fidejussor, 7. §. si necessaria, ff. qui satisd. cog. l. si mulier, 21. in princip. ff. quod metus causa*, quanto minus illi, quem turpis eo causa præcipitavit? Verum enimvero * cum inter alia jura ma- 83
ritorum forum quoque istorum uxores sortiri paulo ante, interim tamen tertii quoque præjudicium hoc loco declinandum, dixerim: quærat non immerito quispiam, an quæ ante matrimonium diversum habuerat fœmina forum, in illo an mariti conveniri foro debeat? Ad hæc, in litibus pendentibus fœminam non uti beneficio mariti posse, respondeo, per tex. express. *in l. 7. ff. de judiciis*, quæ, si quis postea quam in jus vocatus est, miles & ita alterius fori factus est, in ea causa jus revocandi forum non habere, ait. Id quod hac ipsa de causa ita pronuntiandum, ut tertio non præjudicetur. Itaque idem si dolo hoc faciat mulier,

ſtatuendum puto ex *l. fin. ff. de re milit. l. ſi maritus*, *15*. §. *1.* & *2. ff. ad leg. Jul. de adulter. l. unica*, *C. de reis poſtul. l. 1. C. de his, qui ad eccleſiam*, &c. An vero ex quovis contractu, nec dum controverſo aut litigioſo ante privilegium facto, reſpondere illa in foro priſtino teneatur? affirmandum quidem videtur ex *l. ult. C. ubi de ratiociniis*, &c. quæ eum, qui poſt depoſitum cingulum ſuæ privatæ vitæ redditus, ſuper cauſſis publicis, quas dum militaret, exercuit vel ſuper ratiociniis militaribus, per quæ ſuos contubernales afflixiſſe aſſeritur, in militari judicio reſpondere jubet; in quo & inſtructio ſufficiens, & nota teſtimonia, & veriſſima poſſunt documenta præſtari: facitque *eod. l. ult. C. de jurisd. omn. judic.* ego tamen contrariam ſententiam veram omnino judico. Nemini enim injuriam facit, qui ſuo jure ſine dolo utitur, *l. fluminum*, *24. in fin. ff. de damno infecto.* Fœmina autem talis utitur jure divinitus & humanitus permiſſo, ſancito. Nubere enim omnibus permiſſum eſt, ut mariti forum uxor ſequatur ſancitum. Deinde vix eſſet juris hujus aliquis effectus, cum ſubinde ex priſtinis negotiis, factis, contractibus, lites ſuſcitentur. Tertio nec magnum præjudicium eſt illius tertii in lite nova. Poterit enim mulierem nihilo minus in altero foro convenire. Dixeris, grave id eſſe, in alieno foro litigare. Refero, æque grave id mulieri eſſe, in illo foro reſpondere. In pari igitur cauſa, fœmina jus commune pro ſe habet, ut actor forum rei ſequatur. Omnibus actoribus id grave eſt: ſed hoc reis beneficium datum eſt: quorum favorabilior ſolet eſſe cauſa, *l. 125. ff. de regul. juris.* Quarto ex *d. l. 7. ff. de judiciis*, argumentor à contrario ſenſu. Lex illa militem, jam ante militiam conventum, in ea cauſa (in ea cauſa, inquit) jus revocandi forum habere negat, in cæteris ergo habet. Quinto idem affirmant Baldus & *Dd. in d. ult. C. ubi de ratiocin.* Nam quod ad illam legem attinet, loquitur illa non generatim, ſed in caſu tantum publicæ adminiſtrationis. Itaque P. Ancharanus *in cap. contrahentes, de foro comp. oppoſ. 3.* legem illam ait locum habere tantum in caſu ſuo, qui ſit ſpecialis. Unde in aliis non

non perinde servabitur. Quomodo & Bald. *ibid.* De eo vero, inquit, quod non pertinet ad illam administrationem, non sortitur ibi forum. Et hinc argumentatur, quod syndici potestatum non possunt eos syndicare de his, quæ non gesserunt in officio, quia non sortiuntur in talibus forum. Ita sentire ait etiam Guilhel. de Cun. *in l. nulli, C. quando appell. non recip. allegantem, l. 3. §. 1. ff. nautæ caupon.*

IX. Masculi appellatione * non raro continentur & fœminæ, 84
nunquam vicissim, *l. si ita, 45. in princ. de legat. 2. l. si quis ita, 16. in pri. ff. de testam. tut. l. qui duos, 62. l. servis, 81. de legat. 3. l. detestatio. 40. §. 1. l. pronuntiatio, 195. l. inter stuprum, 101. §. ult. ff. de verb. signif. l. hæc autem, 20. §. 1. ff. de adoption. l. 4. C. de præposit. sacr. cub. Lib. XII. gloss. in extravag. execrabilis, in verbo filiis, de præb.* interdum tamen non continentur, ut docet gloss. *in d. l. si ita, 45. in ver. vocabulo, & Tiraq. de Retractu, lin. §. 1. gloss. 9. num. 186.* Hujus quoque diversitatis causa interpretatio est. Masculum enim genus proprie non complectitur fœmineum, ut docet glossa *in l. 1. ff. de verb. signif.* quamvis aliter sentiat Bart. *in d. l. 1. num. 2.* Sed hanc natura litem diremit. Per interpretationem tamen aliquam & extensionem evenit, ut vocabula masculinum genus proprie notantia, fœmineum quoque comprehendere intelligantur. Unde pro * diversitate subjectorum 85
causarumque varie, & modo angustius modo largius accipiuntur. Veluti, in favore hoc illo contineri dicitur; ut & in odio, ut loquuntur, rationabili: in odio vero irrationabili & aliis causis contineri negatur, *Bart. in l. 1. ff. de verborum significat. Bald. Angel. & Salic. in l. quicunque C. de serv. fugit. Franc. Aretin. consil. 39. per tot. Jas. in l. si quis, id quod, num. 16. ff. de jurisd. om. judic. &c.* Sic masculinum genus concipit fœmininum, in materia pari & ejusdem rationis; in differentibus autem ratione, non concipit: ut ait Baldus *in l. in multis ff. de statu homin. & in l. quicunque C. de servo fugit. Alex. consil. 135. col. pen. in princ. & est tex. in l. d. C. de indicta viduit.* Sic in differentibus consuetudine contineri,

negat Bald. ibid. quia jura non ſint facta de raro contingentibus, *per l. juſto, in princ. ff. de uſucap. & l. nam ad ea, ff. de legibus*, ut & ſi cauſa finali differant, *per l. quisquis, C. ad leg. Juliam majeſtat.* Hujusmodi diſtinctiones complures habes apud Bart. *in d. l. 1. ff. de verb. ſignif. & in l. ſi quis in tantam, n. 3. & 4. C. unde vi, P. Anchar. in c. generali, circa fin. de elect. lib. 6. Angel. Aret. Inſtit. qui dari tut. poſſint, §. ſi quis filiabus, n. 2. & de cognat. ſucceſſione, §. hoc loco, n. 16. & alibi.*

86 X. Ex conſortibus * & ſociis etiam non privilegiato alterius privilegium prodeſt, ſi cauſa eorum dividi & ſeparari non poſſit, *l. ſi communem, 10. in princ. ff. quemadmod. ſervit. amitt. l. una eſt via, 18. ff. de ſervit. præd. ruſtic. l. ſi is qui duos, 29. ff. de liberta. leg. l. 4. §. ſi fundus, ff. ſi ſervitus, vind. l. præcipimus, 32. in fi. C. de appellat. l. 1. & 2. C. ſi unus ex plur. appell. l. 1. C. de diver. reſcript. auth. ut liceat matri & aviæ, §. ad hoc autem, 2. in fin. c. per duas, de arbi. Menoch. lib. 5. de præſumpt. præſ. 33. num. 8. Bald. in l. ſi communem, ff. quemadmod. ſervit. amit. & in l. 1. C. de diver. reſcri. Affli. deciſ. 213. Covaruv. lib. pract. quæſtion. cap. 34. Lud. Schraderus de feud. par. 9. cap. 4. n. 13. & 14.* Huc pertinet, *l. unica, C. ſi liberal. imperial. ſocius, &c.* ſi quis ex his, quibus à Principe communiter aliquid donatum eſt, nullo herede relicto deceſſerit, ad conſortem potius partem illius, quam ad alium, per-
87 venire jubens. Sæpe enim * quod quis ex ſua perſona non habet, per alium impetrat, *l. 3. quæ res pignori da. obli. non poſſ. & plures*
88 *aliæ legis, quas recitat gloſſ. ibid. in verbo poteſt.* Ita laicus * in individuis gaudet beneficio clerici, *cap. per tuas, c. ad audientiam, §. fin. de præſcript. Dd. quos allegat. And. Gailius, de pignor, obſer. 20. n. 12. & de pace publ. lib. 1. cap. 6. n. 17.* & res temporalis juncta eccleſiaſticæ eccleſiaſtica cenſetur, ut reſpondit Cravetta, *conſil. 279. col. pen. & Decius in l. rogaſti, §. ſi tibi, n. 6. ff. ſi certum pe-*
89 *tatur.* Socium Doctoris * gaudere privilegio Doctoris, ait Bald. *in addit. ad primam conſtit. digeſt. vete. §. hac autem tria.* Et matrimonii favore uſum extendi, ut uſu relicto mulieri mulier re uti poſſit

possit una cum marito, ait glos. *in l. cæterum, 4. in ver. matrimonio, ff. de usu & habit.* Hujus extensionis * causam esse regulam, 90 odia restringenda, favores ampliandos, docet Angel. ab Aretio *Instit. de success. cogn. §. hoc loco, num. 6.* Quandoque & illa, quoniam frequenter fructum ex beneficio Principis privilegiatus nullum sensurus est, nisi & alteri idem tribuatur, *l. ult. C. de usur. rei judic.* Non tamen * fraudulenter privilegiatus non privilegiato patrocinium per ejusmodi consociationem in fraudem aliorum præstare debet, ut severe interdicit *l. 1. cum seqq. C. ne fiscus vel resp. procurat. alicui, &c.* Et vicissim * non debet privilegiatus ob causam socii non privilegiati contra privilegii sui commoda lædi, *argum. l. 1. C. de Princip. agent. in rebus, Lib. XII.* Unde etiam * ubi duo sunt pariter privilegiati, revocationem privilegii quo ad unum, non extendi ad alterum, nisi expresse Princeps extendat, docet Abbas *in c. nuper, de decimis, & Bald. in l. quidquid, C. de advoc. diu. judic.*

91

92

93

XI. Privilegium * uni ex litigatoribus vel oppositis partibus concessum, in alterius quoque persona æqua lance servatur, *l. ult. & ibi Bart. C. de fruct. & litium expens. l. fin. §. hoc quoque adjecto, C. de re militari, Lib. XII. l. 2. §. 1. ff. si ex nox. cum agatur, l. non tantum, 20. ff. de re judic. l. die Sabbati, C. de Judæis, l. in sacris scriniis, 12. & ibi Bart. C. de proxim. sacr. scrin. l. 1. ff. quod quisque juris in alterum, &c. l. ratas, 7. in fin. C. de rescind. vend.* Hinc * uno ex contrahentibus beneficio legum liberato, alter quoque liberatus censetur, *l. bona fides, 50. ff. de action. empt. & vend.* Ita in decision. rotæ, *de dolo & contum. cap.* 2. dicitur * quod rescriptum concessum uni, ut ejus adversarius possit compelli personaliter comparere, contra regulam legis *fin. C. de procur. & cap. 1. de judic. Lib. VI.* operatur idem in impetrante. Et Bald. *in cap. fin. de rescript.* rescriptum removens appellationem, intelligi etiam removere appellationem impetrantis, ait. Ita si actor obtinuit, ut causa suapte natura plenaria agitetur summarie, idem futurum, si in eodem judicio ipse reconveniatur,

94

95

96

 ait

ait glossa *in Clement. sæpe, ver. voluerit, de verb. signific.* Ita si ex rescripto Principis obtinuit vasallus, ut à feudo non caderet, propter non servata fœdera feudi, eodem modo neque Dominum amissurum dominium directum, si eadem non servabit, ait Bald. *in l. fin. col. 2. C. de fruct. & lit. expens.* quod alias non fieret, *c. 1. §. ex eadem, de lege Conradi.* Hæc tamen
97 omnia * & his similia restringenda censet Felinus, *in rubr. de præscript.* primo, si concessio facta sit motu proprio Principis, *per gloss. in d. Clem. sæpe, & Abbat. in cap. fin. de mutui petit. per tex. in l. 3. in princ. & ibi Dd. ff. quod quisque juris, & fac. l. ratas 7. ibi, quam vobis tribui postulastis Cod. de rescind. vendit.* deinde si odium aut favor in una parte aliud inducat, secundum Bald. *in c. 2. de rescript.* Utrum autem adversario invito possit impetrator renuntiare rescripto, quærit ibid. *col. 2.* Felinus: & de sententia plurium, quos ibi allegat, posse prænuntiat, &c.

98 XII. Privilegium * euntibus datum, redeuntibus quoque datum censet Alexand. *consil. 46. lib. 2.* & salvum conductum, ut vocant, ut ire quis tuto possit, ad reditum quoque extendi, ait Bartol. *in l. utimur, ff. de sepulchro, viol. & multis in l. 1. n. 8. C. de navicular. Lib. XI. & l. si cui, ff. ex quibus caus. major. Felin. & Abbas in c. ult. n. 1. de treuga & pace, &c. Ego N. n. 8. de jurejurando, & fac. l. qui mittuntur, 35. §. ult. ff. ex quibus caus. maj.*
99 Non * enim dicitur secure venire, qui tuto redire non potest, *l. sciendum, ff. de legat. l. de ætate, 8. ff. ad Senat. Trebell. d. l. utimur, Felin. in d. c. Ego N.* Aliter tamen sensisse Papam Leonem X. scribit Jul. Ferretus *in tract. de gabell. & publ. n. 95.* Cum enim Joan. Paulo Bajono per salvum conductum accito caput auferri jussisset, conquerenti, id contra fidem datam fieri, veniendi securitatem non revertendi, se promisisse respondit.

100 XIII. Privilegium * uni personæ concessum, iis quoque nonnihil intelligitur datum, sine quibus persona illa privilegio
101 frui nequit. Itaque privilegium datum alicui, ad * Comites quoque ejus, sine quibus esse nequit, extenditur, *l. hujus 6. ff.*

qui

qui potior. in pign. hab. l. administrantes, 41. ff. de excus. l. abesse, 32. ff. ex quibus caus. major, l. restituenda, 25. & ibi gloss. in ver. pro voto, C. de advoc. diu. jud. l. legato, 12. C. de vacat. l. eos, q. 11. C. de excus. mun. imo ad omnes ejus servos, ministros, & universam familiam, *l. 1. §. si vir aut uxor, 15. de sen. silent. l. 4. ff. de usu & habit. l. penult. ff. de precario, l. in lege, 203. ff. de verborum signific. l. 1. l. 2. §. Cod. de Episc. & Cleric. l. in sacris, 12. C. de prox. sacr. scrin. Lib. XII. l. 2. C. de comitibus consist. Lib eod. c. ubicunque de pœnis, lib. 6. Decius in l. in omnibus, n. 8. ff. de regulis Boer. q. 213. Bart. in auth. habita, C. ne filius pro patre.* Familiæ * appellatione continentur conjux, liberi, servi, mini- 102 stri, utriusque sexus, ejus, qui pater familiæ appellatur, *l. detestatio, 40. l. pronuntiatio, 195. §. 2. ff. de verborum signific. l. ædiles, 25. §. 2. ff. de ædilit. edicto, l. 2. §. hac actio, 14. ff. vi bon. rap. l. ædiles, 25. §. 2. l. quod si nolit, 31. §. idem Pedius, 15. ff. de ædilit. edi. l. 2. §. hac actio, 14. ff. vi bon. rapt. l. 1. §. familiæ, & ll. seqq. ff. de vi & vi armata, d. l. 2. C. de Episc. l. 3. C. de his quibus ut indignis, &c.* Hinc * filius Regis Rex vocatur, 103 licet regnum non habeat: ut notat gloss. *in c. cap. 24. q. 2.* Sic assessoribus * & consiliariis, judicum suorum & magistratuum 104 privilegia competunt, *l. non minus 11. C. de adsess.* Et ad subditos * extendi privilegium magistratus, conficitur ex *d. l. resti-* 105 *tuenda, per illa verba, universis redditur, quod pro voto omnium primatibus indulgetur, ubi Bald. & fac l. municipal. 97. ff. de condit. & l. municipes, 14. ff. ad municipal. cum l. viros,* 106 *C. de comit. consist.* Hospitali concessum * privilegium, ad œconomos illius & administratores porrigi, docet Gail. *lib. 2.* 107 *observ. pract. c. 68. num. 6.* Ita vicissim * habitatio aut jus trans-eundi datum uxori, ejus quoque marito præstabitur, *l. pen. ff. de* 108 *servit. leg. l. 4. ff. de usu & habit.* Prohibito * enim fine, media intelliguntur prohibita: & concesso fine, media quoque ad finem ordinata concessa intelliguntur, *gloss. in l. ult. C. si mancip. ita ven. ne prostit. l. ad legat. & l. ad rem mobilem ff. de pro-rat. c. prudentiam, c. præterea, de offi. de leg.* Ita cui juris-

dictio

dictio data est, ea quoque concessa esse videntur sine quibus jurisdictio explicari non potuit, *l. 2. ff. de jurisdictio.* Cui aquæ haustus conceditur, iter quoque ad fontem concessum videtur, *l. 2. §. ult. ff. de servit. præd. rust. l. olympico, ff. de servit. urb. præd. fac. l. 3. ff. pro derelicto, c. 1. & c. 2. dist. 12. c. cognovimus, 12.*
109 *q. 2. c. si quis Episcopus, 2. q. 7.* Sed hæc * omnia ab prima regula modum accipere videntur, ut hactenus nimirum comites & familiares primatis sui privilegio utantur, quatenus hic illis carere nequit, & quatenus sine participatione sui privilegii eis uti non potest, *arg. d. l. pen. ff. de servit. legata, Felin. in c. nullus judicum, de foro comp. Bart. in tract. de repressal. in 6. quæst. septima, princ. Bald. in auth. habita, C. ne filius pro patre, & in l. scriniarios, Cod. de testam. mil. & in proœm. Dig. in pen. col. ubi bonus text. & pulchre Oldrad. in consil. Thema tale est, 11.* Semper
110 item * atque adeo maxime, ad ipsam formam concessionis, & mentem concedentis, cæterasque quas toties inculcamus leges, respiciendum moneo. Aliquando enim privilegio certa forma datur, ut ipsi soli personæ, non ejus familiæ, competat: veluti, *in d. l. semper §. immunitati. ff. de jure immunit.* aut certo tantum numero certisve personis de familia *ut l. ne senatorum quidem, 13. Cod. de excusat tut.* quos ultra si qui sunt, privilegio neutiquam gaudent, *l. non plures 4. Cod. de S. Eccles. l. 3. C. de offic. mag. milit. l. ult. ibi, non alios puto excusandos, quam qui intra numerum sunt, ff. de excus. tutorum, l. 5. Cod. de Commerciis, l. unica, Cod. de colleg. Libr. XI.* Inprimis vero etiam na-
111 tura * & conditio ipsius privilegii: strictioris illud an largioris sit beneficii spectandum. Ut, si quis miles ex principis concessione familias suas ad se venire meruerit, familiæ appellatione conjuges tantum, liberos & servos de peculio emptos, accipiendos ait, *l. quicunque 10. C. de re milit. Lib. XII.* Et ge-
112 neraliter * quando familia gaudeat privilegio Domini, vide Bald. *in l. 1. C. de Episc. & Felin. in c. nullus jud. de foro comp.*
113 XIV. Civium * appellatione incolas contineri, censet Gail. *lib. 2. observ. cap. 38. argumento l. provincialis, 190. ff. de verb. signific.* ideoque

ideoque & privilegia civium habere. Idem ſentit Angel. *in repetit. l. incola, ff. ad municipal.* Ego vero incolam primo civem eſſe nego, *per d. l. incola.* deinde nec privilegiis & jure civium frui credo, vel ob hoc ipſum, quia civis non eſt; indignum enim, alienigenam hominem, aut alterius Reipubl. civem, pari cum civibus, apud quos incola eſt, jure cenſeri: & ita nihil juris aut prærogativæ cives præ exteris habere. Sic in *l. unica, C. de privilegiis corp. urbis Romæ, Lib. XI.* jure ſpeciali Romanæ urbis incolæ civium privilegia accipiunt. Jure igitur communi civium privilegia ad incolas non pertinent. Speciale enim in uno, inducit jus commune in aliis, *gloſſ. in l. præſenti, 6. §. 3. in ver. admodum, C. de his, qui ad eccleſ. confug.* Nec inde argumentum duci poteſt, quod incola juriſdictioni civitatis ſubjectus videtur, muneribusve publicis fungi cogitur, *d. l. incola.* Non * enim ſemper quem onus tangit, omne 114
ſequitur emolumentum. Sufficiat incolis, ſi jure communi civium cæteriſque commodis fruantur. Qua ex cauſa non æqua ſolum cum civibus onera, ſed & plura quandoque eis injunguntur, ut *l. omnes 12. C. de operibus public.* Ad honores vero & magiſtratus, & ſimilia civium propria jura incolas nunquam admitti credo. Sed hæc omnia pro locorum diverſitate æſtimanda.

XV. Ita civitati * datum privilegium, ad caſtella quoque 115
& villas civitatis ſubditas aut vicinas extendi poteſt, *per l. cui quæ Romæ, 84. de leg. 3. l. qui in continentibus, 147. ff. de verb. ſignific. l. ult. C. de ædific. privat. l. 2. §. interea, 14. & §. ſeq. C. de officio præf. præt. Africæ, c. ſi civitas, de ſenten. excom. in ſex. c. cum in partibus, de verb. ſignif. Alex. ad rubr. Dig. ſolut. matrim. n. 2. & ibi commun. Dd. Bald. in l. fin. q. 2. Cod. de S. Eccleſ. gloſſ. in l. ex cauſa, 9. ver. ſententiam dixit, ff. de poſtulando, l. 4. ff. de pœn. leg. Bart. in l. urbis, 2. n. 4. ff. de verb. ſignific & in l. ſi finitæ, 15, §. ex hoc edicto, 11. ff. de damno infecto.* De qua re accurate diſputat Jac. Menochius *de arbitr. jud. quæ lib. 1. quæſt. 99.*

116 XVI. Privilegium * circa possessiones, terras, aut similia, datum, extendi ad postea quæsita, putat *cap. quia circa, de privileg. c. ex parte, de decimis, c. cognovimus, 12. q. 2. l. ult. C. quæ res pign. oblig. poss. l. si servitus, 23. ff. de serv. urb. præd. Guido Papæ decision. Gratian. quæst. 489. n. 1. 3. & quæst. 265. C. Tapia in l. ult. ff. de constit. Princ. par. 1. cap. 4. n. 1. & seqq. ubi plures alleg.* Hinc Abbas Sicculus, *in c. dilectus filius, de præbend.* Quod si
117 * res laici, inquit, conferuntur ecclesiæ, assumunt naturam aliarum rerum ecclesiasticarum, & gaudere debent privilegiis rebus ecclesiæ concessis. Et sunt hæc argumento, quod res tradita per laicum non debet amplius subjici gabellis & aliis oneribus, quæ ad lubitum Domini temporalis primo imponebantur: item, quod res perveniens ad manus exempti debet gaudere privilegio exemptionis, contra tamen privilegium super decimis concessum ad novalia non extendi, docet Rebuffus *de decimis, quæst. 14. num. 29.* quem vide. Sed & de cæteris
118 nonnihil dubitatur. Ita * augmentum dotis gaudet privilegio dotis, *auth. æqualitas, C. de pact. convent. auth. sed jam necesse, C.*
119 *de donat. ante nupt. auth. de æqualit. dotis, §. aliud.* Ita * quando provincia aut oppidum adjicitur regno vel comitatui accessorie, ita, ut unum sit regnum, illa secundum leges & privilegia illius regni gubernanda, ait Bart. *in l. si convenerit, §. si nuda, ff. de pignor. ait, per illum tex. Panormit. in c. quia monasterium, de religiosis domibus, Curt. consil. 57. fac. c. quia circa, de privil. & l. fin. C. de alluvion. Alb. Brun. in tractatu de augmento, in 9. conclus. Princ. in pri. Rebuffus in tractat. nominat. quæstion. 6. princ. num 5.* Sic enim & Fridericus I. Imper. in privilegio Austriæ Ducibus dato, volumus etiam, inquit, ut si districtus & ditiones dicti ducatus ampliati fuerint, ex hereditatibus, donationibus, emptionibus, deputationibus, vel quibusvis aliis devolutionum successibus: præfata jura, privilegia & indulta, ad augmentum dicti dominii Austriæ plenariè referan-
120 tur. Accessorium * enim assumit naturam principalis, *l. si eum*

10. §.

10. §. 2. & ibi Bart. ff. si quis cautio. in jud. sist. l. itaque 32. & l. seq. in fine, ff. de ædilit. edicto, l. exempto, 11. §. si quis rem, 17. ff. de action. empti. Joan. Andr. in quæst. Mercurial. quæst. 6. num. 8. nisi alia sit ratio in accessorio, quam in principali, *l. ex placito, C. de rerum permut. l. si is à quo, C. de præd. minorum, Bart. in l. non dubium, post gloss. in fin. C. de legibus.* Hæc vero in eo tantum casu accipi debent, cum privilegium generatim & indistincte loquitur, cum autem * expresse de præsentibus solum 121
possessionibus se loqui ostendit, *ut d. l. si servitus, & Clem. 1. de censibus*, tenorem privilegii stricte sequi oportet, *d. l. si servitus, d. c. quia circa, c. porro, c. seq. eod. tit. Clem. cum sit natura, de censibus*, in apertis enim supervacua est interpretatio, *l. continuus, §. cum ita ff. de verborum obligatione.*

XVII. Surrogatus in locum * alterius, utitur jure illo & pri- 122
vilegiis, quibus ille utebatur, in cujus locum successit, *l. minor, 51. §. 1. ff. de procur. l. invitus, 156. §. plerunque ff. de regul. jur. l. emptori, 6. ff. de hered. vel act. vend. l. omnia privilegia, 35. C. de Episcop. & Cler. l. 1. & ibi glos. in ver. pertinet, C. de petit. hered. l. pen. C. de aquæductu, Lib. XI. l. comperimus, 13. C. de proximis sacr. scrin. Lib. XII. l. 2. C. de comitibus rei milit. lib. eod. l. unica, in prin. C. de colleg. Lib. XI. c. cum quis in jus, de reg. jur. lib. 6.* Regula enim est, surrogatum * sapere naturam ejus, cui surroga- 123
tur: de quo vide Everard. *in loco à vi surrogationis:* & privilegiis iisdem frui debet, qui eandem refert personam, *l. minor, 51. §. 1. & ibi gloss. ff. de procurat.* Hinc privilegium actionis primæ competit in actione surrogata, *l. 1. §. ult. ubi Bald. ff. de constit. pecun.* Sic * cum ad officium vel munus aliquod, cui unus 124
consueverat præesse, plures eliguntur, omnes hi illis in solidum privilegiis fruuntur, quibus ille solus fruebatur, *l. binos, 10. C. de advoc. diu. judic.* In ordine * tamen ille, qui surroga- 125
tus est, cedit antiquioribus, licet ille, cui surrogatum est, sit inter primos, ut sancit *d. l. comperimus, 15. l. penult. C. de professs. Lib. X.* Privilegium item * non solvendi vectigal, datum fisco 126

vel Ecclesiæ, non competit emptoribus, ut censet Dec. *con-*
127 *sil. 48. & l. in omnibus causis, num. 2. ff. de reg. jur.* Ita * quo-
niam defendere est eandem vicem, quam reus subire *l. minor,*
51. ff. de procur. Jura quoque & privilegia principalium ad
eorum fidejussores porriguntur. Sic enim ut minor, ita fide-
jussor ejus in integrum quandoque restituitur, *l. 3. §. sed utrum*
ff. de minoribus. Ut condemnato, ita fidejussori ejus induciæ
quadrimestres dantur, *l. ult. §. fin. C. de usu rei judic.* Benefi-
cium Macedonianum ad fidejussores quoque & mandatores
filiorum fam. extenditur, *l. sed si 9. §. non solum, ff. ad Maced.*
Vellejanum ad fidejussores mulieris porrigitur, *l. si fidejussores.*
6, l. si mulier. 16. ff. ad Vellejanum l. 2. ff. qua res pign. data oblig.
non poss. Si pupillus hereditate se abstineat, succurrendum est
& fidejussoribus ab eo datis, si ex hereditario contractu con-
venirentur, *l. 89. ff. de acquir. vel omit. hered.* Defensor mari-
ti in id quod ille facere potest, condemnatur, *l. si cum 23. &*
l. seq. ff. de re jud. Et omnes exceptiones reo datæ fidejussori
etiam invito illo dantur, *l. 19. ff. de except.* nec in causam gra-
viorem idem, quam principales tenetur, *l. grace, §. 7. ff. de*
128 *fidejuss.* Fit autem * hoc omne ob interpretationem be-
nigniorem & pleniorem privilegiorum hujusmodi, ut sci-
licet privilegiati tanto plus sentiant humanitatem & bene-
ficium Principis, quos parum iisdem juvari contingeret,
nisi eadem fidejussoribus quoque eorum & intercessoribus
privilegia concederentur: ut docet *d. l. ult. in fi. C. de usur.*
129 *rei jud.* Hoc * tamen totum tum demum verum est, cum diver-
sa non est in fidejussore & principali ratio, ut Bald. notat *in l. in*
causa cogn. ff. de minor. Nam si ob hoc ipsum, quia minori fidem
non habebam, fidejussorem petii: ille quidem restituitur, non ta-
men iste, *d. l.* Idem obtinet, si donandi animo fidejussor inter-
cessit, *d. l. sed si, 9. §. non solum, ff. de Maced.* Ita honor paren-
tibus & patronis ipsis tantum haberi debet non etiam interven-
toribus illorum, *l. 7. §. ult. ff. de obseq. parent. præstan.* Eadem de
* causa

* causa qui in locum creditoris tempore prioris successit, ejus jure & privilegio sequentes tempore vincit, *l. creditor, 12. §. 8. l. eum qui, 17. l. ult. in pri. ff. qui potior. in pign. l. si generaliter, 6. C. eod. l. 1. C. si antiquior credit. l. 3. ff. de distract. pign. l. si in solutum, 6. C. de obligat. & action.* Nec * prætereunda est hoc loco distinctio Joan. de Platea *in d. l. 2. C. de comit. rei mil.* ubi eum quidem, qui penitus in alterius locum munusque succedit, uti eadem dignitate, juribus, privilegiis, ait, non ex illius persona, sed ex propria: at qui vicem tantummodo alterius subit, non propterea dignitatem illius & privilegia adipisci, *arg. d. l. eos qui;* ubi is, qui vicem Magistri militum agit, spectabilis tantum vel clarissimus evadit, ut provinciæ alicujus Dux; non autem illustris, ut Magister militum, &c. Quod hactenus verum est, ut licet non omnibus, aliquibus tamen privilegiis vicarius talis uti possit; ut hactenus dicta confirmant. Maxime enim * hoc loco servandum est attendendumque discrimen, inter transitionem privilegiorum & extensionem. Quando enim alius in alterius locum vel dignitatem plene subrogatur, ita ut ille cedat, iste succedat, privilegia quoque realia, quæ prior ratione loci illius habuerat, omnia in istum transeunt, de quo nobis hic sermo proprie non est. De illo casu enim loquimur, cum quis ad tempus solum, aut alio cum modo ita surrogatur, ut ille principalis, hic vicarius sit; & sic per extensionem solum & illius occasione privilegio fruatur. Utrum autem successor * in dignitate vel munere, teneatur ex dicto antecessoris sui? vide Jo. Fabri. *Instit. de perpet. & temp. act. . non autem, ver. pænal. n. 11.* Vicissim * autem cum privilegiatus succedit in locum non privilegiati, remisso privilegio suo hujus utitur jure, *l. cum quidam, 17. §. 4. ff. de usur. l. fisc. 6. ff. de i. fisc.* Sed tantum quoad præterita; nam in futuris suo jure uti potest, *d. l. fisc. Bart. in l. cum filius fam. 49. §. in hac stipul. ff. de ver. oblig. Everar. consf. 137. n. 65.* de quibus accurate Bald. *in addit. ad l. amplius, ff. de minor. & in auth. quas actiones, C. de S. Eccles. q. 7. & in l. minor autem, §. non solum, ff. de minoribus.*

130 131 132 133 134

XVIII. Per cessionem quoque extendi privilegia possunt.
135 Cedi * autem possunt, quæ transmitti possunt, qualia sunt omnia realia: quæ transmitti nequeunt, neque cedi possunt, *tex. in l. ex pluribus, 42. ff. de administr. tut. l. quod si minor, 24. in prin. ff. de minor. l. ult. C. de priv. fisci, Tiraq. de Retractu, §. 25. gloss. 3. n. 29. cum ibi allegat. M. Ant. peregrin. de jure fisci, lib. 7. tit. 3. n. 34.*
136 XIX. Privilegia * loco cuidam, Universitati vel Collegio data ad eos, qui in illo loco vel corpore sunt, extenduntur, *l. 4. §. quanquam, ff. de censibus,* & ad successores eorum, *d. l. & l. omnia privilegia, 34. in fine, C. de Episcop. & Cler. l. ult. C. de silent. Lib. X.* Quod si vero aliquis sub nudæ appellationis velamine, cum munus collegii, quodcunque illud sit, non impleat, aliis se oneribus subducere conatur: is privilegio Collegii minime frui debet, *l. unica, C. de collegiat. Lib. XI. l. semper, 5. §. quibusdam, ubi Bart. ff. de jure immunit.* Et vicissim, ministris ecclesiæ, aut membris cujuscunque corporis universe datum, ecclesiæ illi vel corpori datum in perpetuum videtur, *tex. in l. annua, 20. §. 1. ff. de annuis lega. gloss. ult. in l. non plures, 4. C. de S. Eccles. auth. licentiam, C. de Episc. & Cler. Guido Papa in decis. Grat. q. 355.*
137 XX. Privilegia * etiam præoccupare per interpretationem possumus, sic ut quod nondum competit, mox vero competiturum est, eo quasi jam competente utamur. Ita * mox in militiam iturus, militare testamentum facere potest: quoniam cingendus habetur pro cincto, & pro facto habetur, quod mox futurum est, *tex. notab. in l. pen. ubi Bart. ff. de testam. mil.* de qua regula vide Hyppol. *de Marsil. singul. 106.* Ita fructus maturi & quam primum colligendi pro collectis habentur, *gloss. in l. fructu, §. interdum, 152. verbo, Reddet. ff. solut. matrim.* & ecclesia mox consecranda habetur pro consecrata, *cap. ecclesiæ, de immunit. eccles.* protinus condemnandus habetur pro condemnato, *l. qui pœnæ, 7. §. Divus, ff. de manumiss.* Ita cum ad honores & Remp. nemo ante annum quintum & vicesimum accedere debeat: favoris tamen causa constitutum est, ut pro plenis inchoati accipiantur

piantur, & ita annus quintus & vicesimus pro pleno habeatur, *l. ad Remp. 8. ff. de muner.* nisi tamen cum damno publico id futurum esset, *ibid.* Ita cujus pater * tempore conceptionis Rex erat, 139
licet non sit tempore nativitatis, Regis filius censetur: quia conceptus habetur pro nato, *gloss. in extravag. execreabilis, ver filiis, de prebend.* & in toto penè jure civili qui in utero sunt, in rerum natura esse intelliguntur, *l. pen. ff. de statu hom.* De * quæstione 140
autem, utrum Imperator, Papa, Episcopus, ante coronationem vel consecrationem possint se pro talibus ferre, vel administrare? vide Felin. *in capit. eam te, de rescript.*

XXI. Ad * parentes quoque interdum filiorum privilegia 141
ascendere, docent *l. insolitum est, & ibi gloss. C. de quæstion. l. 3. in princ. C. de privil. schol. Lib. XII. l. in sacris, 12. & ibi gloss. C. de prox. sacr. scrin. ibid. l. fi. §. hoc autem, C. de Castrens. d. lib. l. hac lege, 10. C. de metat. & Ep. ibid. l. item si, 7. §. quanquam, 10. l. sed si, 9. §. 3. ff. de senatusconsult. Mac. & alia.* Quod tamen regulariter verum non esse, & ideo in his tantum casibus & aliis jure expressis statuendum, probe docet *l. 1. §. 1. & ibi gloss. in verbo relatum, ff. de senatoribus.*

XXII. Illa denique * jam sæpius repetita juris utriusque re- 142
gula, ut odia restringantur, favores porrigantur, diligenter ubique servanda est, *cap. odia, de regulis jur. lib. sex. l. 2. & l. cum quidam, 9. in fine, ff. de lib. & posth. her. instit. & ibid. gloss. cum aliis legibus, l. pen. ff. de pœnis, l. prospiciendum est, 11. ibid. l. 2. ubi gloss. C. de in jus voc. fac. l. emancipatum, 7. in fine, ff. de senatoribus, gloss. in l. sed si, 10. §. ult. ff. de in jus voc. & in l. sed si, 9. §. non solum, ff. de sen. Macedo. Abbas, in c. tua, de decimis.* Et hanc communem opinionem ajunt Jas. *in l. cum quidam, n. 7. ff. de lib. & post. Vivius lib. 1. opin. 94. post med. & op. 108. Eman. Suarez in thes. recept. sent. in ver. extensio.* Itaque etiam pœnalia non transeunt in heredem, *l. unica, in fine, ubi gloss. ff. si quis jus dic. non obtemper. l. in honorariis, ff. de action. & obligat.* Nam * licet in- 143
terdum odia quoque ampliari videamus, ut in *l. quod ait prætor,*

2. §.

2. §. 1. ubi gloss. ff. de his, qui not. infam. l. 2. §. qui ad munera, ff. de vacatione, &c. favores autem restringi, *ut in l. fin. in fine, ubi gloss. C. de his, qui non implet. stip. & alibi.* Hoc tamen totum per accidens tantum & certas ob causas fieri quandoque sciendum. Nam primo quod supra lib. 2. cap. 3. num. 53. universe præcepi-
144 mus, hic quoque est accurate servandum, * ne vel odia adeo restringamus, vel favores tantum amplificemus, ut privilegii conditorisque sententia subvertatur, quod super alias bene præcipiunt *d. prospiciendum ibi, ne quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcat, & l. hodie, 13. ibi, ita tamen ut in utroque modo rationem non excedat, ff. de pœnis.* Itaque si odii gravioris causa privilegium introductum evidens fuerit, idque stricte servandum, & ratio ejus & imperium ferentis monuerint: hic quoque odium non restringendum, sed potius adjuvandum videtur, *fac. egregie, d. l. prospiciendum ibi, plane in levioribus causis, &c.* Eo inprimis casu, quo favor & odium concurrunt, & favoris quidem momentum leve, odii vero gravis causa apparet. Nam si æquale fuerit utriusque pondus, indubie ad favorem lenitatemque propensiores esse debemus, per jura supra allegata, *lib. 2. cap. 3. numer. 31.* Cæteræ quoque interpretationis leges exceptionem huic regulæ faciunt: ut inprimis, si tertii præjudicium aut publica utilitas agatur. Maxima enim semper in utranque partem tam odii, inquam, quam favoris, publicæ utilitatis vis est. Unde fit, ut odium quoque contra communem regulam hujus adjuvandæ causa extendatur: ut docent *Bart. in l. 2. §. 1. ff. de his, qui not. infam. & Dynus in d. reg. odia, de reg. jur.* Ut autem
145 * scias, favorabile sit, ut loquuntur, privilegium, an odiosum? causam, ob quam principaliter introductum est, inspicere debes, *fac. l. qui exceptionem, 40. ubi Bart. numer. 2. ff. de condict. indeb.* Veluti, Macedonianum beneficium favet quidem filiis familias; tamen quia magis in odium fœneratorum introducitur, odiosum habetur. Contra, Vellejanum odio quidem creditores prosequitur, sed quia magis ad favorem fœminarum propendet, favora-

bile

bile habetur. Ita Baldus *in d. l. qui exceptionem.* Ista lex, inquit, docet cognoscere exceptionem favorabilem & odiosam : quia debet considerari ratio legis, utrum sit favoris ratio vel odii ? &c.

Plures alii casus atque exempla, quibus privilegia extendi atque produci solent, enumerari possent ; sed hæc insigniora & maxime usitata esse videntur : & circa cætera eadem judicium nostrum instruere queunt.

Illud tantum hoc * loco notandum duximus, posse & solere 146
eos, qui jus condendi privilegii habent, extendere atque transferre ad alios privilegia aliorum generalibus verbis, ita ut hi eodem potiantur privilegio, quo illi, *l. quidquid, 5. l. iisdem, 7. l. ad similitudinem, 16. l. seq. Cod. de advocat. diverf. jud. l. 2. Cod. de comitibus consist. Libr. XII. l. unica, Cod. de magistr. sacr. scrin. Lib. eod. l. unica, Cod. de metropoli Berglo. Lib. XI. l. omni innovatione, 6. Cod. de S. Eccles.* idque etiam cum præjudicio aliquo. Utique enim aliquid mihi præjudicatur, si inferior mihi æquatur, *d. l. unica, C. de metr. Ber.* Non tamen magnum esse præjudicium debet, d. l. Ita Episcopo nihil derogatur, si alter in episcopatu illius deligatur, ut glossa ibidem ait. Sic ad Austriæ Principes omnia aliorum Imperii R. Principum privilegia generalibus verbis transtulerunt Fridericus I. & Carolus V. Impp. Rom. Imo * 147
quod majus est, ita extendi privilegia possunt, ut jus commune fiant, & quod antea paucis, nunc omnibus liceat, *l. 2. ibi gloss. Cod. de quadri. præscript.* Sic enim civitas Rom. quæ prius singulari privilegio dari solebat, postea ad omnes, qui sunt in orbe Romano, constitutione Imp. Antonini translata est, *l. in orbe, 17. ff. de statu hom.* Ita jus militum adeundi cum beneficio inventarii hereditatem, postea ad omnes transtulit. Imp. *in l. fin. Cod. de jure delib.* Quod quamvis iniquum videatur (totum enim hoc modo privilegium aboletur) non est tamen revera iniquum : ut infra libr. 3. capit. 10. pluribus demonstrabitur.

CAPUT V.

De concursu & comparatione privilegiorum.

SUMMARIA.

1. *Jus commune cedit speciali.*
2. *De quali privilegiorum comparatione hic non agatur?*
3. *Privilegium à superveniente privilegio non tollitur.*
4. *Quis hic privilegiorum concursus consideretur.?*
5. *Duplex privilegiorum concursus.*
6. *Regula circa concursum & pugnam privilegiorum observandas; num. 8.*
7. *Leges quadam, qua his obstare videntur, explicantur.*
9. *Contraria in eodem subjecto simul esse non possunt.*
10. *Ne ab Deo quidem actus repugnantes produci posse, quidam senserunt.*
11. *In testamento, in quo repugnantia leguntur, nihil ratum est.*
12. *Instrumenta vel testamenta duo diversa, de quibus non apparet utrum sit prius, ambo irrita sunt.*
13. *Privilegium certo generi aut corpori datum, non datur alteri contra alterum de illo corpore.*
14. *Vasallus, dum Domini contendunt, neutri pareat.*
15. *Paria delicta mutua compensatione tolluntur.*
16. *Clerici in propriis causis Advocati & Procuratores esse possunt.*
17. *Pariter metam attingentium, aut pariter murum ascendentium, quis praeferendus?*
18. *Par in parem imperium non habet.*
20. *Majus lumen obfuscat minus, & dignius trahit ad se minus dignum.*
21. *Liberis ex diversis uxoribus repetentibus dotem, primi praeferuntur.*
22. *Superveniente legato majore minoris officium cessat.*
23. *Ecclesia utitur privilegio praescriptionis contra ecclesiam, quia non est privilegiata in praescriptione activa, sed passiva; n. 92.*
24. *Unde aestimandum, cui magis conveniat quodque privilegium, & quod potentius sit?*

25. Privi-

25. *Privilegium ab majore profectum potentius est eo, cujus conditor minor est.*
26. *Exempla hujus regulæ.*
27. *Quod tempore prius est privilegium, jure prius est.*
28. *Idque tempus æstimatur etiam ratione horæ & momenti.*
29. *Præsentia futuris, quamvis melioribus, anteferuntur.*
30. *Privilegium quod jam competit eo potius est, quod mox competiturum est.*
31. *Temporis causa privilegia invicem precellunt, nisi alterum validiore tempore causa armatum inveniatur.*
32. *Exempla hujus definitionis.*
33. *Quæ causa hoc loco major?*
34. *Privilegium quod non obstante priore Princeps valere voluit, prævalere debet.*
35. *Quando Princeps velle videatur?*
36. *Occupantis & possidentis melior conditio.*
37. *Errantis nulla voluntas neque consensus.*
38. *Tunc demum voluntas Principis posterior constat, cum expressa facta mentione privilegii prioris, eo non obstante, posterius valere jussit.*
39. *Si prius privilegium generale, posterius speciale sit, quidam mentionem prioris necessariam esse negant.*
40. *In his, quæ ab unius voluntate pendent, ultima prævalent.*
41. *Talia sunt ultimæ voluntates, pacta, contractus, juramenta, leges, rescripta, statuta.*
42. *Ego, etiam si posterius privilegium speciale sit, mentionem requiro; num. 57.*
43. *Testamenta, leges, statuta, rescripta à privilegiis differre, ostenditur.*
44. *Leges etiam circa futura tantum abrogantur à lege posteriore; pendentia vero & jam contracta ex lege mentionem expressam requirunt.*
45. *Idque multo magis in privilegiis verum erit.*
46. *In his, quæ ab unius voluntate pendent, tunc demum ultima prævalent, cum id sine præjudicio alterius fieri potest.*
47. *Exempla.*
48. *Rescripto posteriore non tollitur jus ex priore quæsitum.*
49. *Privilegio jus nobis plenum & integrum adquiritur.*
50. *Jus commune Princeps tollere facilius præsumitur, quam speciale.*

51. *Quæ facti sunt, & jura specialia, ignorare Princeps aut non recordari præsumitur: non ita jura communia.*
52. *Voluntas specialis generali præferenda est, si ista majore prærogativa munita non est.*
53. *Quod exemplis declaratur.*
54. *Cur temporis prærogativa juri speciali præferatur? ratio redditur.*
55. *Specialia generalibus insunt.*
56. *Tantum valet generis positio, quantum enumeratio omnium specierum.*
58. *Generalis clausula privilegio adjecta, an prioris privilegii mentionem facere videatur?*
59. *Idem de clausula motus proprii quæritur.*
60. *Et de clausulis ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, & similibus.*
61. *Privilegium corpori juris insertum, an privilegio posteriore etiam sine mentione tollatur?*
62. *Privilegii, quod nullum est aut vitiosum, mentionem fieri non est necesse.*
63. *Idem de appellatione deserta, de processu & lite nulla.*
64. *Literæ secundæ cum mentione primas à tempore præsentationis demum revocant.*
65. *Clausula generalis in priore privilegio an omnia sequentia tollat?*
66. *Nemo eam sibi legem dicere potest, ut à priore sententia recedere non possit.*
67. *Princeps nec minimam particulam imperii ab se abdicare potest.*
68. *Contra supremam potestatem Imperatoris præscribi non posse, communis opinio est.*
69. *Nemo mutare voluntatem in alterius præjudicium potest, ne Princeps quidem.*
70. *Privilegium generalius cedit speciali.*
71. *Quando id verum sit, declaratur.*
72. *Privilegium specialius dicitur, quod conceditur personæ.*
73. *Finium ratione privilegia alia aliis anteferri, monstratur.*
74. *Privilegium publice utile his, quæ privatæ sunt utilitatis, præferuntur.*
75. *Immunitas a collectis vel muneribus non extenditur ad collectas, propter necessitatem impsiotas.*
76. *Exempla.*
77. *In electione Pontificis an sit præferendus potentior, vel ditior sapienti?*

78. *Affi-*

78. *Afflicto & læso ſuccurri æquius eſt, quam lucro inhianti.*
79. *Conſervatio favorabilior eſt adquiſitione.*
80. *In cauſa pari potior eſt conditio prohibentis.*
81. *In rebus dubiis humanior ſententia amplectanda eſt.*
82. *Potentius eſt privilegium, quod majore nititur favore.*
83. *Libertas omnibus rebus favorabilior.*
84. *Favorabiliores Rei, quam Actores habentur.*
5. *Fœminarum privilegia multis potiora.*
6. *Multis & minorum privilegia.*
7. *Æquitas privilegia invicem præfert.*
8. *Plus valet, quod vere geſtum eſt, quam ſcriptum.*
9. *Nova dignitas præfertur antiquæ.*
0. *Qui in actu ſunt, honorariis præferuntur.*
1. *Duplici juri utentes excludunt eos, qui uno ſolum uti poſſunt.*
3. *Exercendi privilegium occaſionem habens, illi, qui habitum tantum retinet, antefertur.*
4. *Exempla.*
5. *Profeſſionis vel loci inæqualitas privilegia inæqualia facit.*
6. *Dignior minus digno præfertur.*
7. *Quanto quis melioribus præeſt, tanto major eſt.*
8. *Magis honorandus eſt, qui eſt de meliore ſanguine.*
9. *Primo Licentiatus, poſtea Doctoratus præcedit illum, qui intermedio tempore fuit Doctoratus.*
10. *Junior excellens virtute & probitate præfertur antiquiori.*
11. *Canoniſta præcedit Legiſtam, hic Artiſtam; Doctor utriusque juris merum Canoniſtam; Theologus omnes.*
12. *Præfertur qui habet dignitatem in loco nobiliore.*
13. *Clericus ſecularis præcedit regularem.*
4. *Sedens à manu dextra ſuperioris, dicitur honorari ſupra ſedentem ad ſiniſtram.*
5. *In ſuo quisque gradu alteri antefertur.*
6. *Privilegiarii iidem invicem diverſis ex cauſis præferuntur.*

IUs commune * ſeu univerſale, quoties cum privilegio aliquo, quod eſt jus ſingulare, concurrit, cedere huic in illo caſu, ajunt *l. 3. ibi, niſi ſi quis privilegiarius veniat; hujus im non ſine ratione prioris ratio habebitur, ff. quod cum eo, qui in pot. eſt negot. geſt. eſſe dic. l. ex facto, 52. §. ult. ff. de peculio,* 1

Gg 3 *l. eas*

l. eas obligationes, 8. ff. de cap. min. l. 2. C. de legibus. & ex præcedentibus manifeſtum eſſe opinor. Nunc cum inter ſe concurrunt ſeu conveniunt privilegia duo vel plura, quid juris ſit?
2 diligentius inquirendum. Non loquimur * autem hic præcipue de illo caſu; cum in aliqua re vel perſona tertia non privilegiata privilegia concurrunt; ita, ut nullum ipſis inter ſe, ſed adverſus tertium negotium ſit, nec alterum ab altero impediatur, quo minus ſuo jure adverſus illum tertium utatur. Nec de illo agimus, cum circa diverſa negotia privilegia verſantur: ita, ut quodvis privilegium habeat ſuum peculiare objectum ſive caſum, circa quem jus ſuum vimque exerceat. Hoc namque caſu neutrum alteri obſtat, quo minus utrunque ſuo jure in ſuo propoſito fruatur: ut contraria etiam quæcunque in diverſis objectis ſine mutuis impedimentis conſiſtere poſſunt. Sed nec illum hic conſideramus privilegiorum concurſum, qui fit in ipſo privilegiato, cum habenti privilegium
3 aliud de integro ſupervenit privilegium. Quo * caſu neutrum ab altero tollitur, ſed utrumque vim ſuam retinet, etſi majus ſit, quod poſterius acceſſit, *l. 3. C. de dignit. Lib. XII. l. 4. in fin. C. de prox. ſacr. ſcrin. lib. eod. l. fi. ubi gloſſ. C. de præpoſ. agen. in reb. de lib. 1. princ. 6. C. de Princ. agen. in reb. ib. l. eos qui, 11. C. de excuſ. mun. Lib. X. l. 2. in fin. C. de priv. eorum, qui in ſacr. pal. mil. l. ult. C. de ſilen. Lib. XII. cum ſimil. Quibus adde Bart. in l. 3.*
4 *§. 1. ff. de oper. novi nun.* Ille vero * præſentis eſt propoſiti caſus, cum circa idem individuum, objectum ſive negotium duo vel plures privilegiarii concurrentes, quisquis jure ſui privilegii integro frui cupit. Quod ſi fieri non poſſit, tunc maxime cujus iſtorum potius haberi jus debeat, diſpiciendum. Veluti, non quæritur, ſi & minor & fœmina, uterque privilegio nixi, adverſus eundem majorem, qui utrique absque præjudicio alterius ſatisfacere poſſit, jus aliquod intendunt. Multo minus dubii eſt, cum adverſus alium minor, adverſus alium fœmina, cauſam habent. Verum ſi eandem rem, verbi cauſa

ſa eundem agrum, domum aut ſimile, uterque petant, uterque jus ſui privilegii objiciant, uterque unam & eandem prærogativam ſibi vendicent: utri ſint hæc adjudicanda, in diſceptationem venit? In hoc * igitur privilegiorum & privilegiariorum concurſu illud tenendum, aliquando duos pluresve dem mutuo privilegium opponere, ut cum miles adverſus nilitem, fœmina cum fœmina contendit: aliquando non privilegiarios modo diverſos, ſed & privilegia obtendi, ut cum iſcus & fœmina concurrunt. His * poſitis, ita breviſſime & 6 planiſſime hanc omnem controverſiam finiemus. Quando nim cunque idem utrinque privilegium, utrique pariter congruens, aut diverſa quidem, ſed ejuſdem potentiæ, privilegia opponuntur: neutrum exerceri, ſed ad jus commune redigi, trunque & legibus & æquitati conſentaneum affirmo. Sin liter, illum cui idem privilegium magis convenit, aut qui potentius habet privilegium, anteferri, jus eſſe faſque dico. rioris membri definitionem confirmant *l. 3. in princ. ff. de rebus eorum qui ſub tut. ſunt, l. verum, 11. §. item quæritur, ff. de minoribus, l. ſed & milites, 8. in princ. ff. de excuſat. l. pen. C. eod. 2. C. de privil. fiſci, idemque 7. in pr. ff. qui pot. in pignore hab. l. maritus, 15. in pri. ff. ad leg. Jul. de adult. l. dotalem, 6. ff. de ſtam. mil. gloſſ. in auth. perpetua, C. de S. Eccl. c. de quarta, de præſcript. c. 2. ubi Dd. de officio & pot. jud. deleg. P. Ancharan. lib. 3. quæſt. 51. n. 24. Bald. in d. auth. perpetua, A. Tiraquel. de privil. æ cauſæ, pri. 26. Jac. Cujacius lib. 2. de feud. tit. 14. &c.* Quamvis enim * tales æqualiter admittendos dicat gloſſa ultim. in 7 *unica, C. de privileg. dot.* tamen ob id ipſum præmonuiſſe te cogitare debes, non de illo hic caſu agi, ubi ſine incommodo alterius uterque ex privilegiariis jus ſuum obtinere poſſint, (tunc enim utique ex æquo omnes admittuntur) ſed de , cum rem eandem jure ſui privilegii plures in ſolidum petant. Hic ego nego fieri poſſe, ut ex æquo plures admittantur ne ſumma inæqualitas oriatur. In ſolidum enim res una

uni

uni tantum competere poteſt. Sin diviſionem in partes æquas fieri jubeas, ut contendunt quidam argument. *l. communi, 7. §. ſi duo ſint, ff. communi divid.* jam hoc ipſo uterque ſuo jure fraudatur; integram enim rem, non dimidiam uterque petit. Imo ſi animum advertamus, ad noſtram res regulam redit, ut uterque privilegio cedant, & jure communi rem perſequantur. Non magis obſtat *l. ſi quis 11. C. depoſiti*, ex qua gloſſa *ibid. in ver. ab utraque*, confici putat, cum duobus idem privilegium concedatur, utrumque ſuum contra alterum exercere. Illa enim lex ibi non de uno depoſito inter duos controverſo, ſed de duobus, agit. Unde & duæ naſcuntur actiones, quod inſpicienti ſatis patebit. Inprimis illa verba, *ei videlicet primum, qui primus hoc voluerit*, duplicem actionem
8 oſtendunt. Nos autem * ut verus & dubius privilegiorum fiat concurſus, circa eandem rem privilegia convenire, antea demonſtravimus. Quo ſane contraria evadere privilegia, vel
9 certe privilegiarios, certum eſt. Contraria * autem in eodem ſubjecto ſimul eſſe non poſſunt: ut præter rationem natura docent *l. Mutius, 30. ff. pro ſocio, l. ſi is qui, 13. §. utrum, ff. de rebus dub. l. ſi inter me & te, 15. ff. de except. rei judic. l. 1. ff. mandati, l. Titiæ, ff. de condit. & demonſtrat. l. 1. C. de furtis; l. contra majores, 16. C. de inofficioſo teſtam. c. ſolicitudinem, in fin. de ap-*
10 *pellat.* adeo, ut ne * ab Deo quidem actum repugnantem ineſſe produci poſſe, dicat Angelus, *allegante Decio de regul. jur. l. ubi repugnantia*, quod ipſe quoque Decius reſpondit *in conſil. 644. num. 12.* & Jaſon *in conſil. 148. num. 5. ad fi. lib. 4.* Sed hoc illi viderint. Iſto autem caſu utique alterum ab altero aboleri privilegium, vel ſi cauſa nulla, cur alterum præferatur, inveniri poſ-
11 ſit, utrunque tolli neceſſe eſt. Sic enim * & in teſtamento, in quo repugnantia leguntur, nihil ratum eſt, *d. l. urbi repugnantia.*
12 Ita * ſi duo proferuntur inſtrumenta vel teſtamenta, eadem die & hora facta, ut non appareat, utrum prius ſit aut poſterius, in quibus diverſi ſcripti ſunt, neutrum valere pronuntiant gloſſa *in*

l. 1.

l. 1. §. 1. in ver. veteres, ff. de bonorum poss. secundum tab. & in l. eum, qui 51. in ver. ex neutro, ff. de adquir. her. & in l. ult. in ver. missus est, C. de edicto D. Hadr. Bart. in l. si duas, 6. ff. de excusat. tut. Quam opinionem quamvis refutare leges quædam & rationes, quas allegat gloss. *in dd. ll.* videantur: est tamen verior & communior, secund. Jason & Dd. *in d. l. ult. Bertrand. cons. 223. lib. 1. part. 1. quem refert. Boer. decis. 311. num. 2.* Hinc * si pri- 13
vilegium datur certo generi aut populo, non intelligitur proprie alteri contra alterum datum, sed tantum contra exteras personas: ut notavit Baldus *in l. non tantum, §. Iliensibus, ff. de excusat.* Sic enim qui corporis aut Collegii jure excusantur, à collegarum & filiorum tutela non excusantur, *l. administrantes, 41. §. ult. ff. de excusat.* quod idem de militibus dicitur *in l. sed & milites, 8. in princ. ff. de excusat.* & de inquilinis castrorum, *l. non tantum, 17. §. ult. d. t.* Ita si duo, qui sub certa pœna promiserunt, ne se offenderent invicem, simul offenderunt, ita ut non appareat, quis prior fecerit, neutrum teneri, ait Bart. *in l. si servum. 91. §. 3. ff. de verb. obligat.* Ita * vasallum vel emphyteutam, duobus de 14
dominio directo feudi aut emphyteusis contendentibus, interim neutri debere parere, ait Menoch. *de arbitr. jud. quæst. lib. 2. casu 466. n. 1.* Sic paria * delicta mutua compensatione tolluntur, *l.* 15
viro, 39. ff. solut. matrim. l. 10. ff. de compensat. Sic quamvis * 16
Advocati aut Procuratores civilium causarum clerici esse prohibeantur, *l. aut religionis, 18. ff. de procu. c. 1. ne clerici negot. sec. in c. 1. & ult. de postul. c. perlatum, dist. 88.* in propria tamen causa id eis remittit *d. c. 1. & ibi Dd. de postul.* Huc pertinent * illæ 17
quæstiones; si equi duo pariter metam attingant; aut præmio proposito illi, qui primus hostileis muros conscendant, plures simul ascendant: cui palma aut præmium tribuendum? De quo vide Baldum *in prima consti. Dig. vet. §. itaque ver. quæro Rex, Joh Fabri. & Angel. Aretin. aliosque Dd. Instit. de legit. agnat. success. §. si plures, & §. proximus, & inprimis Felin. & plures quos is allegat in c. capit. in ver. de concursu, & seq. de rescriptis.* Sed quam

 varie

varie iſti definiant (alius quippe nulli, alius ſingulis in ſolidum, alius omnibus pro parte rata præmium tribuendum autumant)
18 nihil tamen noſtram ſententiam lædunt. In ſumma, ut par * in parem imperium habere negatur, ſed uterque alterius reſpectu poteſtatem ſuam amittit, *l. 4. ff. de recept. qui arbit. recep. l. illo, 13. §. penulti. ff. ad Trebell. l. apud 19. §. apud, ff. de manum. vind. l. 1. C. ſentent. reſci. non poſſe, l. pen. C. de reſtit. mil. l. ult. C. de legibus, c. innotuit, de elect. gloſ. in proœm. Decret. in verbo reſecatis, Bart. in l. ſi quis, ult. ff. de rerum diviſ.* ita pariter quoque privilegiati concurrentes, uterque adverſus alterum in eo caſu, quo concurrunt, privilegia amittunt, & jure communi decernunt. Hæc de priore propoſitæ regulæ membro.

19 Quod ad * alterum, illum inter privilegiarios, cui idem privilegium ob cauſam aliquam vel rationem magis convenit, aut qui potentius habet & majoris ponderis privilegium, præferri ajo, argumento *l. verum, 11. §. fi. & l. ſeq. ff. de minor. l. ſed & milites, 8. in pri. ff. de excuſ. l. debitori, 50. ff. de fidejuſ. l. quæritur, 10. ff. de ſtatu hom. l. fi. C. de ord. jud. c. cauſatus, §. ſane, & ibi gloſ. de*
20 *heret. Lib. VI.* Majus * enim lumen obfuſcat minus, & dignius trahit ad ſe minus dignum, *c. quod in dubiis, de conſecra. Eccleſiæ, & c. unico, eod. tit. in ſex. Jaſ. in l. imperium, n. 3. ff. de juriſd. om. jud. A. Gailius de arreſt. Imperii, c. 6. n. 6. & ſeq. l. ult. ff. de officio*
21 *proconſ.* Sic idem * dotis privilegium convenit primæ & ſecundæ uxoris liberis: ſed illis tamen potius, quia tempore priores. Itaque ſi concurrant ex prima & ſecunda uxore liberi, & ambo repetant dotem, primi præferuntur, ut ſancitur *in §. 1. auth. ut*
22 *exactione inſtante dot. primæ & ſecundæ, &c.* Ita ſuperveniente * legato majoris auctoritatis, minoris officium ceſſat, *c. antiq. de privil. Specu. in tit. de leg. §. ſupereſt videre verſ. illud etiam.* Sic
23 eccleſia * privilegium habet, ut contra eam non præſcribatur ſpatio communi, ſed requiritur tempus quadraginta annorum, ut in auth. *quas actiones, C. de S. Eccleſ.* & tamen utitur hoc privilegio contra eccleſiam alteram præſcribentem; licet æquè privilegiatam

giatam. Ratio est, ut ibi notat Abbas, quod ecclesia non est privilegiata in præscriptione activa, sed passiva. Itaque cum ecclesia præscribens nullum habeat in illo casu privilegium, merito suo privilegio altera gaudet. Cæterum * cui magis privilegium quod- 24
que conveniat, quod item potentius validiusque sit, id legum auxilio æstimandum est. Ac dependet res tota à causis privilegiorum, quæ in alio atque alio prævalere solent: itemque etiam ab accidentibus nonnullis & circumstantibus, ob quæ alius alio majorem ex suo privilegio fructum sentit. Quod ut magis in aperto sit, nunc paulo accuratius persequemur.

Nam primo, ratione causæ efficientis, privilegium * cujus 25
conditor major est ac potentior, potentius est eo, cujus conditor minor est, *l. 2. ff. de albo scribendo*, *l. nam. magist. ff. de mino. l. jud. 58. ff. de jud. l. restituendæ, 25. in fi. & ibi glos. C. de advoc. div. iud. c. per tuas, de major. & obed. c. si à sede, de preb. lib. 6. Joh. de Silva, in tract. de benefic. par. 3. q. 29. Rebuf. in praxi benefic. tit. de forma vicar. n. 122.* Itaque * inter equestres ejusdemque loci 26
viros, illum præferendum, qui ordinem à majore accepit, censent *glossa & Abb. Panorm. in d. c. per tuas, & fac. tex. in l. fin. ff. de albo scribend.* Sic legatarii defuncti potiores sunt legatariis heredis ejusdem defuncti, *l. 1. Cod. de bon. auctor. jud. possid.* Ex duobus electis præferri electum à dignioribus, ait Bartol. *in l. 3. ff. de testibus.* Et quem Imperator fecit Doctorem, præcedere illum, quem inferior etiam prius fecerat, ait Felinus *in rubr. de majorit. & ob. colum. penulti. in fine.* Non autem ignorare debemus, ita demum majoris privilegium minoris præferri, si minor ratione jurisdictionis alicujus aut imperii alteri subjectus sit, quo casu hujus privilegium alteri cedit, *d. l. judicium, 58.* Quod si alter potentior tantum sit, non tamen alterius quoque potens eique imperans, non proinde ex efficiente privilegia æstimari possunt. Veluti, ab Rege Franciæ datum privilegium potentius est omnibus privilegiis, quæ Principes regni Franciæ & magistratus dederunt. At his privilegiis, quæ Princeps aliquis Germaniæ de-

dit, privilegium Regis Franciæ non est potentius : imo æque in principatu illius privilegium valet, ac in regno Franciæ Regis privilegium : & ut nullum jus facit Franciæ civibus Germani Principis lex, ita nec Germanos Francica ligat. Sic & minor magistratus ob præsentiam majoris jurisdictionem suam non amittit, *glos. in l. nihil, 4. C. de palat. sacrarum larg. Lib. XII.*

27 Similiter * quod tempore prius est privilegium, jure prius esse docet text. *in auth. ut exactione inst. dotis, §. 1. l. si pignus, 8. ff. qui pot. in pign. hab. l. quoties, 98. ff. de reg. ju. l. in oper. 26. ff. locat. l. 2. C. de priv. fisci, l. assiduis, §. ult. l. si fun. C. qui pot. l. 1. C. de Coss. l. 1. & l. 2. C. de præfect. præt. plurib. Dyn. & Jo. An. in reg. jur. qui prior est temp. de reg. ju. lib. 6. B. Chass. in cat. glor. mun. p. 12. consf. pen. An. Gail. lib. 2. observ. pract. c. 55.* Quod tempus
28 * æstimatur non solum ratione diei, *gl. in c. si ex tempore, in ver. jam de elect. lib. 6.* sed etiam horæ, *per gl. in l. si ex plurib. §. ult. in verbo die, ff. de sol. imo tex. in l. si fund. §. si duo ff. de pignor. Bald. in l. Imperator, lect. 1. n. 4. ff. de statu hom. & in l. præscriptione, n. 5. C. si contra jus vel util. public. & in l. de rebus, n. 2. C. de donat. ante nupt. Socin. in l. 1. inprimis verb. ff. sol. matr. Decius consil. 689. col. 1. Jo. And. in c. si duobus, de rescript. Felin. & Decius in c. pastoralis, in princ. n. 5. de rescri. & alii, quos refert Menoch. de arbitr. jud. quæst. lib. 2. casu 48. num. 2.* imo ratione momenti, *l. Arethusa in fine, & l. seq. ff. de statu hom. l. ter. enixa ff. de verb. signif. l. si ita fuerit, §. plane, ff. de rebus dubiis, &c. quæ refert Menoch. ibid. n. 3. Decius, in d. c. pastoralis, num. 7.* Quod si tamen duo concurrant rescripta, eodem die quidem data, sed alterum sine hora, alterum cum hora prima diei, hoc, quod primam habet horam, præferri, respondent Dd. quos recenset Menoch. *d. loco n. 18.* sin alterum habeat horam ultimam, illud quod nullam habet horam, prius præsumi, ajunt iidem, teste eod. *ibid. n. 21.*
29 Sic * igitur causa temporis præsentia futuris, quamvis melioribus, anteferuntur, ut docet gloss. *in l. cum hi, 8. in princ. ff. de transactio.* secundum illud :

Ova

Ova hodie præstant, quos lux dat crastina pullis,

Et: ——————*omne futurum*

Despicitur, suadentque sui præsentia fructum.

Eodemque argumento * privilegium, quod jam competit 30 ei, quod mox competiturum est (quale tamen privilegii vim obtinere, quoniam pro facto habetur, quod mox est futurum, cap. præcedente ostensum est) merito antefertur. Sed hæc regula de jure * temporis tunc demum habet locum, cum ab omni alio- 31 quin parte paria privilegia, solo tempore excepto, concurrunt, *gloss. in c. qui prior. de regul. jur. Lib. VI.* Tunc enim sine dubio ac sine omni controversia prior tempore, potior est jure. Quod si vero fortior aliqua causa alteri ex privilegiis adsit, temporis jus non immerito cedit, *d. gloss. in c. qui prior.* In quem modum, si omnia undique in unam æqualitatem concurrant, humaniorem sententiam Prætorem eligere jubet *l. majorem, 8. ff. de pactis*, aliter eos, quibus plus debetur, aut qui numero personarum vincunt, præferendos. Nam cum utrunque ex concurrentibus privilegiis causam, cur alteri præferri velit, obtendit, id merito vincit, quod habet valentiorem. Hoc accidit in *l. 5. & l. seq. ff. qui pot. in pign. hab. in l. licet, l. scripturas, l. seq. C. eod. & in l. pen. ff. de religios. & sumpt. fun. l. 1. C. de Coss. & similibus.* Ubi semper potior tempore, jure est potior, quoniam valentiorem tempore causam habet. Valentiorem dico; nam levis non excludit temporis prærogativam, *l. 2. ff. de except. rei venditæ & trad.* Hac * ratione 32 eum, qui prior meruit aliquam dignitatem priorem his, qui eandem postea consecuti sunt; etsi hi iterata vice ejus fastigia conscenderint esse jubet *d. l. 1. C. de Coss.* Quod si tamen posterior in dignitate aliam majorem consequatur, velut consul patriciatum, posterior tempore causa majoris dignitatis præfertur. Sic inter Doctores præcedere debet, qui prior illam meruit dignitatem, *Dd. in l. 2. C. de primicerio, Lib. XII.* siquidem scientia sint æquales; quod si posterior doctior fuerit priore, posteriorem præferri respondent iidem, argumento *l. 2. C. de officio mag. offic.*

l. ult. C. de decur. Lib. X. tex. expres. in l. unicuique 7. ibi, nemini penitus liceat, cum sit posterior tempore, locum praecedentis ambire; nisi forte ab eo, qui tempore vincitur, laborum comparatione superetur, C. de prox. sacro. scrin. Lib. XII. Causa * autem major esse
33 potest, si posterius privilegium conditorem habeat majorem &
34 superiorem, de quo in praecedente regula dictum. Sed & * illa major est causa, cum idem privilegiorum lator posterius praevalere certa voluntate statuit. Posse enim certa ex causa certaque scientia Principem ab se profecta privilegia suspendere in certo casu, vel etiam omnino tollere aut mutare, sequentia docebunt. Quando igitur cunque secundum valere privilegium, non obstante priore, Principem velle constat, merito temporis praerogativa
35 principali judicio atque imperio cedit. Illud * tamen hic non immerito dubitatur, quando Princeps velle videatur? Nec desunt, qui hoc ipso Principis voluntatem constare dicant, quia posterius privilegium jussit. Verum si maxime tale quid Principem voluisse certum sit, voluntas tantum nuda (quam & primum privilegium ostendere potest) arguitur; non mutata, nec major voluntas. Nam & utrunque privilegium voluntatem Principis habet, & vincit in pari causa temporis praerogativa prius. Semper
36 * enim occupantis & possidentis melior conditio esse solet, *l. si quis à multis, 14. ff. de noxal. act. l. pluribus, 32. ff. de procurat. l. si pluribus, 33. de legat. 1. l. inter eos, 19. ff. de re judic. l. si vero, 10. l. ex facto, 52. ff. de peculio, l. ult. §. etsi praefatam, C. de jure deliber. l. 2. C. de condict. ob turp. causam, l. militis, 36. §. pen. ff. de testam. mil. l. si ea res, 31. §. 2. ff. de act. empti. & vend. l. 1. §. 1. ff. de salvi. interd. l. si servum, 91. §. 3. ff. de verb. oblig. l. nemo, 126. l. 128. l. 154. ff. de reg. jur. l. 6. in fine, C. si quis alteri vel sibi, &c. l. fin. in pri. ff. de cond. sine causa, &c.* Imo posteriorem
37 illam voluntatem nullam esse inde probatur, quoniam * errantis nulla est voluntas neque consensus, *l. si per errorem, 15. ff. de jurisdict. l. sed hoc ita 20. ff. de aqua & aquae pluv. arc. l. cum testamentum, & l. seq. C. de jur. & facti ignor. l. nihil consensui, 116. §. ult.*

ult. ff. de reg. jur. nec in præjudicium alterius Principem privilegia dare velle constat : ut supra lib. 1. cap. 6. num. 8. ostensum est. Sed hæc infra libr. 3. cap. 5. num. 32. & mox infra etiam multis cum rationibus & argumentis agentur. Nam & major interpretum numerus, prius privilegium prævalere consentiunt, si æqualia sint privilegia. Ego autem, ut ad penitiora magisque dubia accedam, tum * demum voluntatem Principis posteriorem 38
stare dico, cum id verbis expressit, & facta mentione privilegii prioris, eo non distante, posterius valere jussit, *l. si quis, in princ. 22. in prin. de legat. 3. c. ex parte, de offic. & pot. jud. del. c. veniens, de præscr. c. cæterum, de rescript. c. 1. & ibi P. Anchar. not. 6. de const. lib. 6.* Sed & plerique juris interpretes, illo casu, quo utrumque privilegium generale est, aut utrumque speciale, aut prius speciale, posterius generale, mentionem prioris requirunt, idque pro regula præsupponere omnes in *c. sicut Romana, de rescr.* ait Felinus, *in d. c. vers. 2. dispos. per c. veniens, de præscr. cum concord.* de quibus per Nicol. Milum. *in repert. pag. 141. col. 1. §. privilegium non insertum, & Lud. Roma. consil. 436. & glos. in c. quoniam, dist. 18. & in c. 1. in ver. consuetudinem, le Capel. mon. lib. 6. & alios quos allegat Felin. d. loco.* Quod
si vero * prius privilegium generale, posterius speciale fuerit, etiam sine mentione primi posterius valere, affirmant 39
Felinus, *Hostiens. 10. Andr. Innocent. Butr. Card. Imola, & alii Dd. in d. c. sicut Romana, &c. quamvis ibi, cum c. dudum, de præb. lib. 6.* Hoc ideo, quoniam, ut infra monstrabitur, in toto jure generi speciem derogare videmus. Tum quod privilegia jura sunt : jura autem novissima etiam sine mentione antiquioris rata habentur, *c. de cogna. spirituali.* In his * item, quæ 40
ab unius voluntate pendent, ultima prævalere solent, ut ait glossa *in l. quotiens, 98. ff. de reg. jur. & in c. qui prior, de reg. jur. lib. 6. & in ver. revocare, de rescript. ibid. & fac. l. si unus, 27. §. pactus, ibi Bart. ff. de pactis.* Hinc * inter ultimas voluntates posterior potior habetur, *l. per fidei commissum, 90. ff. de condit. l. Divi, 6.* 41

§. licet,

§. licet, ff. de jure codic. l. si mihi, 12. §. fin. de leg. 1. l. si idem, 14. in prin. de lega. 2. d. l. si quis in prin. 22. l. cum quidam, 12. ff. de his, quæ ut indignis, &c. In pactis novissima servantur, *l. pacta, 12. C. de pactis, l. 1. §. fin. ff. de stip. servorum, l. clari ubi Bald. C. de fideicommiss.* In contractibus, *l. cum in plures, §. locator, ff. locati, l. 1. §. fin. ff. de stip. servorum, d. l. clari.* In juramentis, *l. duobus, §. ult. l. seq. ff. de jurejur. fac. c. tua nos, eod. tit.* In legibus, *l. non est novum, 26. ff. de legibus, Bart. in l. de quibus, n. 5. & Jas. ibid. n. 54. d. t.* In rescriptis, *c. cæterum, ubi Felin. c. 1. de rescript.* In statutis, *Bart. in l. omnes populi, ff. de justit. & jur. & in l. Gallus, 29. §. 1. ff. de liber. & posthum. & in l. si certarum, §. ult. ff. de test. Alex. consil. in præsenti causa, 58. col. 1. vol. 4. Rom. cons. in causa præposita, 57. Jo. de Plat. Instit. de jur. natur. in prin. n. 26. c. 1. de cogn. spir.* etiamsi priorum mentio non fiat, ut ait *c. 1. const. lib. 6.* Et hæc quidem argumen-
42 ta indistincte priora privilegia cessare jubent. Ego * vero cum gloss. *in 25. q. 2. in summa, & in c. generi, de reg. jur. in sex.* privilegium primum, si quidem ejus mentio non fiat, valere ajo, sive speciale sit posterius, sive non sit. Atque hanc sententiam non tam propter gloss. auctoritatem, quam Doctoribus præferri ipsi Doctores fatentur; sed magis propter summam rationem & æquitatem ubique servandam, confirmo. Nam qui privilegia posteriora prioribus derogare etiam non facta mentionem priorum ajunt: omnes eo falli videntur,
43 quod * testamenta, leges, statuta, rescripta & similia, à privilegiis differre non cogitant. Leges enim statuta, constitutiones generales sunt, nec certæ personæ jus conferunt. Ideo cum ab sola legislatoris pendeant voluntate, merito postrema
44 valebunt. Imo leges quoque tantum * in futurum abrogantur, non circa pendentia & jam contracta ex lege negotia. Hæc enim secundum antiquiores leges æstimantur, nisi nominatim & ipsa sub recentiores referantur. Ita quippe pulcherrime & aptissime ad nostram sententiam loquitur, *l. leges, 7. C. de*

C. de legib. leges, inquiens, & constitutiones futuris certum est formam dare negotiis, non ad facta præterita: nisi nominatim, & de præterito tempore, & de adhuc præcedentibus negotiis cautum sit. Idem affirmant *l. antepen. cum seqq. C. de SS. Eccles. l. de usur. 27. C. de usu. l. ult. in fi. C. mand. l. hum. 8. in fi. C. de nat. liber. l. antepen. in fi. C. de testam. &c.* Si hoc
* circa leges servatur, multo potius circa privilegia servandum 45
erit: per leges enim generale tantum, per hæc speciale ac proprium jus habeo. Unde & Card. Zabarella, cum legum fieri in posterioribus mentionem necessarium negasset, addit, illud verum esse in legibus communibus, non in privatis, *in cap. c. 1.*
col. pen. de rescript. Imo quidem universe in * omnibus, quæ 46
ab unius pendent voluntate, tum demum ultima valent, cum id sine præjudicio alterius fieri potest: nemini enim mutare voluntatem in præjudicium alterius licet, *l. quæsitum, 8. ff. de*
servis export. Unde * procurator, qui ante litis contestatio- 47
nem potest removeri, *l. ante litem, 16. & l. si quis, 31. §. ult. ff. de proc.* post litem contestatam non potest, *l. post litem, ibid.* Ita mandatum ab voluntate mandantis pendet & revocatur, *l. si. vero 12. §. pen. ff. mand.* sed re integra, *§. recte Inst. d. t. l. si mandassem, 15. l. inter causas, 26. in priv. ff. eod. l. & quia, 6. ff. de jurisdict.* Et ipse Felin. *in d. c. sicut Roman. vers. valet secundum in 4. limit.* fatetur, non tolli privilegium primum; si jus quæsitum vel quærendum sit ex privilegio non revocabili: ut etsi speciale privilegium absorbeat totum generale, *limitat. 5. ibid. Et invers. secunda dispositio fall. 2. ibid.* si ex privilegio priore jus quæsitum sit, ultra jus commune in specie & certitudinaliter, ut loquitur, mentionem requirit. Hæc in legibus & statutis, &c. Rescriptum vero generale per secundum speciale etiam omissa mentione tollitur, quia per illud non est adquisitum jus plenum atque integrum, ut glossa *in d. 25. q. 2. & in d. c. generi*, ait:
& fac. cap. ad hæc. & cap. pastoralis, de rescript. Imo * ut in le- 48
gibus, si cui etiam ex rescripto jus quæsitum est, rescripto po-

ſteriore non læditur, *tex. in cap. ex tua, de filiis Presbyt.* Per
49 privilegia * autem ut primum collata ſunt, jus nobis plenum atque integrum adquiritur, ut d. gloſſa recte affirmat, *& fac. l. 2. C. de legibus, cum ſimil.* Quod in iis privilegiis, quæ contractus vim obtinent, indubium plane eſt. Sed & reliqua privilegia, etiam quæ mero beneficio ſeu dono Principis habemus, jus nobis conferre, ratio ipſa oſtendit. Jus enim ſunt privilegia. Ergo privilegio quæſito, jus quæſitum eſt. Et omnium donationem, etiam à Principe factam, jus nobis in re donata conferre notiſſimi juris eſt. Ergo privilegii quoque donatio jus confert. Quin hoc ipſo privilegia conſtant, quod leges quidem generales ſunt, nec cuiquam jus proprium faciunt, niſi vel in legem delinquat vel lege utatur; privilegia autem ut leges ſingulares & ſpeciales propriæ ſunt ſingulorum,
50 *d. l. 2. C. de leg.* Et jus quidem * commune eo ipſo mutare atque corrigere Princeps videtur, quo contrarium ſancit: jus autem ſpeciale, niſi expreſſe tollat, ſervari velle præſumitur: ut præter d. gloſſam, alia quoque *in c. veniens, in verbo Nul-*
51 *lam de præſcript.* affirmat. Ea enim * quæ ſunt facti & jura ſpecialia, ob negotiorum multitudinem facile ignorare aut non recordari Princeps creditur: non ita jura communia, ſecundum P. Ancharan. *in c. licet. Roman. not. 6. de conſtit. lib. 6.* Ita leges iſtas ſingulares certis negotiis atque perſonis promulgatas, à nemine retractandas, nec impetrato oppugnandas reſcripto, ait *d l. 2. C. de leg.* Quo ſatis cavetur, ne Principis conceſſio tempore prior poſteriore aliqua juſſione convelli poſſit. Forſan autem his illa tantum opinio refelli, quæ univerſe ſecundum privilegium prævalere putas, interim generi ab ſpecie tamen derogari, videbitur? Ego vero prædicta, ſi animum recte attendas, univerſe prius poſitam concluſionem confirmare judico. Tamen, ut nihil ambigui relinquatur, de hac ipſa ſpeciali quæſtione pauca adjiciam. Hanc igitur juris regulam, qua voluntatis placitum ſpeciale contrario generali

præſe-

præferendum dicitur, obtinere * concedo, dum generale majore prærogativa munitum non est. Veluti, si * eodem testamento alteri genus, alteri species certa generis illius legetur, generi species derogat, ut in *l. servis, 99. §. ult. de leg. 3. l. 2. in princ. ff. de triti. legato, l. servo, 15. ff. de peculio leg. l. doli clausula, 119. ff. de verb. oblig. l. si peculium, 10. ff. de manumiss. testamento.* Quod si vero genus tempore prævenit speciem, nego generi aliquid ab specie derogari. Quomodo etiam, qui generali bona debitoris pignori accepit, eo potior est, cui postea prædium ex his bonis pignori datum est, *l. 2. ff. qui potiores.* Ut etiam specialis jurisdictio posterius mandata nihil derogat generali, *l. 1. C. de officio præf. urbi.* Ratio * diversitatis illa est, quoniam in his, quæ tempore simul sunt, neutri jus quæsitum est ante alterum, sed simul utrique quæritur. In his vero alteri prius generale jus quæsitum fuit, & cum genere omnes species. Semper * enim specialia generalibus insunt, *l. semper 189. ff. de reg. jur. l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præstand. l. item apud Labeonem, 15. §. generaliter, ff. de injuriis, l. si cum lana, 68. in princ. de legat. 3. l. si servitus, 22. in princ. ff. de serv. urb. præd.* & * tantum valet generis positio, quantum enumeratio omnium specierum, *l. 4. in pri. C. de præscript. trig. annorum, l. 2. ibi, ita cunctos hujusmodi beneficiis seu privilegiis perfrui, tanquam si super singulis substantiis, sed patrimoniis etiam tunc vel postea data fuisset ejusmodi dispositio, C. de quadr. præscript. l. si duo, 52. ff. de admin. & periculo tutorum.* Cui igitur omnia, eidem singula concessa ac data recte videntur. Cum item Princeps nemini jus suum auferre velle credatur, nisi id expresse denunciet; isti vero per generale privilegium, jus omnium specierum ejus adquisierint: sequitur omnino, nunquam * speciale privilegium quantumvis posterius generali priori aliquid derogare, nisi ejus mentione facta id utique se velle superior ostendat. Tali enim duorum privilegiorum concursu, prius quidem temporis prærogativam, posterius autem voluntatem Principis cer-

52 53 54 55 56 57

tam atque expressam allegant: & quia hujus multis intervallis gravius pondus est, merito præcedere debet. Quod vero ad textum *in d. c. dudum, & c. quamvis tibi*, in quibus expresse generi speciem derogare, quamvis de genere in derogante specie mentio non fiat, asseri videtur: cogitare debes, *cap. dudum*, de potestate tantum Principis in casu jurisdictionis delegatæ, sanctionum & rescriptorum, non de privilegiis, quorum diversam esse naturam paulo ante ostensum est, accipiendum; quod etiam sentit Fr. Zabarel. *in cap. cum ordinem oppos. 3. de rescript.* Sic in *cap. quamvis tibi*, sequens privilegium non derogat præcedenti. Nec enim effectum ejus tollit, aut jus minuit, sed differt: aliud est autem tollere effectum, aliud differre, ut ait gloss. *in c. si propter, in verbo impediri, de rescr. in sex.* Velle igitur prius sublatum privilegium tunc demum præsumitur Princeps, cum mentionem privilegii ejusmodi facit, ut non obstante illo vel illo privilegio, hoc posterius jubeat valere.

58 Quæritur autem, * si quando generalis clausula privilegio posteriori adjiciatur, non obstantibus quibuscunque juribus aut privilegiis, contrarium sancientibus, utrum hoc ipso privilegii prioris mentio sufficiens facta videatur? Enimvero communem opinionem esse, quod non sufficiat clausula generalis abrogando privilegio, quod specialem mentionem requirit, ait Felin. *in c. accedentes, col. 3. de præscr.* & universe quando agitur tertii præjudicium, secundum Jas. *in l. si mihi & Titio, §. in leg. lect. 2. in fin. de legat. 1. Bal. in l. ult. n. 4. C. sent. rescindi non posse, Gozad. cons. 62. in fin.* Ista enim clausula non operatur contra ea, quæ sunt facti, quorum scientia in Principe non præsumitur, secundum *c. 1. de constit. lib. 6. Jo. Andr. in c. porrecta, de confir. utili vel inutil. Bart. cons. 186. Bal. in d. l. ult. C. sen. rescin. non posse, Soc. cons. 120. n. 7. ver. respondetur similiter, vol. 3. Alex. cons. 23. n. 12. vol. 5. P. Anch. in c. si propter, not. 6. de rescr. lib. 6. & plures, quos allegat P. Andr. de Petra, in*

tra.

tra. de jur. quæsito non toll. circa fi. in 4. conclu. n. 20. & seq. Nihilo tamen minus clausula ista utique aliquid operari debet. Equidem privilegia corpori juris inserta non abrogari tali clausula, vult gloss. *in l. 2. §. omnes, in ver. compelluntur, ff. de jud. & Bart. in d. l. 2. §. 3. ib.* Sed & reliquis privilegiis non parva injuria fieri videtur, uno verbo omnia privilegia, magno plerunque cum præjudicio abrumpi. Ut omittam, quod, si corpori juris inserta privilegia hac clausula non tolluntur, multo minus reliqua tolli sequitur. Nam ut mox audiemus, complures privilegia corpori juris inserta, etiam sine mentione eorum privilegio posteriore vinci confirmant. Clausula itaque generalis legibus potius & constitutionibus, quam jure speciali, apta esse videtur. Et cum, ut ostendimus, privilegia sine expressa mentione abrogari non debeant; ea vero, quæ hujusmodi mentionem requirunt, non moveri, communis sit, auctore Felino, opinio; privilegium quoque posterius juri antiquiori generali hac clausula nihil derogare putaverim. Quod ut tanto firmius credam, rationes illæ & argumenta movent, quibus Principem non sine levi causa nec temere jura singulis collata auferre, aut dona sua ac promissa revocare demonstratur. Mediam tamen quandoque viam tenere licebit, ut ubi sine, aut certe cum modico tertii præjudicio fieri possit, clausula hæc vires suas habeat, aliter non habeat: secundum *Gozad. consil. 9. n. 42. post Bal. in prælud. feud. col. 14. & in auth. hoc inter liberos, C. de test. & in l. impetr. col. pen. C. sen. rescin. non posse, Soc. cons. 120. n. 7. vol. 3. Menoch. cons. 36. n. 16. & 61. P. Anton. de Petra, d. loco, declar. 5. ubi hanc quæst. copiose agitat.*
Quod * si vero posterius privilegium motus proprii clausulam 59
habeat, utrum hoc ipso abrogare Princeps privilegium prius voluerit? ambigitur. Affirmat Butr. *in c. fin. in 1. col. de dil. per illum tex.* negat Felin. *in c. cæterum, ver. restringitur, restr. 7. de rescr.* Surreptionem namque ait motu proprio tolli, non alterum lædi; ac recte dici, non esse de intentione scribentis

præjudicare juri alterius sibi incognito, secundum *gloss. in ver. validam, Clem. si Rom. de præb. Jo. And. & Dd. in c. si motu, de præb. lib. 6.*

60 Idem * plane de clausulis, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, & similibus judicandum. Omnes enim istæ partim surreptionem impetrantis excludunt, partim jus illi plenius largiuntur: sine tamen præjudicio alterius: id quod nunquam præsumitur, nisi exprimatur. Constat igitur regula, privilegium prius nisi in posteriore mentio fiat, prævalere.

61 Privilegium tamen * corpori juris insertum, per privilegium posterius etiam non faciens mentionem tolli, communem ait esse opinionem Felinus *in d. c. sicut Rom. ver. fallit dicta reg. fall. 3.* Quod nec ego omnino negaverim: cum jus, licet singulare, corpore tamen juris comprehensum, Princeps non ignorare præsumatur: nisi jus jam quæsitum ex tali privilegio alicui inveniatur. Hoc enim casu, ut in legibus & rescriptis servari supra docui, sine mentione sui prius nunquam cedere, indubie credo. Duos etiam alios casus Jo. And. Butr. Imo. & Felin. *in d. c. sicut*, excipiunt. Primum, quando privilegium clausum in jure habet clausulam derogatoriam ad privilegia, quia tunc deberet de eo facere mentionem: exemplum *in cap. eam te, de ætate & qual. & in c. si propter, de rescr. lib. 6.* Secundum, quando non clausum in jure continet iniquitatem manifestam, vel est contra juris ordinem: quæ mihi exceptio parum necessaria visa est.

62 His adde, * quod si privilegium prius, ut nullum aut vitiosum coargui potest, etiam sine mentione ejus posterius validum esse, docet *gloss. pen. in c. ex tenore, de rescr. & in c. suggestum, in ver. posterius, de jur. patr. & gl. 1. ad fi. in ea, in nostra, de rescr.*

63 Sic * de appellatione deserta mentionem fieri opus esse, negat Imola post Butr. *& alios, in c. ex par. col. ult. ibi.* ut & de processu nullo, Abbas *post Hostiens. in c. per vestra, col. 3. de don. inter virum & uxor.* & de lite nulla, Oldradus *cons. quidam Ugo. 299. post. princ.* Cujus generis plura exempla habes apud Felin. *in d. c. ex tenore*

tenore, col. 3. Non autem prætereundum, quod notat Abbas *in cap. audita, de restitu. spoliat.* Secundas * literas facienteis ple- 64
nam mentionem de primis, non revocare primas à tempore datarum secundarum, sed à tempore præsentationis & notitiæ literarum, *fac. c. si duobus, de appellat.* Interim vero, dum de certitudine & firmitate secundarum contenditur, rem omnem ab exitu controversiæ pendere, idem pronuntiat *per c. ex literis, de offic. de leg. & c. cum contingat, de resc.* Plures limitationes præsentium extant apud Felin. *in d. cap. sicut Romana, & alios.* veluti, quod privilegii continentis solum jus commune mentionem requiri negat. Sed tale improprie privilegium dici, ex superioribus docemur; privilegium enim jus singulare ultra jus commune continere debet. Ideo istiusmodi limitationes non operæ judicavi hic referre.

Illud non * immerito quæritur postremum, si privilegio 65
priori Princeps adjecerit, non obstantibus quibuscunque juribus vel privilegiis, in futurum concedendis: an tale privilegium omnia posteriora tollat? Bartolus affirmat *in l. si mihi 12. §. in legat. de legat. 3.* Mihi aliud videtur: quia nemo * eam sibi legem 66
dicere potest, ut à priore sententia recedere non possit, *l. si quis in principio 22. de legat. 3.* Quod quamvis illic de testamentis tantum dici videatur, tamen quod in his statuitur, multo magis in Principe, cujus est longe liberrima & plenissima potestas, statuendum: ut recte Cujacius libr. 14. obser. cap. 7. in f. notavit. Princeps * enim non potest à se abdicare imperium suum, non 67
modo totum, sed ne minimam quidem particulam ejus: secundum Bald. *in consil. pridie enim, 327. nu. 6. & seq.* Et * contra 68
supremam Imperatoris potestatem præscribi non posse, communem esse opinionem ajunt Socin. *in con. 275. nu. 5. lib. 2. & consil. 99. n. 16. lib. 3. Abbas & Felin. in cap. cum non liceat, de præscript. Dd. in l. imperium, ff. de jurisd.* Nulla igitur clausula vel modo Princeps suam ab se abdicare potestatem potest. Quæ ita loquor tamen, ut non idcirco indistincte etiam posteriora valere dicam

dicam. Sed cum modo ista accipi volo: eosque tantum, qui nulla ratione talia privilegia revocari aut vinci ab alio posse judicant, reprehendo. Interim ut alia privilegia, sic & ista tali clausula subnixa, non pro lubitu, sed justa de causa, ne quovis modo, sed cum mentione & expressâ voluntate Principis, abrogari
69 ajo, de quo pluribus infra *lib. 3. cap. 7. &c.* Nemo * enim voluntatem mutare in alterius injuriam potest: ne Princeps quidem, *l. meminerint, C. unde vi, l. 1. C. de his, qui ven. ætat. impetr. l. 2. §. merito, ff. ne quid in loco publ. l. rescripta, 7. C. de prec. Imp. offerend. l. nec avus, 4. C. de emanci. auth. de referendar. palat. in princ. &c.* Rursus, ut justa de causa omnia privilegia Princeps non limitare solum aut suspendere, sed etiam tollere omnino potest, ut ibidem docui: ita pariter tale privilegium, quod prædictam continet clausulam, privilegio posteriori, quod justa de causa in prioris præjudicium sciens ille volensque tulit, loco cedere debet. Quæ de temporis prærogativa dicta sufficiant.
70 Post quæ sequitur prius jam agitata regula, * ut generi species, ita privilegium specialius generaliori derogare. Quod probant *l. in toto, 80. ff. de reg. jur. l. uxorem. 41. §. felicissime, l. servis, 99. §. ult. de leg. 3. l. antepen. ff. de pœnis, l. servo, 15. ff. de pecul. leg. l. 2. in princ. ff. de trit. leg. l. doli clausula, 119. ff. de ver. obli. l. Titio, 74. l. si peculium, 10. ff. de manumiss. testa. l. quæsitum, 12. §. pen. ff. de instructo vel instrum. leg. l. cum de lanionis, 18. §. cui fundum, 11. ibid. l. 1. ff. de auro & arg. leg. l. sed etsi, 26. §. deinde, 3. ff. ex quibus caus. major, l. 4. §. quæsitum, ff. si quis cantion. &c. Alciatus de rebus Ecclesiæ non alien. cap. 1. n. 2. &*
71 *3. Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsu. 89. num. 121.* Sed hanc * regulam in his tantum privilegiis, quæ eodem sunt tempore atque momento data, locum habere paulo ante numer. 52. ostendi. Et universe tum demum speciei genus concedere dico cum hoc prærogativam potiorem aliam obtendere nequit. Quibus adde,
72 * quando duo privilegia concurrunt, illud dici specialius, quod conceditur personæ, secundum Bald. *in l. 1. q. 3. ff. de offic. consul. in l.*

in l. Gallus, §. *ille casus, col. ult. ff. de liber. & posth. & Decius in l. in toto, n. 5. ff. de regul. jur. & in capit. in præsentia, num. 51. de probat. quos allegat Menoch. de præsumpt. lib. 2. præs. 18. n. 19.*

Inprimis * autem causæ finalis ratione privilegio privilegi- 73
um antefertur: ita, ut cum eundem finem utrunque propositum habet, illud præferatur, quod ad eum finem propius accedit; aut cum diversos, id supereminent, quod finem potiorem, & magis æquitati summo omnium fini, proximum petit. Nam uti dictum, suprema & verissima omnium privilegiorum causa est æquitas: secundæ causæ, utilitas, inprimis publica, imbecillitas, favor aut commisseratio certæ personæ, vel generis dignitas seu nobilitas, eruditio, ars, virtus, merita, Principis indulgentia & benignitas, necessitas, novitas, & similia. De æquitate quidem in præcedentibus ita multa dixi, ut & præsentibus sufficere videantur. Itaque cum ob multiplicem rerum varietatem aliud plerunque alio æquius inveniatur, illud certe, quod est æquius, semper præferri debet, ut quantum fieri potest, summæ æquitati serviatur.

Hinc * igitur cum sit æquius & potius, publicam utilitatem 74
quam privatam pensare, ut docui supra *lib. 1. c. 6. n. 11.* privilegia quoque ad publicum bonum pertinentia his, quæ privato commodo serviunt, anteponimus; quod suadent etiam *l. 1. C. de navib. non excusand. Lib. XI. l. 2. ibi, ne sub prætextu concessi privilegii publica vacillet auctoritas, C. de privil. schol. Lib. XII. auth. res quæ ibi, quæ communiter omnibus prosunt, his quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus, c. communia de legat. l. actione, 65. §. Labeo. 5. ff. pro socio, auth. de non alienan. rebus Ecclesiæ, §. quia vero verisimile, ver. ult. l. quod bonis, 15. §. 1. ff. ad leg. falc. l. nam quod, 14. ad Treb.* Idque adeo servatur, ut ipse Imp. quod communiter omnibus prodest, rei suæ privatæ utilitati præferendum censeat, nec Augustum privilegium exerceat, *l. unica, §. pen. C. de caducis toll.* Unde & Universitatibus concessa privilegia plus semper favoris merentur, quam personis concessa, ut docet Jo. Andr. *quæ. Mercur. 6. n. 4.* Et plerunque ob publicam necessita-

tem atque utilitatem privatorum privilegia & jure suspendi solent. Exemplum est apud T. Livium *lib. 27.* ubi tempore secundi belli Punici vehementer attritis debilitatisque viribus Romanorum colonos etiam maritimos, qui sacrosanctam vacationem habere dicebantur, milites dare Consules coegerunt. Et quidem immuni-
75 tatem * à collectis vel muneribus alicui concessam, non extendi ad collectas, propter urgentem necessitatem impositas, & de quibus tempore privilegii non fuit cogitatum, censent *Dyn. Bald. Alber. de Rosat. Salic. Alex. & Jas. in l. si ex voto, 8. in princ. de leg. 1. Jo. Andr. in addit. ad Spec. tit. de censibus, §. 2. F. Ripa de peste, char. 27. col. 4. Jas. in l. principalibus, 33. col. 2. ff. si certum pet.* §. *item serviana, Instit. de action. P. de Castro, ad l. instructiones, 7. C. de S. Eccles. Felin. in c. causam quæ, col. 11. in princ. ver. 5. declarat. & in c. nonnulli, de rescrip. & plurimi præter hos, quos recenset L. Schraderus, tract. de feud. part. 10. sect. 1. n. 130.* Quibus adde *l.*
76 *unicam, C. ut nemini liceat in emp. spec. se excu. Lib. X.* Ita * à muneribus patrimoniorum, neque tempore ætatis, neque numero liberorum, aliquem excusari, ait *l. 5. C. de mun. patrim. lib. eod.* Ad portus & aquæ ductus, & murorum instaurationem sive extructionem, omnes certatim facta operarum collatione instare debere, nec aliquem dignitatis privilegio excusari, ait *l. 6. C. de operibus publ.* Ita si id Reipub. & patriæ inevitabilis flagitet necessitas, etiam clericos arma induere, patriamque defendere honestum
77 piumque esse, docet Abbas *in c. pervenit, de immun. Eccles.* Ita * datis aliis paribus, an sit in electione Pontificis præferendus potentior vel ditior sapienti ? quærit idem *in cap. constitut. 2. de appell.* & præferendum ait, ut potentia ipsius & divitiis Ecclesiæ consulatur. Hostiens. qualitatem & statum Ecclesiæ considerare jubet, ut si Ecclesia indiget potentia vel divitiis, hæc præferantur, *arg. c. offic. de elect.* ubi vero non opus illis habet, scientia antehabeatur, *arg. c. cum caus. de elect.* Notare etiam illic jubet Abbas, Petro piscatori & fabri filio successorem quæri, non Augusto. Sic & fiscum magis esse privilegiatum pupillo, ait Bart. *in l. 1. §. sed ad illas,*

illas, 10. ff. de leg. Corn. de falsis, & fisci causam ob necessitates publicas potiorem esse oportere, ait *l. 1. C. de condict. ex lege.* Sic quoties penuria est in Rep. eorum, qui magistratus suscipiant, immunitatem ad aliquid infringi, Divos fratres rescripsisse, ait *l. ut gradatim, 11. §. 2. ff. de mun.* Et potioris quidem gradus judicibus ab inferioribus competentem reverentiam tribuendam; tamen ubi publica utilitas tractatur, etsi minor judex veritatem investigaverit nullam majori irrogari injuriam, ait *l. 5. C. de offic. recto provinc.* Perinde personas privilegiatas ne testimonium dicant, si ob defectum aliorum testium aliter veritas inveniri nequit, publicæ utilitatis favore, cujus maxime interest veritatem non ignorari, ad testimonium, non obstante privilegio, cogi posse, recte censet Abbas Panor. *in c. 1. n. 4. & 7. de testib. cogen. & in c. si qui testium n. 7. de testibus, quem allegat & sequitur And. Gailius lib. 1. obs. 100. n. 15. & seq.*

In eundem * modum afflicto vel damnum præter merita 78
metuenti succurri, quam lucro inhianti, æquius esse ratio naturalis ostendit. Illius igitur potius privilegium exercetur, *l. verum, 11. §. pen. ff. de minoribus, l. fin. ff. quibus ex caus. majores l. 1. C. de hered. tut. l. unica, C. pœnis fiscalibus, cred. præferri, Lib. XI. l. ult. §. pen. ibi; Non enim par eademque ratio videtur, amittere debita, & lucra non capere, C. de codicillis, l. ult. C. de adquir. & retin. poss. l. ult. §. pen. C. qui pot. in pignor. hab. l. ult. §. sin vero, C. de jure delib. c. auditis, de in integ. restit. Bal. in auth. perp. C. de S. Eccles. P. de Anchar. cons. 36. Menoch. de præsumpt lib. 4. præs. 189. n. 124. A. Tiraq. de priv. pia causa, priv. 26.* Eoque privilegium clericorum circa immunitatem tutelæ horum privilegio cedit. Miserabilium enim personarum, quales sunt orphani, viduæ, & similes, curam, tutelam, patrocinium suscipere possunt & tenentur, *cap. 1. ne clerici negot. secul. immisceantur, c. 1. dist. 87. c. 1. dist. seq.*
sic & conservatio * favorabilior est adquisitione; quædam enim 79
servari permittuntur, quæ de novo adquiri non possunt, *gloss. in l. pen. ff. de mortuo inferendo.* Et in * causa pari seu communi po- 80

tiorem esse causam prohibentis, ait *l. Sabinus, 28. & ibi gloss. in ver. constat, & in l. si ædes, 12. ff. communi divid. l. parietem, 8. ff. de servit. præd. urban. gloss. in l. 2. §. 2. in ver. ad obtinendum ff. ne quid in loco publ.* ideoque si duæ sint regulæ, altera permissiva, altera prohibitiva, hanc servari dicit Bart. *in l. 2. ff. de suspect. tut.*
81 Universe denique * in rebus dubiis benignior & humanior sententia amplectanda est, *l. 11. §. fin. ff. de rebus dub. l. 8. ff. de pactis, l. 55. l. rapienda 128. l. 152. l. 197. ff. de reg. jur. l. Titius, 24. in fine, ff. de constit. pec. l. si ita scriptum, 13. in pri. ff. de liber. & posth.* In quam sententiam Seneca *in controvers. lib. 1. cap. 5.* inter dispares, inquit, sententias mitior vincat. Ex tribunis potentior est, qui intercedit. Non est invidiosa potestas, quæ mi-
82 sericordia vincit. Potentius * enim semper est privilegium, quod majore nititur favore, *l. si hominem, 5. §. quoties, ff. depositi, l. qui interdum, ff. qui pot. in pign. hab. l. si ventri §. in bonis. ff. de privil. cred.*

Ita libertas, cum juris sit naturalis, *l. 4. ff. de justit. & jure,* & publici, *l. si quis rogatus, 53. ff. de fideicom. lib.* ac res inæstimabilis; *l. 1. §. sed cum homo, l. ult. ff. de his, qui effud. vel dejec.* ma-
83 xima æquitate niti videtur. Unde omnibus * rebus favorabilior est, ut loquitur *l. libertas, 122. ff. de regul. jur. & l. si idem 14. in pri. de legat. 2. l. pœnales, 32. in fine, ff. ad leg. falcid. l. Antoninus, 42. l. si servus, 50. ff. de fideicom. libert. l. pen. ff. de manumiss. l. inter pares, 38. ff. de re judic. l. libertas, 17. §. ult. ff. de manumiss. testam. l. 4. §. 6. ff. de statu lib. l. 2. C. de ord. cognit. l. Titio, 96. ff. de condit. & demonstr. l. Papinianus, 8. §. quarta, ff. de inoffic. test. l. pen. C. ad Vellejan. l. fin. in fine, C. de petit. her. l. si liber, 9. C. de condict. ob caus. datam, l. 1. in fine, C. communia, de manumiss. l. 2. C. de longi temp. præscript. §. ult. Instit. de donationibus.* & generatim major est favor liberationis quam obligationis, *l. Arrianus, 47. ff. de obligat.* favorabilioresque * rei potius quam actores habentur,
84 *l. 125. ff. de regul. jur. l. fin. ff. de ser. l. inter pares, 38. ff. de re judic.*

dic. l. si duo, 36. ff. de dolo malo, l. si quando, Cod. de dilation. l. petendæ, 6. Cod. de temp. in integr. restit.

Fœminis item * æquissimum est faveri, tum propter sexus 85
infirmitatem, *l. 1. §. fin. ff. de edendo, l. 2. §. ult. ff. de jure fisci, l. 2. l. 3. ff. ad Vellejan. l. 5. C. eo. l. imperialis, 23. in pr. C. de nupt.* consiliique inopiam, *l. 4. C. de sponsalibus*, tum propter partus pericula & dolores, atque obsequia viris præstanda, *l. ultim. C. qui potiores.* Et ideo non solum plurimis hic sexus privilegiis adjuvatur, sed aliis quoque permultis antefertur.

Sic cum muliebris, non minorem * minorum infirmitas 86
atque imperitia favorem merentur, itaque minoris privilegium præfertur muliebri, *l. si mulier. 32. in prin. ff. ad Vellejan. l. si apud, 12. ff. de minoribus, l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. annorum, Neviz. lib. 16. silva nupt. n. 47. ad fin.* & Macedoniano Senatusconsulto, *l. velim, 11. in fine, ff. de minor.* Et quamvis absentiam Reip. causa plus facere ætate censeat gloss. *in l. 3. §. sed utrum, ff. d. t.* restitutiones tamen minorum majoris esse favoris his, quæ competunt majoribus etiam Reip. causa absentibus, fatetur eadem gloss. *in l. nec non, 28. §. quod ei. ff. ex quibus caus. majores Rebuff. in tract. de restit. n. 27.*

Hæc exempli magis causa, ut quid passim circa privilegia valeat æquitas atque operetur, videas, quam quod singula hujusce rei genera & casus enumerare velim, dicuntur. Ubique
enim * æquitas pensitanda, hoc loco vel maximum semper in 87
disceptandis privilegiorum controversiis momentum facit. Nam ut in superioribus est dictum, illa non finis tantum, sed etiam forma est & anima quasi privilegiorum. Ideoque quo magis secundum æquitatem comparatum est quodvis privilegium, hoc potius cæteris habetur. Est autem propria quædam cuilibet privilegio forma seu natura, quæ ut à cæteris fere differt, ita vel propius aliis vel longius ab æquitate discedit.
Hujus igitur ratione * plus valet, quod fere gestum est, quam 88
scriptum, secundum gloss. *in l. neque, 13. C. de nupt. & fac. auth.*

at qui semel, C. de testibus, nisi cum plus nuncupatum est, mi-
89 nus scriptum, *l. quotiens, 9. §. 2. ff. de her. instit.* Hinc* & novam dignitatem præferri antiquæ non habenti administrationem, ait gloss. *fin. in l. ult. C. de primicerio, lib. 12.* Et qui in
90 * actu sunt, honorariis ejusdem vel alterius præferuntur, *gloss. in l. ex agentibus, 4. C. de Princip. agent. in rebus, lib. 12.* Dupli-
91 ci jure * utentes excludunt eos, qui uno solum uti possunt, *auth. du consanguin. & uter. frat. §. 1. in fine.* Maxime autem hæc eadem cujuslibet privilegii forma seu tenor facit, ut idem privilegium duobus competens, alteri tamen magis conveniat, eoque ille cui magis convenit, alteri cui minus, in illo ca-
92 su præferatur. Sic ecclesia * privilegium habet, ut contra eam non præscribatur spatio communi, sed requiritur tempus 40. annorum, ut in auth. *quas actiones, C. de S. Eccles.* Hoc Ecclesia privilegio se tuetur contra aliam Ecclesiam, quamvis tam huic, quam illi datum sit hoc privilegium. Forma enim & definitio privilegii prædicti, illi magis convenire privilegium Ecclesiæ ostendit, contra quam præscribitur, quam illi, quæ præscribere nititur. Ecclesiæ enim, ut notat Abbas, non sunt privilegiatæ in præscriptione activa, sed in præscriptione passiva: hoc est, non ut præscribere facilius aut citius aliis Ecclesiæ possint, sed ut difficilius contra eas præscribatur, privilegium acceperunt. Ideo Felinus *in c. in præsentia, n. 30. de probat.* privilegia concurrentia considerare jubet, utrum exercitium
93 * eorum seu usum uterque privilegiarius, an alter habitum tantum illius præferant; semper enim, qui exercendi privilegii habet occasionem, illi, qui habitum tantum retinet, ante-
94 ferri. Itaque * si minor adversus minorem restitui desideret, illum restituere prætor jubet, qui captus est, *l. verum, de dolo, §. item quæritur, ff. de minor.* Huic enim restitutionem beneficium prætoris promisit, *d. l. verum, §. sciendum est, l. 1. in pri. ib.* Perinde qui Reip. causa abfuit, etiam adversus eum, qui pari de causa abfuit, restituendus est, si quid damni juste queritur

l. ult.

l. ult. C. ex quibus cauſ. major. Nec enim abſentibus ſimpliciter, ſed læſis per abſentiam beneficium iſtud promittitur. Itaque etiam hos tantum hoc caſu privilegium habere ait Bald. *in d. l. ult.* aut certe hos actualiter, illos potentialiter tantum. Sic quando Epiſcopus eſt in ſtudio ut ſcholaris, Rectorem ſtudii præcedere, ait Abbas *in c. aud. in 3. col. de elec. arg. c. à colla. cum ibi alleg. de appell. lib. 6.* Hic enim eſt in actu ſuorum privilegiorum; ille in habitu.

Ita * profeſſionis, loci, gradus inæqualitas, privilegia 95
quoque iſtorum inæqualia, & alia aliis potentiora facit: de quibus plurima apud Felin. *in rubr. de major. & ob.* Dignior
* enim minus digno præfertur, *l. major. 8. ff. de pactis, l. 12.* 96
§. ult. ff. de uſu & habit. l. 14. §. 5. ff. de relig. l. fi. ff. de fide inſtr.
& * quando quilibet præeſt melioribus, tanto major ipſe & 97
honeſtior eſt, *auth. de defenſ. civit. in princ.* Hoc jure Patriarcha Epiſcopum, Epiſcopus Presbyterum; hic Clericum ſimplicem antecedunt. Hoc Cæſar Reges, hoc Rex Ducem, Dux Comitem aut Baronem; hi Equites & de plebe homines dignitate præcellunt. Hoc Magiſtratus ſubditum, Dominus ſervum, Præceptor diſcipulum; hoc pater filium, maritus conjugem: hoc mas fœminam, &c. Ita ſi duo ſint æqualis ſcientiæ, magis * honorandum, qui eſt de meliore ſanguine ait 98
Bal. *in l. nemini, per illum tex. C. de advoc. diver. judiciorum.* Primo Licentiatus, * poſtea Doctoratus præcedit illum, qui me- 99
dio tempore fuit Doctoratus, ut ait Ang. Aret. *in §. quadam, col. 10. Inſt. de actio. per text. ſing. in l. 1. C. de Conſul. Lib. X.*
Junior * excellens virtute & probitate præfertur antiquiori, 100
gloſſ. in §. ordin. in ver. omnino, in auth. de Monach. fac. l. providendum, C. de poſtul. l. unicuique, c. de prox. ſacr. ſcrin. Lib. XII. c. Epiſcoporum, diſt. 74. Ita * præcedit Canoniſta Legiſtam, hic 101
Artiſtam, Doctor utriusque juris merum Canoniſtam, Theologus omnes, ut late Abb. And. ſic & Fr. Aret. *in c. clerici de jud.* Ita * præfertur, qui habet dignitatem in nobiliore loco, 102
licet

licet sit ejusdem nominis, *Inno. in c. fraternitatem, in fin. de don.* veluti, dignior est canonicus Ecclesiæ cathedralis canonico alterius Ecclesiæ, *fac. c. statutum, §. 1. de rescr. lib. 6. & gloss. 1.*
103 *in c. à Senat. §. sane, de her. lib. 6.* Clericus * secularis præcedit regularem, *c. legi epistolam, c. alia, 16. q. 1. notat. Jo. And. in reg. delictum, lib. 6. in Mercur. in 3. col. & gl. fin. in c. qualiter, 2. de*
104 *accus.* Ita * qui sedet à manu dextra superioris, dicitur honorari supra sedentem ad sinistram, *gloss. 3. in l. decernimus, C. de*
105 *S. Eccles. & ibi Bald. in 3. not.* Et * in suo etiam quisque gradu alteri antefertur. Veluti, in civilibus causis vicarios comitibus militum convenit anteferri, in militaribus negotiis comi-
106 tes vicariis anteponi, *l. C. de offic. vic.* Ita * enim iidem privilegiarii concurrentes, jam ille huic, jam hic illi, diversis ex causis præferuntur. Ita Bald. *in l. cum quid, 3. col. 2. ff. si cert. pet.* Glossa, inquit, inducit argumentum, quod senes præsumantur meliores, quam juvenes, hoc verum in dubio: secus, si constet de moribus: quia mores ætati præferuntur: ut in auth. *de Monach. §. ult. & fac. l. ult. ff. de fundo instr. leg. & quod not. Inno. in c. 1. de major. & ob. & l. nulli, ff. quod cujusque univers. &c.*

CAPUT VI.

De effectibus usuque privilegiorum.

SUMMARIA.

1. *Privilegia non nomen inane, sed effectum aliquem usumque continere debent.*
2. *Verbum etiam eorum quodvis aliquid operari debet.*
3. *Privilegium etiam invalidum causam præscribendi præstat.*
4. *Sepe finita causa privilegii manet effectus.*
5. *Quomodo verus cujusque privilegii effectus æstimari debeat?*
6. *Exemplis idem declaratur.*
7. *Privilegia super jus commune aliquid operari debent; & num. 9.*

8. *Paria*

8. *Paria sunt, qualitatem alicui naturaliter inesse, & inesse per privilegium.*
10. *Abusus privilegiorum interdictus.*
11. *Privilegia laborantibus & dignis data sunt, non abutentibus & indignis.*
12. *Privilegiarii nulla sunt inquietudine lacessendi.*
13. *Conservatores privilegiorum.*
14. *Contra jus privilegii pronuntiata sententia, jure nulla est.*
15. *Privilegiarius citatus, comparere & privilegium allegare tenetur.*
16. *A quo tempore privilegia vires sumant, & qualis in acceptatione eorum consensus requiratur?*
17. *Beneficia Principis ante agnitionem nemini quæri, communis opinio esse videtur; & num. 32.*
18. *Solam scientiam sine consensu expresso operari effectum acceptationis, communis opinio est.*
19. *Privilegium in detrimentum tendens statim ligare quidam ajunt.*
20. *Ex gratia Principis ignoranti jus beneficii, sed non exercitii, adquiri, ait Baldus.*
21. *Privilegia juris corpori inserta ignorantibus adquiruntur.*
22. *Privilegia omnia universe ignorantibus adquiri, multis argumentis astruitur.*
23. *Jurisjurandi gratia absenti & ignoranti fieri potest.*
24. *Ignorantis & inviti occasio melior fieri potest.*
25. *Privilegia lege lata data, ex die, quo promulgata sunt, vires habent.*
26. *Privilegia leges esse probatur.*
27. *Argumenta, quæ privilegia ante acceptationem adquiri negant, convelluntur; & num. 30.*
28. *An idem in privilegiis, quod in donationibus valeat, dispicitur?*
29. *Jus non requirit traditionem, & adquiritur etiam ignoranti.*
30. *Interpretatio* l. ult. C. de Consul &c.
31. *Præstare rem aliquam quomodo accipiendum?*
33. *Baldi circa præsentem quæstionem per distinctionem responsio.*
34. *Hanc quæstionem ex natura privilegii cujusque & ex voluntate conditoris disceptandam ajo.*
35. *Nec minus ex legibus interpretationis supra traditis.*
36. *De duratione seu perpetuitate privilegiorum.*

PRIVILEGIA sic intelligenda, ut non fiant elusoria, sed effectum aliquem usumque operentur, supra docuimns.
1 Non enim * nomen inane vel titulum, sed rem certam, ac prærogativam continere debent, *l. neminem, 64. C. de decu-*
2 *rion. Lib. X. l. 1. C. de veteran. Libr. XII.* Imo verbum * unumquodque vel minimum aliquid operari debet, Bald. *in rubr. C. de contrah. empt. in 99. Alex. in conf. 151. incipiente, viso themate, in 2. col. vol. 2. & in consil. 157. incip. in causa & lite, col. 3. vol. eod. & in consil. 133. incip. super quæsitis, in fi. vol. 5. Jo. de*
3 *Anan. in consil. 98. incip. visis, &c.* Adeo ut privilegium * etiam invalidum causam præbeat præscribendi *glo. Abbas & Felin. in c. de quarta, de præscr. Franc. Balb. in tract. de præscr. par. 1. partis, 5. princ. q. 12.* Et cum alias cessante causa desinat effectus,
4 *Bald. in l. 1. C. de condict. ob causam dat. & simil.* Sæpe tamen * finita causa privilegii, effectus manet, *l. eos qui, 6. C. de fabricens. Libr. XI. l. 3. C. de silent. Lib. XII. l. unica, C. de magist. sacr. scrin. lib. eod.*

Verum enimvero quod supra *lib. 2. cap. 3.* aliquoties mo-
5 nuimus effectus * privilegiorum eos accipere debemus, quos vel expressa nobis illorum verba demonstrant, vel interpretatio legitima tacite sub expressis verbis contineri evincit. Itaque regulas seu leges interpretandi, quas *d. cap. & cap. seq.* tradidimus, semper præ oculis habere oportet, si verum ac certum uniuscujusque privilegii effectum atque operationem assequi volumus. In quibus præcipuum est summumque voluntas seu destinatio conditoris, cui omni modo ac stricte conformem esse effectum privilegii æquissimum est: ut tantum nimirum fructum ex ejus largitione sentiamus, quantum ipse largiri voluit, & eo neque minoris, quam voluit, potiamur, *l. quidam, 57. ff. de re judic. l. 4. ff. de vacat. & excus. mun. gloss. in l. sæpe, 8. ff. de offic. præsid.* neque pluris

pluris, *l. si quando, 35. C. de inofficioso test. l. quod constitutum est, 21. ff. de test. mil. d. l. 4. & l. 2. §. 2. ibid. l. 1. C. de his qui ven. ætatis impetr. l. 3. C. de jure immunit. l. 3. C. de aquæ ductu, Lib. XI. l. cum allegatis, 5. C. de re milit. lib. seq.* Hæc neque passim admittenda sunt, neque districte deneganda, sed à prætore causa cognita temperanda; rectissime, ait *l. sed hæc, 13. ff. de procurat.* Qui enim indulget aliquid id ipsum integrum ac sine defectu præstat, nihil tamen ultra. Unde, Suetonio teste, * cum Claudius Cæsar orantibus familiaribus dempsisset cuidam appositam notam: Litura tamen, inquit, extet. In quam sententiam *l. ult. C. de generali abolit.* indulgentia, ait, quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit. Et *l. 2. C. de jur. aureorum annulorum*, aureorum, inquit, usus annulorum beneficio Principis tributus, libertatis, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis præstat. Sic quem pœna metalli indulgentia Principis liberavit, non is propterea bonorum restitutionem consequitur, nisi speciale super hoc beneficium impetret, *l. 2. C. de sententiam passis.* Ita Gordianus Imp. *in l. 5. C. de re militari, Lib. XII.* cum allegatis, inquit, septem annos in desertione egisse maritum sororis vestræ, & indulgentia nostra esse restitutum: non recte desideratis, ut id tempus acsi in castris fuerit, habeatur. Proinde excepto eo tempore, quod ad desertores pertinet, restitutus ex indulgentia nostra residuo militare debebit: ideoque nec stipendia temporis, quo in desertione fuit, exigere poterit. Ita quod legatione pro Rep. fungentibus datur privilegium, ad eos pertinet tantum, qui in transmarina, hoc est, longinqua ab domo, sunt legatione; non qui de proximo obsequium Reip. præstant, *l. 3. C. de legat. Lib. X.* Sic privilegium datum actui consummato, non debetur ejus initio, *arg. l. in eo jur. 45. §. hoc caput, ff. de ritu nupt.* Et si Papa scribit pro aliquo beneficiando, ut loquuntur, non præsumitur tamen aliter velle, ac consuetum, *Bal. in l. fideicom. §. si servum, de leg. 3. tex. in c. cum de beneficio,* 6

de præb. lib. 6. & in c. possess. ubi glos. de rebus Eccles. non alien. Ut & dispensatum ad actum celebrandum cæteris solennibus observatis dispensatum intelligitur, *Dd. in d. l. si quando, in pri. C. de inoffi. test.* ita Monachus, cui testandi datur facultas, secundum solennitates conficere debet testamentum, *Dec. cons. 512. n. 2. in fi. &c.* Quæ ideo recensui, ut exemplis privilegiorum effectus agnoscere ac moderari discamus: quod, ut dixi, inprimis ex voluntate conditoris, nec minus cæteris interpretationis legibus fieri potest.

7 Non autem operari tantum certum quid privilegia, sed super juris * communis dispositionem operari sciendum: hoc cum modo tamen, ut circa ea datum privilegium, in quibus jure communi aliquid derogabatur, ad jus tantum commune talem reducat, nec ultra hujus dispositionem aliquid largiatur, *fac. d. l. si quando, 35. l. si quis filio, 6. §. quatenus, 12. ff. de injusto rup. irr. fact. test. l. 2. C. quando decreto non est opus, glos. in l. filios, C. de*
8 *municip. Lib. X.* Paria sunt enim, * qualitatem alicui naturaliter inesse, & inesse per privilegium, *l. cum exoratio. 44. in pri. ff. de excus.* ejusdemque potentiæ est restitutio judicialis, cujus est restitutio indulta per privilegium Principis: ut not. Bal. *in l. 1. §.*
9 *eum qui ff. de postulando.* Cui * autem nihil jure communi deerat, ultra illud aliquid accepisse recte videtur, ne nihil operetur, *l. 1. ff. ad municip. l. si quando, 19. in prin. & ibi glos. de leg. 1.* Quæ communis est opinio, ut testantur Alber. *in d. l. si quando, & Dec. in l. Eunuchis, post. n. 15. C. qui testam. facere possunt.* Atque ita semper effectum habent privilegia, sed certum ubique & definitum.

Ex quibus & illud sequitur, usum privilegiorum permissum,
10 abusum * prohibitum, *l. 1. ff. de obseq. par. & patr. præst. l 2. C. de privil. schol. Lib. X. l. curiales, 39. C. de decur. d. lib. l. 11. C. de test.*

test. mil. Privilegia enim * laborantibus fere succurrunt, *l. 2. §. 3. ff. ad Vellejan. l. si sine, 5. C. eod. l. 2. l. 3. C. si minor se major dixerit.* vel meritis atque dignis, *l. ad splendid. 7. C. de diver. offi. auth. quib. mod. nat. effic. leg. §. discretis, ver. si vero effusa.* non his, qui ad fraudes ac scelera perpetranda atque tegenda privilegiorum occasione prætextuque nefarie abutuntur, *dd. ll. & l. si decipiendi, ff. ad Vellejan. l. 1. C. de Maced. l. 11. C. de test. mil. auth. ut omnes obed. jud. in præf. c. tuarum, de priv.* 11

De cætero quicunque Principis largitate utuntur, nulla * in- 12
quietudine lacessendi sunt, *l. 1. C. de quad. præscr. l. sacrilegii, 5. C. de diver. rescri.* Nam qui contra sua privilegia quemcunque temere læserit puniatur, *l. 13. C. de Episc.* infamiæque notam feret, *l. 2. ff. de legib.* Per sentententiam tamen hoc fiet, non ipso jure, ut Bald. ait *in d. l. 2.* Mitior enim in pœnis interpretatio fieri debet, *l. interpret. ff. de pœnis.* nisi per ignorantiam quis contra faciat, *fac. l. si ignorans, 50. ff. locati.* Ideoque nec magistratui suo vel præposito quis parere tenetur, aliquid contra tenorem privilegii sui à superiore concessi præcipienti, *c. sane, de excess. prælat.* Imo judex, qui aliquid innovari adversus talia concedit, mulctatur, *l. unica, C. de magist. scrin. Lib. XII. l. 13. C. de Episc. auth. nullus, C. eo. l. 2. ubi Bal. C. de legib. l. sancimus, 6. C. de advoc. divers. jud. l. omnes 33. C. de decur. Lib. X. c. quicunque, 25. q. 2.* Neminem enim in sua possessione judex inquietari patietur, *l. 3. C. qui bonis cedere possunt, l. cum satis, 23. §. caveant, C. de agricolis, Lib. XI.* Et hoc officio conservatores * privilegiorum depu- 13
tantur; de quibus in *c. 1. de officio de leg. lib. 6. & apud. Gail. libr. 2. obs. 1. Guidonem Papæ in decis. Gratianop. quæst. 247. n. 2. & q. 18. & alios.* Contra * igitur privilegii jus atque tenorem pronun- 14
tiata sententia, nulla est jure, neque provocationem inducit: sed tamen de jure privilegium allegantis, an videlicet ei competat privilegium, quod allegat, recte quæritur, ut pulchre docet, *l. 1. §.*

 2. ff.

15 *2. ff. quæ sententia sine appell. rescind.* Et ea re * etiam qui excusari aliquo ac defendi privilegio possunt, cum contra illius tenorem citantur, comparere, idque allegare ac probare judici debent, *l. 1. C. de vacat. & excus. mun. l. ult. C. de excus. vet. l. maximarum, 12. in pr. C. de excus. mun. Lib. X. l. Lucius, 40. ff. de test. mil. c. porro, c. recepimus, de privil. c. si duobus, de appell gloss. in l. si quis, 7. ff. de jud.* alioquin fructu sui privilegii privantur, *l. hi qui, 7. C. de appell.* imo mulctantur secundum Bart. *in l. ex quacunque ff. si quis in jus voc. non ierit, &c.* De quibus plura apud Fel. *in c. cum ordinem, n. 8. de rescr.* Quod autem dictum est, judici inquirendum, an privilegium competat alleganti, eo fit: quoniam quisquis privilegio frui cupit, eum aptum & iis qualitatibus præditum esse oportet, quas natura & ratio illius privilegii requirit, *cap. Abbate, in fine, de verb. signif.* ut supra *lib. 1. c. 5. num. 3.* pluribus ostensum est. Et ideo non sufficit allegare aut jactare aliquod privilegium, sed id pertinere etiam pro certo ad allegantem debet.

16 Illud maxime scitu necessarium esse puto, à quo * tempore privilegia vires sumant valeantque: ab eone, quo à Principe emanarunt, tempore; an tum demum, postquam in notitiam ejus, cui data sunt, pervenerunt? & utrum hujus consensus seu acceptatio expressa requiratur, an sufficiat, non contradixisse? Igitur
17 beneficia * Principis ante agnitionem nemini quæri communem esse opinionem ajunt Alciat. *in cap. cum contingat, num. 235. de jurejur. & Eman. Soarez in thesauro receptarum sent. litera P. n. 272.* & ante acceptationem ex privilegio concesso jus nemini quæri, ajunt Felin. & Aretin. *in c. novit ille, n. 8. de judic. Felin. in c. 2. n. 12. de constitut. ubi plures allegat P. Anchar. in cap. si tibi absenti, not. 1. de præbend. lib. 6. & in c. 1. de concess. præbendæ, not. 4. S. Aufrerius in repet. Clem. 1. de offic. ord. quæst. 4. circa fi.* Privilegium continens commodum, ante notitiam non prodesse illi, in cujus

cujus commodum est datum, affirmant complures, quos refert Menochius *de arbitr. lib. 2. casu 185. n. 30. & seqq.* qui hoc probant argumento *d. cap. 1. §. ex parte, de conceß. præb. & d. cap. si tibi absenti, l. ult. C. de consulibus, Lib. XII. l. absenti. ff. de donat. l. qui absenti, in prin. ff. de adquir. poßeß. §. filius familias, ubi glos. Instit. quibus modis jus patr. pot. solvatur.* Solam * tamen scien- 18
tiam sine consensu expresso operari effectum acceptationis, ut jus quæratur, ait Bart. *in l. ult. ff. de constit. Princ.* ejusque opinionem communiter recipi, testatur M. Anton. Peregrinus *de jure fisci, lib. 1. cap. 3. n. 22.* & consentit C. Tapia, *in l. fin. ff. de constit. Princ. c. 4. par. 1. num. 40.*

Atque hæc quidem, ut dixi, communior est fere de hoc capite opinio. Sed eandem tamen multis modis limitant iidem Dd. ut plurimis refert idem Tapia *ibid. n. 22. & seqq.* quæ ibi videas malo. Illud exprimere operæ precium est, * quod privilegium 19
in detrimentum tendens statim aliquem ligare ajunt Abbas, *in cap. cognoscentes, n. 7. & ibi Felin. col. 5. ver. hanc limitationem, de constitu. Decius n. 17. Baroius n. 48. Mantua n. 45. ibid. post Bart. in d. l. omnes populi, n. 37. ff. de justit. & jure, & in l. pen. C. de decur. lib. 10. Roman. cons. 330. circa primum, Jas. in l. beneficium, n. 46. ff. de constit. Princ. & aliis, quos allegat Menochius in d. casu 185. n. 28.* Ut illud quoque, quod Baldus *in l. beneficium, C. de constit.* ex * gratia Principis adquiri jus ignoranti ait, *ut c. si tibi ab-* 20
senti, de præbend. lib. 6. sed jus beneficii, non exercitii, *arg. l. pen. ff. de eo qui pro tut.* Certe quidem * privilegia juris corpori & 21
legibus inserta ignorantibus adquiri, negari non potest. Privilegia enim sua milites, minores, rustici, fœminæ, plerique ignorant, &c.

Imo vero in * genere privilegia adquiri ignorantibus vo- 22
luerunt Pet. Cyn. & Alber. *in l. ult. ff. de constit. Princ. n. 16.*

gest.

quomodo & legatum ignoranti quæritur, *l. cum pater, §. surdo, de legat. 2.* & præmium propositum capienti bannitum, deberi ei, qui ceperit etiam ignorans statutum præmiumque propositum, ait Bart. *in l. omnes populi, quæst. 5. princ. n. 38. ff. de just. & jure.* Itaque sentit idem *in l. fin. C. de senten. pass. & Alexan. in l. absenti, ff. de dona. Socinus in l. quidam relegatus, n. 4. ff.*
23 *de reb. dub. Boer. decis. 38. n. 1. 6. & alii.* Jusjurandi * certe gratiam absenti & ignoranti fieri posse, tex. est expressus *in l. La-*
24 *beo. pen. ff. de jurejur.* Et universe ignorantis * & inviti occasionem meliorem fieri posse, docet *l. solvendo, 39. ff. de negot. gest. l. solvere, 53. ff. de solut.* Confirmat idem imprimis *l. unica, §. 1. C. de rei uxor. act. ibi cum nos illis ignorantibus & nescientibus hoc casu nostram induxerimus providentiam,* nec minus *l. pen. &*
25 *ibi Bart. C. de decurion.* Ubi * privilegia lege lata data, ex die quo promulgata sunt, vires suas obtinere probatur. Privilegia autem leges, quamvis speciales esse, supra tradita illorum definitio ac descriptio ostendit. Ubi & illud multis modis descripsimus, privilegia legitime & certa cum solemnitate, imo ma-
26 jore cum cura, quam publicas leges esse ferenda. Et * vocantur privilegia leges *in l. 2. C. de legibus, in l. in legibus, 5. ff. de testibus, l. liberos, 18. C. de coll. t. l. Lucius, 21. §. ult. ubi gloss. ff. ad municipal. l. omnes, 9. sub. fin. C. de metat. lib. 12. l. ult. & ibi gloss. C. de jure Reip. Lib. XI.* Unde Bartolus quoque *in d. l. beneficium n. 3. ff. de constit. Princ.* privilegium legem scriptam contra jus commune definit, & gloss. *in d. l. Lucius, cum Baldo in l. 2. ff. de legibus, not.* legem privatam. Igitur cum privilegia lege seu constitutione dentur, ex die etiam, quo promulgata sunt, vires habere debent. Idque non mediocriter etiam illa probant, quibus supra, privilegia, præsertim quæ favorem & commodum usumque privilegiarii continent, ita extendi debere ostensum, ut huic quam maxime prosint; nec minus illa, quod nonnunquam per occupationem privilegium, quod nondum

dum competit, sed mox est competiturum, pro competente habetur: ut ibidem docui. Leges * etiam & argumenta, quæ in 27
contrarium afferuntur, non sunt adeo omnia firma. Præcipuum fere est, quod ab donationibus deducitur: cum, ut nisi ab sciente donatario non adquiritur, ita & privilegium nisi ab sciente non adquiri ajunt. Ego * vero, licet interdum privilegia 28
formam donationis ac titulum habere, non negem, *fac. l. 2. C. de legib.* ita rursus non pauca esse, quæ iisdem cum donatione legibus æstimari nullo modo possunt, affirmo. Talia sunt omnia, quæ per contractum & obligationem mutuam dantur, de quibus postea. Talia sunt quæcunque pœnam inferunt aut prohibitionem continent. Talia sunt privilegia corpori juris & legum communium inserta, quæ donationis jure non magis quam ulla aliarum legum æstimari possunt. Imo cum, ut modo docui, privilegia omnia legis vicem obtineant, quamvis nonnunquam, quatenus continent beneficium Principis, donationis formam habeant; tamen quia non ut simplex donatio circa corpus versantur, sed jus magis & rem incorpoream largiuntur, legum potius more quam donationis definitione pensitari debent: cum præsertim jus non * requirat traditionem, & etiam ignoranti adquiri 29
possit, *l. si à furioso, 12. ff. de reb cred. l. si à furioso, 24. ff. de oblig. & act. §. sui autem, Insti. de her. quæ ab intest. l. ult. ubi gl. C. quando dies legati ced. l. si par. 19. §. 1. ff. quem. ser. amit. l. cum pater, 77. §. surdo, 3. de leg. 2. l. si fund. 81. §. si Titius, 6. de leg. 1. l. filiusfam. 16. in fin. ff. qui test. fac. possunt.* Ita * *l. ult. C. de Consul.* 30
& §. filiusfam. Inst. quib. mod. jus pat. pot. sol. quæ patricios illico ab imperialibus codicillis præstitis patria vult potestate liberari, nihil pro illa sententia facit: ut censet glossa, quæ codicillos præstitos præsentatos interpretatur. Præstari * enim rem aliquam, non 31
est utique repræsentare eam, & scienti vel acceptanti tradere sed potius conficere rem aliquam, & quantum in se est, alteri utilem efficere, *fac. l. in vend. 65. ff. de contrah. empt. l. si quid venditor,*

 18. cum

18. cum seqq. ff. de adil. edict. Unde rem meam salvam mihi præstare dicitur, qui eam incolumem servat, licet non scienti eam tradat. Et Cicero in Epistolis, nihil nobis in vita præstandum ait, præter culpam. Quin & vis legis illius, magis est in verbo *illico*, quam in verbo *præsentare*. Vult enim illico & quam primum, ut quis factus est patricius, patria eum potestate liberari. Neque loquitur denique ibi Imp. de codicillis, quibus libertas datur, sed quibus patriciatus. Nihil ergo codicilli isti ad libertatem.

Hæc & similia argumenta, si vera dicere volumus, non mediocrem vim habent ut etiam ignorantibus adquiri privilegia credamus.
32 In contrarium * tamen abit pene communior Doctorum opinio: magis *l. qui absenti, 38. ff. de adquir. poss.* quæ nec libertatem quamvis præ cæteris favorabilem ignoranti concedit. Consentiunt his etiam *d. c. si tibi, de præb. & d. c. 1. §. ex parte, de concess. præb. lib. 6.*
33 Baldus * tamen *in l. falsus, 8. C. de furtis & servo con.* distinguit, & privilegia quidem, quæ non continent aliquid in se perfectum, sed conceduntur ad aliquid faciendum, similia esse epistolæ ait, ut id fieri non possit, nisi receptis literis, & inspiciatur tempus gratiæ: cum vero privilegium continet actum in se perfectum, statim signata supplicatione gratiam esse gratam, & plenum jus quæsitum, quod non revocetur morte concedentis. Tunc privilegia habere vim constitutionis, & jus quæri ignoranti: quia gratiæ æquiparentur legatis, *l. cum pater, §. surdo, de leg. 2.* & indulgentiis ac remissionibus, *l. Labeo nimirum, ff. de jurejur.* apud solum quippe collatorem remanere jus conferendi: facultatem autem acceptandi esse in suscipiente, & disposito si supposito, *l. si quis filium, §. 1. ff. de adquir. hered.* Hæc distinctio, ut mihi non mediocriter placet, ita maxime in
34 his * duo respicienda judico, naturam privilegii cujusque, & voluntatem conditoris. Primo enim quædam privilegia, de quibus

quibus supra, ita comparata esse, ut etiam sine acceptatione valeant, certum est. Et multorum ea inspicientibus conditio atque forma apparebit, ut sine respectu ignorantiæ vel scientiæ privilegiarii, ex sola promulgatione conditoris adquirantur. Inprimis tamen voluntas conditoris, quæ tum ex ipso privilegii tenore, tum ex aliis circumstantiis colligi potest, spectanda. Unde quidem in privilegiis solam concedentis intentionem contemplandam dicit P. Anchar. *in d. cap. 1. de concess. prabend. & fac. inprimis, d. l. absenti, 10. in fine, ff. de donat.* Ubi igitur cunque constat, Principem ab ipso tempore facti privilegii voluisse id prodesse alicui, quin etiam ante acceptationem prosit, non est dubium. Quod autem voluerit, ex promulgatione constat. Nam si privilegium omnibus partibus absolvat, promulgeat & publicet Princeps, quin id etiam ignoranti prodesse voluerit, nunquam ambigam. Ut contra, si maxime secum constituit, instrumentum etiam super causa confecit idoneum; id vero apud se retinuit, aut clausum per nuntium transmisit; in alteram omnino partem inclino. Itaque tale privilegium revocare ante acceptationem Princeps potest. Quod si non facit, etiam quæ ante agnitionem in hoc genere gesta sunt, privilegii legibus æstimanda, * regulis interpretationis, quas supra hoc libr. 35
capit. 3. & 4. tradidimus, monemur. Illæ enim, ut confirmare præsentem sententiam, distinguere ac definire possint: ita sunt quam maxime observandæ. Tota namque hæc quæstio ab interpretatione recta & prudenti cujuslibet privilegii pendet.

Ratione * vero durationis privilegia proprie perpetua 36
esse, docent *l. falso, C. de divers. rescript. l. servus, 10. C. de pœnis, auth. de hered. & falcid. §. 1. capit. 1. 2. capit. decet, de regulis juris, lib. 6. Baldus in l. privilegia, in fine, Cod. de sacr. Eccles.*

 Archid.

Archid. in capit. privilegia, 25. q. 2. Alexand. in conſ. ponderatis, 33. colum. 2. vol. 5. niſi cum terminus eis certus ſtatuitur, *d. l. falſo.* Sed de his plenius ſequentia docebunt. Hæc autem de privilegiorum effectibus & uſu breviter dicta volui: reliqua his affinia in præcedentibus occurrent: quæ hoc loco repetere ſupervacuum duxi.



GEOR-



GEORGII ACACII ENENKELII
BARON. HOHENHEIM.
DE PRIVILEGIIS JURIS CIVILIS
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.
Quomodo & unde de privilegiorum amiſſione ſtatuendum, proponitur.

BREVIARIUM CAPITIS.

1. *Nihil in hôc ſeculo perpetuum.*
2. *In his præſertim, quæ à voluntate & facto hominis dependent.*
3. *De fine & amiſſione privilegiorum tot ſunt opiniones, quod capita.*
4. *Modi hujus amiſſionis ſecundum gloſſ.*
5. *Privilegia iisdem modis amitti, quibus adquiruntur, ex regulis communibus aſſero.*
6. *Cauſa ceſſante, ceſſat effectus.*

 7. *Quod*

7. *Quod verum in quibusdam causis, non omnibus.*
8. *Privilegium non abolet sola iniquitas.*
9. *Ad destructionem privilegiorum plurium causarum momenta requiruntur; una tamen semper eminente.*
10. *Quatuor genera, quorum ratione privilegia amittuntur.*



ACTENUS quid sint privilegia, & unde nata, quemadmodum, & à quibus impetrari, quo pacto exerceri atque interpretari debeant, quid item operentur & valeant? satis dictum demonstratumque opinor. Nunc
1 * cum nihil in hoc seculo possit esse perpetuum ac constans, *l. eum, 33. & ibi Bart. ff. de servit. urb. præd. l. in confirmando, 8. ff. de confir. tut. auth. de consanguin. & uterin. fratribus, in princ. l. 2. §. sed quia, 18. ibi, humani juris conditio semper in infinitum decurrit, & nihil est in eo, quod perpetuo stare possit, C. de vet. jure enucl.*
2 in his * præsertim, quæ à voluntate & facto hominis dependent, *l. omnium, 19. C. de testam. l. in ipsius, 5. C. famil. hercisc. auth de non alien. rebus Eccles. §. 2. in pri. ibi, quid enim erit stabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem, cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat? l. 4. in pri. de leg. 1.* (nec enim perpetuam causam habet, quod manu fit; *l. foram. 28. ff. de servit. urb. præd.*) privilegia quoque finem aliquem habere, nec semper vim eandem atque auctoritatem retinere, dubium non est. De eo igitur nunc dicere aggrediemur, quando & quibus de causis privilegia vel penitus aboleantur, vel ad tempus, certoque in casu infringantur, aut suspensa
3 nonnihil interquiescant? qua in * parte tot sunt opiniones, quot capita, ut ait Fel. *in c. cum accessissent, col. 11. in gloss. pen. de constit.*

4 Igitur modos, quibus privilegia amittantur, * recenset gloss. *in c. privilegium, 11. q. 3.* & inprimis in cap. *suggestum, de decimis*, eosque his versibus comprehendit:

indul-

Indultum tollit contemptus, crimen, abusus,
Oppositum factum, damnum tempus variatum.

Primo enim tollit privilegium contemptus seu negligentia: ut cum quis privilegio non utitur, *l. 1. ff. de nundinis.* Secundo idem facit delictum privilegiarii, *c. ita nos, 25. q. 2.* Tertio abusus privilegii, *c. privilegium, 11. q. 3. c. ubi ista didicisti, dist. 74.* Quarto factum contrarium, *c. pro illorum, de præb. c. cum accessissent, de constit. c. si de terra, de privileg.* Quinto damnum: cum alius inde vehementer læditur, *d. c. suggestum, &c. quod per novale, de verb. sign.* Sexto temporum diversitas ac mutatio *d. c. suggestum &c. quia sancta, §. verum, dist. 63. c. non debet, de consang. & affin. c. videntes, 12. q. 1.* His addi potest & glossa in cap. *ceterum, in verbo judicium, de rescr.* modos, quibus rescripta extinguantur, enumerans. Nec minus Felinus, qui tres de hac materia regulas tradit *in d. c. cum accessissent, col. 12.*

Quæ quia non sufficere partim, partim non satis commode divisa esse videntur, alia quod volumus via inquiremus. Principium autem * & fundamentum investigationis nostræ in istis 5
regulis ponemus, quæ asserunt, quod iisdem modis res desinant esse nostræ, quibus adquiruntur, *l. 1. ff. pro derelicto,* quod omnia quæ jure contrahuntur, contrario jure pereant, *l. omnia, 100. ff. de reg. jur.* quod quibus modis acquirimus, hisdem in contrarium actis amittamus, *l. fere. 153. ibid.* quod nihil tam naturale sit, quam eo genere quodque dissolvi, quo colligatum est, *l. nihil tam, 35. ibid. l. prout, 8. ff. de solut.* quod eadem solennitas requiratur in destruendo, quæ in construendo, *auth. e contra si filius, C. de repu. auth. de defend. civit. §. non habente, gl. in l. cum proponeretur, de leg. 2.* Privilegia igitur iisdem modis desinere, quibus ceperunt, & iisdem caussis dissolvi, quibus colligata sunt, affirmo. Modos vero & caussas, quibus fieri privilegia & construi solent, *lib. 1.* sufficienter indicavimus. His proinde mutatis aut finitis, privilegia quoque mutari aut finiri contingit. Caussa enim * cessante vel pereunte; 6
cessat vel perit effectus, *l. quod dictum est, 32. ff. de pactis l. fæmina*

finis, indeque nata forma opus sunt; ita ad sublationem privilegii eorundem mutationem necessario requiri. Nec illud ambigitur, ut in condendis privilegiis semper aliqua præ cæteris eminet causa, sic & in abrogandis plerunque aliquam præ aliis
momentum habere. Principales * igitur abolendi vel suspen- 10
dendi privilegii causas, residere dico, vel in conditore privilegii; vel in privilegiato; vel in ipsius privilegii natura aut conditione; vel denique in accidente quodam extrinsecus superveniente. De his quatuor capitibus deinceps ordine dicentes, modos atque causas, quibus privilegia finiri aut cessare solent, apertius ob oculos ponemus.

CAPUT II.

Privilegiorum amissionem à conditore præcipue, non tamen à morte ejus dependere, monstratur.

BREVIARIUM.

1. Cujus est condere privilegium, ejus tollere.
2. Contrariorum eadem disciplina & subjectum; & cui unum convenit, ei alterum.
3. Ratio hujus definitionis.
4. An morte conditoris privilegia intereant? disputatur.
5. Idque de privilegiis ad placitum & precario concessis affirmatur.
6. An voluntas concedentis morte expiret? disquiritur; num. 16. & num. 19.
7. Privilegia omnia Princeps, si velit, abolere potest.
8. Quod de voluntate ejus justa accipiendum.
9. Privilegia ex sola conditoris morte abrogari nego, num. 30. & num. 37.

10. *Privilegia etiam precario data, morte concedentis non finiri probatur.*
11. *Precarium morte concedentis non finitur, sed ad heredem transit; num. 31.*
12. *Interpretatio* l. 4. ff. locati, num. 14.
13. *Medium est inter velle & nolle.*
15. *Vox*, quoad, *quid valeat?*
17. *Leges etiam post mortem conditoris vim suam retinere, ostenditur.*
18. *Idem de ultimis voluntatibus & donationibus inter conjuges dicitur.*
20. *Ejus est nolle, qui potest velle.*
21. *Aliud est cessare voluntatem, aliud revocari.*
22. *Principis voluntas mutata non præsumitur, donec contrarium probetur, & num. 26.*
23. *Voluntatem in tertii præjudicium mutare non licet.*
24. *Princeps quod aliis non licet, velle non præsumitur.*
25. *Imperialis majestatis proprium non est auferre concessa.*
27. *Sublata causa non semper tollitur effectus.*
28. *Mors non omnia destruit.*
29. *Filius patri, & opus artifici superstes manet.*
32. *A mandato ad privilegium quousque argumentari liceat?*
33. *Interpretatio* c. si gratiose, de rescript. Lib. VI.
34. *Privilegium Princeps non ut privata persona, sed publice & ratione imperii sui confert.*
35. *Imperium & jurisdictio perpetua sunt.*
36. *Judicis sententia publica fide nititur, nec morte ejus perit.*

1 JAM primum ut de conditore privilegii agamus, dico * cujus sit condere privilegia, ejusdem esse tollere, per prædictas regulas atque leges, quod ejus sit solvere, cujus est ligare. Con-
2 trariorum * enim eadem est disciplina atque subjectum, & cui unum competit, eidem utique & alterum, *l. si merces, 25. §. vis major. ff. locati, l. 3. §. fin. ubi pupil. educ. deb. l. fin. in fi. de legat. 3. l. si is qui, 14. §. utrum, ff. de rebus dub. l. 1. in princ. ff. de his, qui sui juris sunt l. 1. §. sed consulto, ff. de his, quæ in testam. del.* Quare qui condidit, idem destruere potest privilegium: ut sæpissime

pissime fieri factum videmus. Nec fieri * tantum hoc dico: 3
sed summa cum ratione fieri. Privilegia enim omnia perpetua esse nequire, sed necessario interim penitus tollenda, interim suspendenda: non illa tantum, quæ cap. priore diximus, sed multo evidentius sequentia docebunt. Quod cum ita sit, cui hanc potestatem atque auctoritatem demus potius, atque illi, qui condendi eadem, regendi, atque interpretandi jus habet? Nihil enim nunc aliud, quam neminem alium tollere privilegia posse, dico: utrum vero sine discrimine omnia tollere possit? sequentia docebunt.

Hoc posito cum, ut dictum, sublata causa tollatur effe- 4
ctus, * an morte conditoris intereat privilegium? primo videndum. De privilegiis igitur * quæ precario & ad placitum 5
concedentis dantur, affirmat *c. si gratiose, ubi Dd. de rescript. lib. 6.* & consentire videntur *l. locatio, 4. ff. locati, l. mandatum, 15. C. mandati, l. uxorem, 41. §. pen. de legat. 3. Bart. in l. more majorum, n. 17. ff. de jurisd. om. jud. & in l. centesimis, §. fin. nu, 9. ff. de verb. oblig. Bald. in l. 1. n. 3. C. de postul. Jason. in l. non solum, §. morte n. 2. ff. de novi op. nun. Dd. in c. privilegium, de reg. jur. lib. 6. & plures alii, quos allegat C. Tapia in l. fin. ff. de constit. Princ. par. 2. c. 3. n. 5.* Universe item in hanc sententiam distinguit glossa *in d. c. si gratiose*, privilegium personale respectu concedentis, morte ejus extingui; reale ejusdem respectu, non extingui: ideo, quoniam voluntas * concedentis morte 6
expiret, *d. cap. si gratiose.* Quod si verum esset, non hæc tantum sed omnia privilegia (quod nec illi tamen statuunt) morte concedentis finiri, sequeretur. Omnia enim privilegia * à vo- 7
luntate concedentis pendere, postea monstrabitur: nec est ullum privilegium, quod mutare Princeps aut abolere nequeat, si velit. Si * velit, dico: non, si libuerit. De voluntate Prin- 8
cipis quippe loquor, quæ justa & legitima esse debet & præsumitur, non de libidine & cupiditate. Quæ enim contra fas bonosque mores fiunt, ea nec facere ipsum posse credendum

est, *l. filius 15. ff. de constit. Institut.* Sed de hoc postea uberius. Quod * res est, ego nec ista nec ulla privilegia (modo perfecta & alioquin non vitiosa sint,) sola conditoris morte ulla alia superveniente causa, extingui, certum habeo. Nam
9

10 * primo illis legibus & auctoribus; qui ad placitum & voluntatem concessa privilegia morte extingui velle videntur, oppono textum expressum in *cap. ultim. de precario, & in c. si delegatus, de officio del. lib. 6. item l. jurisperitos, 30. in princip. ff. de excusat. l. sufficit, 56. ff. de condict. indeb. l. ambiguitatem, 12. Cod. de usufructu.* Quorum argumento & illa privilegia, quæ quasi precario, hoc est, cum exceptione (ut non raro fieri solet) arbitrariæ mutationis ac revocationis dantur, morte concedentis finiri nego, Ut enim propria in istos arma convertam, ob id ipsum talia privilegia morte concedentis finiri nego,

11 quia * nec precarium hoc casu finitur: imo nisi ab eo expresse revocetur, ad heredem transit, *text. in l. quæsitum, 8. §. 1. l. cum precario, 12. §. 1. ff. de precario, & in capit. fin. de precario.* Nam quod hic novum precarium inducere vult glossa *in d. l. quæsitum, §. 1.* infirmum est, & contra ipsius quam appellat legis sententiam. Hoc enim ipsum definit *l. d. cum precario, §. 1.* jus quod quis ab concedente habeat, id etiam defuncto eo habere. Non ait, novum jus ab successore quem adipisci: sed vi primæ rogationis ac concessionis id eum habere definit. Precarii rogatio & ad heredem ejus qui concessit transit, inquit. Si transit, non est novum. Ad heredem vero ejus qui rogavit, transire negat. Nam si de nova concessione agatur, quis dubitet, & heredem rogare ac impetrare posse? Sic & *l. certe, 6. d. t.* quam glossa allegat, non de omni precario, sed de eo, quod ad certum tempus est factum, loquitur: ut ex præcedentibus legibus manifestum est. Ea vero privilegia, quæ tempore certo finita sunt, ego quoque cum tempore labefieri, infra capit. 18. numer. 2. ostendam. Quare si utique ex precario jure & voluntate libera libeat

beat argumentari, eodem argumento talia privilegia morte concedentis adeo finiri nego, ut ad heredem potius transmittantur. Nam * & *l. 4. ff. locat.* nec de privilegio, nec de pre- 12
cario proprie loqui videtur: sed magis de locato. Et cum precarii rogationem morte ejus, qui dedit, tolli ait, non est credendum de omni eum, nec de vero & proprio precario loqui. Expresse enim contrarium statuunt supra dictæ leges: & illæ quidem in titulo, ubi ex proposito de precario docetur. Igitur quia precario per se inest, ut tandiu firmum sit, quando placet illi, qui concessit, *l. 1. ff. de precar.* hic tamen adjicitur, precarii rogationem ita factam, quoad is qui dedisset, vellet: sequitur omnino, non de quovis, nec de vero precario in *d. l. 4.* agi, sed de tali, quod ipse qui rogavit in voluntatem expressam &, ut sic loquar, activam concedentis tulit, qualem ego voluntatem morte concedentis finiri haud nego. Aliud est ergo precarium simplex, aliud precarium cum
conditione. Est enim * ut Decius *in d. l. ejus est nolle*, docet, 13
medium quoddam inter velle & nolle. Nam ut dormiens non dicitur velle (quomodo enim volet, qui non intelligit? aut quomodo consentiet, qui non sentit? *l. si tibi, 8. §. 2. ff. de opt. vel. elect. leg.*) Sed tamen & nolle dici non potest: ita qui moritur, non quidem velle omnino dicitur, sed tamen nec nolle dici potest. Ut autem privilegium revocetur aut aboleatur, contraria opus est voluntate. Nec absona * veri totius 14
legis interpretatio sumetur ex voce *Quoad.* Hanc * illi de tem- 15
pore solum accipiunt, quoad vellet, id est, quamdiu vel quanto tempore vellet. Ego vero hanc vocem etiam alias conditiones & hic & alibi notare dico, quoad vellet, id est, non tantum quamdiu, sed etiam quousque, quatenus & quomodo vellet. Et sic non de simplici voluntate, quæ alias in precario esse solet, sed de voluntate certo modo affecta, hic agi dico. Sic dicimus, quoad ejus fieri potest. Ita Cicero ad Atticum: Quousque inquies? quoad erit integrum. Et ad Trebatium:

Itaque ego, quoad opinatus ſum, me in provinciam iturum, quæ tibi ultro obtulerim, meminiſſe te credo. Denique cum tam varie iſtam legem interpretentur juris interpretes, quod vel ex Menochio apparet, *de arbitr. judic. libr. 1. quæſt. 69.* ut nec ipſis plane de ejus ſententia conſtare videatur; interim quid de precario ſit ſentiendum, clariſſimæ leges oſtendant:
16 quis tam inſolens erit, ut de precario non ex his potius, quam illa lege ſtatuere velit? Itaque * miror etiam, ex una illa lege generalem iſtam regulam (quod voluntas morte finiatur) quoſdam haurire voluiſſe. Si enim ita finiri cenſent, ut poſt mortem hominis nihil de integro operetur voluntas: inſanus ſit, qui id non fateatur; nec dubium eſt, poſt mortem nec velle nec agere quidquam nos inter hos homines poſſe. Sin ea, quæ dum vixit homo, ſtatuit & produxit ejus voluntas, & ut poſt mortem ſervarentur, aliiſque leges darent, decrevit: hæc, inquam, qui nulla fieri atque irrita morte judicant, næ illi & contra rationem & jus univerſum imprudenter lo-
17 quuntur. Quod enim * leges ac jura ſuperiorem etiam poſt mortem illorum firma & rata ſint, paulo poſt monſtrabitur, & vix demonſtratione opus habet. Sic Juſtiniani æternæ memoriæ Principis legibus hodie tot ſeculis poſt mortem ejus, utimur: nec quiſquam ex tot Jureconſultis, tot Cauſſidicis, morte ejus extinctas jactavit unquam. Vivunt igitur vigentque. Atqui has omnes voluntas Imperatoris produxit, & voluntas tam libera, ut non minus quam precarii auctor, easdem mutare, corrigere, abolere, idem potuerit Imperator; ſicut & multas ex propriis legibus, partim correxit, partim ſuſtulit. Reliquis, quas non ſucceſſorem par juriſdictio abolevit, tam ſub ipſius, quam ſequentium Principum auctoritate utimur. Si hoc de jure com-
18 muni, cur non etiam de ſingulari ſentiamus? Quid? ultimæ * voluntates morte extinguuntur, an potius confirmantur? Et inter conjuges donatianes, nonne antea invalidæ, morte donantis
19 validæ redduntur? Ambulatoriam * quidem eſſe hominis voluntatem

tatem usque ad ſupremum vitæ exitum, ait Imp. *in l. cum hic ſtatus, 32. ff. de donat, inter virum & uxor.* morte vero ejus ita finiri, ut quod antea voluit, poſtea nolle videatur, nunquam ait. Imo contra morte voluntatem ita firmari oſtendit, ut quod ante mortem ſuam non revocavit, etiam poſtea velle videatur. Ejus
* enim eſt nolle, qui poteſt velle, *l. 3. ubi Dd. de regul. jur.* ubi 20
pulchre Decius * inter ceſſationem voluntatis & revocationem 21
diſtinguit. Voluntatem enim morte quidem ceſſare, non autem revocari ait; revocationem quippe eſſe, cum contraria ponitur voluntas; Idque etiam Bart. affirmat, *in l. more majorum, col. ult. ff. de jurisdict.* ubi per hoc infert, quod ſi aliquis cauſam delegaverit, donec juſſerit revocare, quod poſt mortem non videatur revocare: allegans tex. *in ca. ſi delegatus, de officio deleg. lib. 6.* Itaque communem eſſe opinionem, quod poſt mortem non dicatur actus revocari, ait Decius ibid. allegans Alexand. *in l. centeſimis, §. fin. ff. de verb. oblig. Innoc. in c. licet undique de offic. deleg. Angel. in l. & quia, de jurisdict.* Ex quibus ſatis eſſe clarum opinor, voluntatem quidem hominis morte ita finiri, ut de integro nihil velit: eum vero, qui ideo omnia, quæ à viventis libera voluntate pendebant, morte concedentis tolli aſſerat, plurima & maxima juris noſtri capita evertere. Quod quia iniquum, contrarium erit potius ſtatuendum, & de Principe quoque tum
alibi, tum in privilegiis præſumendum. Hujus enim * & alias 22
voluntatem mutatam non præſuminus, quoad contrarium probatur, *l. fin. §. fui, ff. de divort. fac. l. 4. in princ. ff. de manumiſſ. vindi.* Non licet * quippe mutare voluntatem in præjudicium 23
tertii, *l. quæſitum, 8. ff. de ſervis export.* Princeps * autem, quod 24
aliis non licet, velle non præſumitur; nam & ipſe legibus ſe ſubjectum fatetur, *l. digna vox. C. de legibus.* Nec imperialis * ma- 25
jeſtatis proprium eſt auferre conceſſa, *auth. de referendariis palat.* & conceſſum à Principe beneficium decet eſſè manſurum, *cap. decet, de reg. jur. Lib. VI.* Itaque nec * in privilegiis voluntatem 26
ſuam in præjudicium ejus, qui accepit, mutaſſe credimus, niſi contra-

contrarium probetur, *fac. l. quacunque, 5. C. de fide & jure hasta fiscal. Lib. X. l. 4. C. de emancipat. cum simil. Alex. cons. 157. col. 1. lib. 7. Dec. cons. 165. col. 3. vers. non obstat, Cravetta cons. 21. in fine.* Quod etiam sentit Carolus IV. Imp. qui cum, ut narrat Bart. *in auth. ad reprimendum, ver. Reges*, communitati Perusinorum quædam concessisset, adjecit; Quandiu per successorem meum, Regem Rom. seu Imperatorem non fuerint revocata. Qua clausula opus non fuisset, si morte sua privilegia illa seu concessiones extinctum iri credidisset. Quod autem ad illud argumentum
27 attinet, quod * sublata causa tolli dicitur effectus, id in efficiente, quæ jam consummavit effectum, fallere ostendi. In præsentia vero de privilegio perfecto & omnibus partibus absoluto loquimur. Nam de imperfecto, ubi hæc locum habere possunt, hic
28 nobis sermo non est. Qui item * mortem omnia destruere ac solvere declamitant, non vident, mortem unius non propterea alteri semper interitum adferre. Subjecti enim interitus una omnia accidentia ei penitus inherentia aufert: ea vero quæ jam produxit ac perfecit, & à se quasi ablegavit, aliena item, & ab eo non
29 pendentia, licet perditum, relinquit. Itaque filius patri * à quo ortum habuit, & quodcunque opus artifici suo superstes manet. Unde Aristoteles quoque in lib. X. Metaphys. τὰ μὲν οὖν κινοῦντα αἴτια, inquit, ὡς προγεγενημένα ὄντα, τὰ δ' ὡς λόγος ἅμα. Et P. Ancharan. *in cap. si super gratia, not. 1. de offic. delegat. Lib. VI.* gra-
30 tiam jam factam * morte concedentis non finiri affirmat (secus in ea quæ modo fieri debebat) allegans glos. 2. *ibid. & Archidiacon.* idem sentientes. Ita crimen morte extinguitur: sed non ejus morte, in cujus damnum cessit; nec illius, quo auctore; nec etiam judicis qui vindicare debet: sed illius tantum, qui admisit,
31 & cui adhæsit, *l. 1. l. 2. Cod. si reus vel accus. mort. fu.* Ita * precarium ejus quidem morte qui rogavit desinit, (ipsi enim tantum, non heredi, concessa possessio est) sed non morte illius qui concessit, *l. cum precario, 12. §. 1. ff. de precario.* Privilegium etiam morte impetrantis extinguitur, ut infra docebo, sed non con-

concedentis. Itaque & *l. mandatum*, *15. Cod. mandati*, pro * iſta po- 32
tius opinione quam altera facit: adjicit enim, *Re integra*. At noſtro
caſu res privilegiario integra non eſt, cum ei jus quæſitum (da-
mnum evidens) auferatur. Multum præterea inter mandatum
& privilegii collationem intereſt. Illud mandantis cauſa introdu-
ctum eſt, *l. 8. §. mandati, & tot. tit. Dig. mandati*, hoc non uti-
que conferentis cauſa. Itaque in illo non quævis, ſed certa & ex-
preſſa requiritur voluntas: cum in privilegiis ſufficiat tacita vo-
luntas & conſenſus Principis: ut ſupra oſtenſum. Quod idem * 33
nihil hic definiat capit. *ſi gratioſe*, verba ejus ultima docent, quæ
illam conceſſionem ut ambitioſam reſtringi volunt: quibus ver-
bis & obreptio ſubindicatur, haud dubie vitians privilegia & re-
ſtringere jubet illam, non auferre: ut & gloſſ. *in capit. ſi delegatus,
in verbo morte, de offic. deleg. Lib. VI.* Quod vero diſtinguit in-
ter Pontificem & ſedem Apoſtolicam, ac illinc quidem profecta
privilegia morte extingui ait, hinc orta negat, quoniam ille mo-
riatur, hæc minime: evidenter patet, non de privilegio juſto ac
perfecto (de quo neque meminit) ſed de quacunque alia levi ac
incerta gratia, privata, non publica, & ſic minime de vero per-
fectoque privilegio, ibi ſermonem eſſe. De quali etiam plerique
interpretes qui contrariam ſententiam tuentur, loqui videntur.
Privilegium vero integrum * atque perfectum, de quo nobis hic 34
ſermo eſt, nec Imperator, nec Papa, nec alius quiſquam Prin-
ceps, ut privata aliqua perſona, Carolus vel Gregorius: ſed publi-
ce ratione imperii, auctoritatis, & jurisdictionis ſuæ conferunt:
ut præcedens doctrina perſpicue monſtrat. Jus enim ſunt pri-
vilegia: quod nemo niſi ratione jurisdictionis facere aut conſti-
tuere poteſt. Imperium * autem & jurisdictio perpetua ſunt, 35
nec morti ſubjecta, *d. capit. ſi gratioſe*, & proinde talia omnia ho-
rum nomine atque auctoritate geſta: cum & judicis * ſententiam 36
publica fide niti, ac ideo morte ejus non perire, *l. ultim. ibi, ne-
que enim morte cognitoris perire debet publica fides*, *Cod. de re judic.
Baldus in l. more, quæſtion. 3. ff. de jurisdictio.* ſed potius ad ſucceſ-

forem transmitti, *l. mortuo*, *60. ff. de judic.* afferant. Pari igitur
37 ratione privilegia etiam * quæcunque, licet cum clausula revocatoria concessa, legitimum tamen auctorem habentia, publica fide fundari, & ea re nec morte concedentis interire, sed potius successoris voluntati ac juri relinqui, colligo atque concludo.

CAPUT III.

Privilegiorum abrogationem à liberrima Principis voluntate pendere, & hunc ideo circa privilegia & alia nihil non posse, ex aliena opinione proponitur.

BREVIARIUM.

1. *Privilegiorum tam finis, quam principium à voluntate conditoris pendet.*
2. *Principis voluntas lex est, etiam cum causam non reddit.*
3. *Justa enim causa est Principis voluntas, & semper in Principe præsumitur causa.*
4. *Principi quidquid libeat, licere.*
5. *Principis voluntatem pro ratione esse.*
6. *Principem legibus solutum esse, & omnem habere potestatem.*
7. *Eundem causam esse causarum.*
8. *Non dicendum Principi: Cur ita facis?*
9. *Principem non subjici alicui necessitati.*
10. *Et posse præferre minus æquum vel bonum majori.*
11. *Imperatorem esse sicut* DEUM *in terris, posse de nihilo aliquid facere, & mortuos vivificare.*
12. *Quid potestatis plenitudo?*
13. *Principem, quæ sunt juris naturalis vel gentium, etiam cum gravi præjudicio tollere, cum clausula*, Non obstante: *posse num. 20.*
14. *Veluti citationem, aut testimonium.*

15. *Jus*

15. *Jus civile Principem sine causa tollere posse.*
16. *Injustum item de jure positivo decernere posse.*
17. *Et facere, ut facta pro infectis habeantur.*
18. *Mutare rerum naturam, & de nihilo aliquid facere.*
19. *Princeps est supra leges, non infra.*
20. *In his, quæ sunt juris positivi, Principis voluntas pro ratione & causa habetur.*
21. *Principem alteri rem vel ius suum etiam sine causa auferre posse.*
22. *Idque neganteis mentiri, ait Angelus.*
23. *Et confirmant hoc leges aliquæ.*
24. *Imo jus sacrum.*
25. *Et alia argumenta.*
26. *Princeps cogere potest privatum, ut rem suam vendat modico precio.*
27. *Potest legitimare naturalem, extantibus liberis legitimis.*
28. *Potest privilegium absque causa revocare.*
29. *In his & aliis omnibus plenitudinem potestatis ille exercere potest.*
30. *Eaque supplet omnem defectum solemnitatum.*
31. *Potest sine causa tollere recusationem judicis suspecti.*
32. *Potest admittere testimonium criminosi in causa criminali.*
33. *Potest litiganteis etiam invitos ad pacem cogere.*
34. *Principi sub pœna peccati mortalis obediendum.*
35. *Principi major debetur, quam patri, obedientia.*
36. *Preces Principum tantum valent, quantum jussa.*
37. *Principem solius voluntatis titulo sine alia causa privilegia auferre posse.*

VERUNTAMEN ut nihilo minus, quod antea dixi, * privilegia ab conditore suo tam finem, quam principium habere, constet: maxime & rationi & rerum naturæ consonum esse opinor, sicut ex primordio Principis privilegia non nascuntur, ita nec interitu ejus aboleri; at vero ut à voluntate ejus initium privilegiorum vigorque, sic ab ejusdem mutatione finem dependere. Principis enim * voluntas lex est, *gloss. in l. neque Dorotheum, 61. C. de decurion. Lib. tex. in §. sed & quod Principi, Instit. de jure naturali, c. cum ad monasterium, de statu Monach. Bart. in l. relegati, 4. n. 4. ff. de pœnis, Bald. & Angel. in l. 1. §.* 1 2

 pueri-

pueritiam, ff. de postul. Angel. in l. justitia, 10. ff. de justit. & jure, Specul. in tit. de legato, §. nunc breviter, col. ult. Abbas in cap. fraternitate, de schismate, etiam cum causam non reddit, *l. si quis, 12. ibi, clericis ulterius legem prodesse non patimur, C. de Episcopis, &c. Bald. in l. qui se patris, col. 10. C. unde liberi, Alex. consil. 216. n. 14. lib. 2.*
3 Justa * enim & idonea causa est voluntas Principis, Bart. *ibid. & glos. fin. l. relegati, ff. de pœnis*, & semper in Principe præsumi causam communem esse opinionem, testantur Jas. *in l. si testamentum, n. 3. C. de testam. Cyn. in l. rescripta, C. de precibus Imp. offeren. Ant. de But. Felin. Abbas & Canonista, in c. quæ in Ecclesiarum, de rescript. Dd. in l. præscriptione, & in l. ult. C. si contra jus vel util. publ. Alex. consil. 136. col. 2. in fi. vol. 1. & 37. ad fin. vol. 3. cons. 1. col. 7. in fine, vol. 5. Roma. consil. 436. col. pen. &c.*
4 Hinc * omnia Principi, & quidquid libeat licere, allegatur, *in cap. convenior, 23. q. 8.* & concludit Bald. *in c. 1. de constit. & in cons. ad intelligentiam, 333. in pri. par. 1. per l. Princeps, ff. de legib.* Quomodo ille apud Senecam in Thyeste:

————sanctitas, pietas, fides,
Privata bona sunt, quà juvat, Reges eant.

5 Et * Principis voluntatem pro ratione esse, ait idem Bald. *in l. ult. col. 3. C. sententiam rescindi non posse*, ut & gloss. ult. *in d. l. relegati, ff. de pœnis, & in l. 1. §. pueritiam, in verbo ratus, ff. de postulan. fac. l. non omnium, ff. de leg. & l. prospexit, in pr. ff. qui & à quibus manumiss.*
6 Lege * enim regia Principem omnibus legibus solutum, & supremam accepisse potestatem, ait gloss. *in l. 3. C. de testam.* Et amplius Dion. Cass. *lib. 5. histor. Rom.* omni Imperatorem legum necessitate absolutum scribit, ut omne in seipsum & leges jus, potestatem, arbitrium habens, omnia, quæ vellet, ageret, & quæ non vellet, omitteret. Per quæ nihil non
7 subjicitur potestati Principis. Hunc * enim causam esse causarum, & quia primæ causæ nulla sit causa, de modo & termino potestatis ejus non inquirendum, censent Bald. *in cap. Ecclesia S. Mariæ, n. 7. ut lite pend. & in l. impetrata, C. sentent. rescin. non posse, Jas. in l.*

in l. rescripta in fine, Cod. de precibus Imp. offer. Curt. jun. in cons. 1. num. 18. & cons. 138. n. 4. & consil. 157. n. 14. communemque adeo esse opinionem, testatur P. Anton. de Petra *in tract. de potestate Princ. cap. 24. num. 11. ubi plures allegat.* Ob hæc * quandocunque ex certa scientia aliquid velit Princeps, neminem ei di- 8
cere posse, Cur ita facis? ajunt Baldus *in proœm. feud. num. 34. Jason. in l. rescripta, col. 1. Cod. si contra jus vel util. public. & in l. 1. ff. de constit. Princ.* Et Principem * non subjici alicui necessita- 9
ti, ex cap. *2. de arbitr. lib. 6. Alexand. consil. viso, 80. colum. 9. vol. 1. cons. diligenter visis, 12. vol. 2. Jas. in l. nemo potest, colum. 8. de leg. 1. Francisc. Curt. consil. 2. in capit. vasallus habens castra, colum. 1.* asserit B. Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi, part. 5. consid. 24. num. 133.* allegans Baldum *in l. 2. Cod. de servit. & aqua, colum. 6. ver. item nota. & Fr. Curt. sen. cons. recolendæ memoriæ, 49. colum. 12.* dicentes * in Principe esse sedem libertatis, ut possit præferre 10
æquum magis æquo, & minus bonum majori bono. Quin
* imo sicuti Deum in terris esse Imperatorem, & posse de ni- 11
hilo aliquid facere, & mortuos vivificare, ait Guido Papæ *consil 65. numer. 4. per l. 1. in princ. Cod. de rei uxor. action.* quod probant *afflictus in capit. 1. in princip. per tot. quæ sint regal. Bartol. in extravagant. ad reprimendam, in ver. totius, num 5.* & plures alii, quos in immensum Principis potestatem amplificanteis allegat P. Anton. de Petra *in d. tractat. capit. 3. quæstion. 2. & capit. 24. numer. 11.* Quo pertinent illa verba Senecæ, quæ Neronem secum loquentem facit libr. 1. de Clem. capit. 1. Ego ex omnibus mortalibus placui electusque sum, qui in terris Deorum vice fungerer: ego vitæ necisque gentibus arbitrer, qualem quisque sortem statumque habeat, in manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronuntiat. Ex nostro responso lætitiæ causas populi urbesque concipiunt. Nulla pars usquam, nisi volente propitioque me, floret. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur: quas nationes funditus

excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur,
12 mea jurisdictio est. Sic ille. Qua * de causa plenitudinem potestatis jus istud appellant interpretes juris, hoc est, plenitudinem arbitrii, nulli necessitati subjectam, nullisque juris publici regulis limitatam, ut Baldus loquitur *in l. 2. colum. 6. in*
13 *fine, Cod. de servitut. & aqua.* Hujus * vi Principem ea, quæ sunt inducta de jure naturali & gentium, sine causa, etiam cum gravi præjudicio, tollere cum clausula *Non obstante* posse, ait Alexand. *in consil. 216. numer. 10. vers. dato, quod sine causa & num. 16. vol. 2. ut & Jason. in l. ultim. limit. 6. Cod. si contra jus vel util. publ. & in l. rescripta, num. 3. colum. 1. in fine, & colum. seq. in princ. Cod. de precibus Imp. offer. cons. 227. vol. 2. consil. 236. colum. 2. vol. 2. per l. 2. & l. ultim. Cod. de quad. præscript. & plures alii, quos allegat idem Petra in d. capit. 24. num. 13. & seq.*
14 Ejusdem * vi citationem, quamvis jure naturali subnixam, tollere idem potest, secundum Hostiens: *& Joan. Andr. in capit. vestra, de procurator. Baldus in l. ultim. ver. opponitur, Cod. de fruct. & liti expens.* Et quamvis in ore duorum aut trium stare jubeat omne dictum lex divina, Principem tamen facere posse, ut unius testimonio credatur, auctor est Felinus *in cap. super*
15 *numer. 3. de testibus.* Jus * vero civile seu positivum etiam sine causa eum tollere posse vel mutare, non dubitant, Baldus *in l. rescripta, quæst. 4. Cod. de precibus Imp. offer. & in l. digna vox. ubi Salicetus & Dd. Cod. de legibus, Angelus in l. Princeps, 31. ff. de legibus, Alexand. cons. 2. in fine, vol. 1. Curt. jun. cons. 1. num. 18. Bartol. in l. ultim. num. 3. Cod. si contra jus vel utilit. publ. Innocent. in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. & in capit. cum ad monasterium, de constit. Aym. Cravetta in tractat. de antiq. temp. part. 1. in princip. numer. 38. per l. Princeps, & d. l. digna vox, capit. proposuit, de concess. præbend. capit. 1. de transact. capit. 1. de constit. lib. 6. & capit. fin. de rescript. lib. 6. idem Cravetta, consil.*

ſil. 119. num. 2. & conſil. 144. numer. 18. lib. 1. Curt. jun. conſ. 110. numer. 31. Albert. Brunus conſil. 1. num. 33. Cardin. Pariſ. conſ. 1. num. 42. libr. 4. Dec. in Conſil. Quoniam ex facto, 390. numer. 13. & in conſ. viſo conſilio, 373. numer. 8. & plures alii. Quin * imo 16
etiam injuſtum aliquid de jure poſitivo decernere poteſt, ſecundum Bald. *in l. ult. colum. 2. in princip. Cod. ſententiam reſcindi non poſſe*, & * facta pro infectis haberi facit, quoad omnem 17
juris effectum, ſecundum eundem Cravettam *in d. tract. d. part. 1. numer. 38. per text. & gloſſ. in Clement. 1. de immunit. Eccleſ. Abbat. conſ. 74. colum. 2. poſt medium, verſ. his præmiſſis, & in conſil. 99. colum. 2. lib. 1.* & rerum naturam * mutat, *§. fue-* 18
rat, Inſtit. de action. & de nihilo aliquid facit, *capit. cum Apoſtolica, de his quæ fiunt à prælat. Oldradus conſil. Factum tale eſt, 257. colum. 6.* Deus enim * ſubjecit Principi leges, nec ulla lex ejus 19
celſitudini imponi poteſt, ſecundum Baldum *in titul. de alienat. feudi.* In his * denique, quæ ſunt juris poſitivi, Principis vo- 20
luntas pro ratione & cauſa habetur, ſecundum Bartolum *in in l. relegati, 4. ff. de pœnis, Innocent. in d. c. cum ad monaſterium, Bald. & Angel. in l. 1. §. pueritiam, ff. de poſtulando, Angel. in l. juſtitia, 10. ff. de juſtit. & jure, Abb. in cap. fraternitate, de ſchiſmat. ſpecul. in tit. de legato, §. nunc breviter, col. ult.* Verum ut dictum eſt, non circa poſitiva tantum, ſed circa naturalia quoque & gentium jura Princeps de plenitudine hujus poteſtatis diſponere poteſt. Juris enim naturalis eſſe principium (alterum non lædendum, ſui cuique tribuendum) ſæpius eſt dictum; & nemo ignorat. Dominia etiam rerum jure gentium introducta, docet *l. 1. in princ. ff. de adquir. rerum dom. cum ſimilibus.* Nihilo tamen * minus poteſtatis hujuſce vi atque jure, 21
Principem alteri jus ſuum remque auferre, & vel alteri dare, vel ſibi retinere, etiam ſine cauſa, poſſe ait gloſſa *in cap. ult. 9. q. 3. & in cap. conſtitutus, in verbo à quocunque de religioſ. domibus, Bald. in l. reſcripta, col. 3. verſ. Item ſolius Principis, C. de precibus Imp. offer. & in l. 2. q. 18. C. de ſervit. & aqua, & in conſil.*

consil. super eo, quod quæritur, 401. n. 2. par. 4. Bal. & Angel. in l. item si verberatum, §. 2. ff. de rei vendic. Alber. & Castr. in l. quoties, C. de prec. Imp. offer. Abbas in consil. 61. n. 3. par. 1. Barbat. in c. quæ in Ecclesiarum, n. 98. & ibi Decius, n. 29. de constit. Jac. Butrius, in l. 2. C. de quadri. præscript. Jo. de Anania cons. 85. ante fin. Calcan. cons. 46. n. 8. Salicet. in l. fin. n. 3. ad fin. C. si contra jus vel util. publ. Angel. in l. 3. §. si is pro quo, in princ. ff. quod quisque juris, Alexand. consil. 216. n. 10. ver. dato, quod sine causa, & n. 16. vol. 2. Jas. in d. l. in 6. limit. C. si contra jus vel util. publ. & in d. l. rescripta, num. 3. col. 1. in fine & princ. seq. latius, cons. 227. in 12. fund. vol. 2. Hyppolitus in l. de unoquoque, n. 17. & seq. ff. de rei judic. Lucas de Penna, in l. ult. n. 39. C. de locat. præd. civil. Guido Papa, consil. 65. col. 4. ver. & propterea, quos omnes & plures alios refert P. Anton. de Petra, *in d. tractat. cap. 24. n. 7. & aliquot seqq.* ubi plures allegat, qui hanc communem esse glossæ & Doctorum opinionem affirmant. Unde & Angelus,
22 * *in d. l. item si verberatum*, mentiri ait, qui negant, Cæsarem de Plenitudine potestatis etiam sine causa dominium nobis auferre posse. Nec sine legibus isti, exemplis, aut argumentis
23 loquuntur. Sic * enim, ut res aliena à fisco vel Principe vendita vel donata, ab illo, qui jus in re habuit, evinci nulla ratione possit, statuit Imp. *in l. 2. & 3. C. de quadrien. præscript.* Et servo alieno libertatem dat Princeps, *l. 1. C. pro quibus caus. servi pro præmio lib. accip. fac. l. super servis, cum l. seq. C. qui militare possunt, Lib. XII. & l. 2. ff. de natal. restit. Bal. in l. Barbarius, not. 7. ff. de offic. prætor gloss. in l. ult. ff. de adoption.* Possessiones alienas distrahere aut veteranis in præmium adsignare solet, *l. Lucius, 11. ff. de evictione, d. l. item si verberatum, 15. §. 2. ff. de rei vend.* Jus successionis in legitima, quod patronus habet in bonis liberti, aufert *d. l. 2. ff. de natal. restit.* Patria potestate liberat quem vult, *l. ult. C. de Consuli. Lib. XII.* Rem quam cum alio communem habet, pro arbitrio alienat, *gloss. in l. 2. C. de communi re alien. & in l. 1. C. de alien. rei fisc.*

Lib.

Lib. X. Beneficium aut quodvis cum alterius incommodo permittit, *l. 2. §. si quis à Principe, 16. ff. ne quid in loco publico.* Atque hæc quidem jus Cæsareum. Sed & in sacris * libris ita 24
describitur jus regium, ut hæc potissima pars illius constituatur, quod pro arbitrio Princeps rem alterius auferre potest. Ita enim Samuel *lib. 1. de Regibus, cap. 8.* jussu ipsius Dei populum alloquitur: Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & constituet super currus suos, facietque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curuum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis. Sed & segetes vestras, & vinearum redditus decimabit, ut det evnuchis & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet super opera sua. Greges quoque vestros decimabit, vosque eritis ei servi. Hoc ita jus esse probant omnia hactenus dicta. Neque enim * omnia po- 25
test Princeps, nec omnia illi licent, si hoc non licet. Nec Dominus est omnium, si non potest de omnibus pro arbitrio statuere. Non differt denique à privato, si non potest sine causa jus alteri auferre. Non cum causa hoc quilibet potest: rem enim suam quilibet vendicare potest: Ob hæc igitur Baldus *in d. l. item si verberatum*, * Principem cogere posse priva- 26
tum ait, ut rem suam vendat modico precio. Posse * de ple- 27
nitudine potestatis legitimare naturalem extantibus legitimis, censent Jas. *in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de liber. & posthum. n. 96.* ubi communem dicit, *Castrens. ibid. n. 20. Alex. in l. ex facto, ff. de vulgar. & pupill. substit. Salic. in auth. item si quis, n. 2. C. de natural. lib. Gozad. consil. 6. per tot. quos allegat A. Gailius lib. 2. observ. 142. n. 8.* ubi idem *num. 13.* communem ait esse opinionem, Principem jus alteri quæsitum sine causa de plenitudine po-

28 testatis tollere posse. Posse * item eum privilegium subdito da-
tum absque causa revocare, *glossa final. in c. decet, de regul. jur. lib.*
6. & complures *Dd. quos refert L. Schraderus de feud. par. 10. sect.*
1. n. 129. affirmant. Ex quibus omnibus potestatis istius ma-
29 gnitudo & excellentia clarissime patet. Quam * non in his tan-
tum, sed & aliis, ubi non agitur præjudicium alterius, sine causa
Princeps exercere potest: ut affirmat And. de Isernia *in c. 1. §.*
vectigalia, n. 4. ver. ubi autem agatur, quæ sint regal. quem sequi-
30 tur Petra *in d. tract. cap. 3. q. 3. n. 67.* Supplet * præterea eadem
potentia omnem defectum solennitatum, *text. in l. omnium, in*
princ. & ibi Jas. post alios, C. de testam. Chassan in Catal. gloria mun-
31 *di, par. 5. consid. 24. num. 89.* Et potest Princeps * sine causa tol-
lere recusationem judicis suspecti, eoque causam committere ju-
dici notorie suspecto, cum clausula recusatione remota: secun-
dum Dd. quos allegat idem Petra *in cap. 28. n. 35.* Potest simi-
32 liter * de potestate absoluta concedere, ut perjurus & criminosus
non repellatur à testimonio in causa criminali: secund. Archidia-
conum *in c. si quis Presbyter, dist. 50. & Felin. in cap. fraternitatis,*
33 *in fin. de her. Petram, in d. c. n. 78.* Potest * idem litiganteis etiam
invitos ad pacem & concordiam cogere: secundum jura & Do-
ctor. quos allegant Chassanæus *in d. Catal. de consid. 24. n. 95. L.*
Schrad. de feu. par. 10. sect. 6. n. 24. & n. 29. Ant. de Petra, in d.
tractat. cap. 6. speciali 144. cap. 8. spec. 172. 181. 184. cap. 13.
34 *speciali, 246.* Universe denique * Principi sub pœna peccati mor-
talis obediendum, notant *Dd. in capit. cum contingat, de jurejurand.*
Navarrus in capit. si quis autem, num. 114. de pœnitent. dist. 7. &
pluribus persequitur eleganter Jacob. Menochius *libr. 2. de arbitr.*
35 *jud. casu, 365.* Hæc adeo, ut Principi * major debeatur quam
patri, obedientia: ut dicit Albert. de Rosate *in l. veluti, ff. de justit.*
36 *& jure. Chass. in d. consid. 24. num. 117.* Qua * de causa quamvis
rogent nonnunquam Principes, idem tamen faciunt, ac si jube-
rent: ut recte notat glossa *in l. 1. §. 2, in verbo quemadmodum, ff.*
quod jussu, & in l. unica, in verbo pignora, Cod. si rector provinc. &
Baldus

Baldus in l. si mandator, ff. quod cum eo, Bartol. in tractat. de Tyrann. quæstion. 7. Paul. Castr. consil. 70. ver. Item non obstant, Lib. I. Barbat. consil. 60. Lib. I. consil. 30. libr. 3. consil. 45. libr. 4. Tiraquellus in tractat. de pœnis caus. 35. numer. 2. & seqq. Vital. da Cambin. in tractat. clausularum, tit. de metu Regum, &c. Preces enim ab eo profectæ, qui jubere potest, vim habent imperativam, ut scribit Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 461, circa fin.* & merces ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert, secundum Tacitum libr. 14. annalium. Quæ omnia, quam nihil non sit huic potestati subjectum, ostendunt.

Illoque pertinent universa, ut supremæ hujus potestatis vi atque ratione, Principem circa privilegia etiam quidvis posse, intelligamus: & qui jura omnia * sine causa tollere possit, privilegia quoque solius voluntatis titulo sine causa auferre posse, teneamus; speciale enim in Principe esse, ut possit sine causa revocare privilegium à se concessum, licet alteri jus sit inde quæsitum, ait Baldus *in l. qui se patris, col. antep. C. unde liberi, & in l. omnes, C. de quadr. præscript.* Et consentiunt Abbas *consil. 3. n. 19. vol. 2. Castr. in l. digna vox, n. 6. quando autem, non per viam contractus, C. de legibus*, & complures alii, quos referunt L. Schrader. *de feud. par. 10. sect. 1. n. 129. & Ant. de Petra, in d. tract. c. 24. n. 220. & seqq.* Imo & communem hanc esse opinionem, ait Cur. jun. *in consil. 1. n. 34. & in l. unica, n. 6. C. de in jus vocan. & Fernan. Loaz. in quodam suo consilio, edito in causa oppidi de Mula. col. 303. n. 2.* ubi infinitos concordantes adducit: ut idem Petra testatur. 37

CAPUT IV.

Quomodo à voluntate Principis privilegia dependeant? & quod moderata hujus debeat esse potestas, ostenditur.

BREVIARIUM.

1. *Hactenus dicta de potestate Principis corriguntur, num. 9.*
2. *Illi etiam, qui quidquid libet licere Principi dicunt, redarguuntur.*
3. *Quod voluntati Principis tribuitur, justa illius voluntati datur.*
4. *Princeps quæ statuit servare debemus, etsi rationem non reddat, num. 8.*
5. *Princeps id velle præsumi debet, quod juris est.*
6. *Non omnium quæ constituta sunt ratio reddi potest.*
7. *Ratio præcedentis definitionis.*
10. *Illi qui solutam omnibus legibus & juribus potestatem Principi deferunt, auctoritate Papiniani, Sapientum, Jureconsultorum & Principum meliorum convincuntur.*
11. *Nusquam jus civile plenitudinis hujus seu absolutæ potestatis meminit.*
12. *Principis potestatem finitam & moderatam esse debere doceo.*
13. *Sola quæ moderata sunt, durant.*
14. *Mediocritate regna conservari.*

1 QUIA hactenus * referentem nemo me tam duri oris atque impudentis æstimare debet, quasi illud, sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas, Principibus inculcare, & pedibus eorum jus omne fasque subjicere, velim: ut quidquid his perversa libido aut cupiditates improbæ suggerunt, id omne justum ac legitimum censeamus, ac velut oraculo missum stupentes suspenso judicio accipiamus. Neque enim in eorum sententia * esse possum, qui Principem de privilegiis subjectorum ex jure tantum Canonum (hoc est, tormentorum & machinarum bellicarum)

dispu-

diſputare jubent: ut in occupatione Metenſis civitatis Annam Momorantium Franciæ Comeſtabilem factitaſſe inſignis quidam Franciæ Scriptor ait. *Ne vouloit*, inquit, *debatre telles pretentes par autres loix, que par le droit du canon.* Hoc enim eſt, quod Julia illa Antoninum Caracallum docuit, Imperatori quod libeat licere, & dare eum leges, non accipere. Quomodo etiam Caligula, aut frugi hominem, aut Cæſarem eſſe oportere, dictitare eſt ſolitus: id quod etiam in proverbium venit, aut Regem aut fatuum naſci oportere: quod utrisque omnia impune liceant. Tales nobis Reges jusque regium Seneca in tragœdiis ob oculos ponit. Ut Ægiſthum in Agamemnone:

Ignota tibi ſunt jura regnorum haud nova:
Nobis maligni judices, æqui ſibi,
Id eſſe regni maximum pignus putant,
Si quidquid aliis non licet, ſolis licet.

Et Creontem in Medea:

Æquum atque iniquum Regis imperium feras.

Ita Atreum in Thyeſte:

——————maximum hoc regni bonum eſt
Quod facta Domini cogitur populus ſui
Quam ferre, tam laudare.

Item: *Ubicunque tantum honeſta dominanti licent,*
Precario regnatur.

Et Neronem in Octavia:

Fortuna noſtra cuncta permittit mihi.

Item: *——————licet una voce ſuſpectos ſibi*
Mori jubere.

Quem quidem & Suetonius ſcribit, negaſſe, quenquam Principum ſciſſe, quid ſibi liceret. Hos autem iſti non ad imitationem nobis propoſuerunt, ſed ut ex eventibus eorum & caſibus dicta etiam eorum & opiniones horrere ac deteſtari diſcamus: Itaque ego cum Principis voluntati multum tribuo, ab eaque tum alia, tum privilegia etiam pendere affirmo: ſci-

3 re * te volo, & in sequentibus monstrabo, non me hic de tyranni effræna libidine, sed de Principis justa voluntate, sermonem habere. Huic, ut juris conditori sapientissimo, æquitatis patrono acerrimo (optimus enim civitatis status est sub Rege justo, ut sapientissimus Seneca ait) illud auctoritatis digni-
4 tatisque tribui æquum censeo, * ut ejus jussa ac leges vim habeant atque potestatem, etsi rationem non semper reddat, ut justa esse & ratione subnixa, quæ statuit, credamus, etsi cau-
5 sam non perspiciamus. Semper enim * Princeps id velle, quod juris est præsumi debet, *Abbas in cap. cum venissent, de judic. Bal. in l. ex facto, not. 4. ff. de vulg. & in c. licet in corrigendis, de offic. ordin. & in prælud. feud. in 14. col. & in l. omnes populi, col. 16. ff. de justit. & jure, Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. n. 40. &c.* Nam quia justissimus, nihil faciet sine summa ratione: quia sapientissimus, longius merito cæteris prospiciet, & ibi causam videbit, ubi aliorum oculi cæcutiunt. Quam multa legibus ac moribus introducta sunt, quorum veram rationem sæpe pauci, non raro nulli assequuntur? illa tamen pro jure
6 amplectimur & veneramur. Non * omnium enim quæ constituta sunt, ratio reddi potest, ut ait *l. 20. ff. de legibus.* & ideo rationes eorum inquirere vetat *l. seq. ibid.* ne multa ex his quæ certa sunt subvertantur. Itaque quod de militibus Otho Cæsar apud Corn. Tacit. lib. 1. histor. de omnibus imperii subditis suo modo dici posse videtur, tam nescire eos quædam,
7 quam scire debere. Sane * quippe si unicuilibet de jure & officio disputare, nec prius parere magistratui, quam æquum censeat, licebit: protinus aliud alio ferri, summa imis permisceri, & in præceps universa ruere apparebit. Quomodo rursus idem Otho ibidem: Si ubi jubeantur, quærere singulis liceat: pereunte obsequio etiam imperium intercidit. Ideo Reges ac Principes mortalibus Deus imposuit, & ipsi quoque amplexi sunt, ut quos ratio ac jus regere atque frænare non possent (quid enim humano ingenio indomitum magis?) eos aucto-

auctoritas potestasque major in officio continerent, *l. 2. §. sed quia divinæ, 18. C. de vetere jure enucle.* Hæc pro * Principibus 8
dicta velim, ut tantum nimirum eis tribuentes venerationis atque honoris, non protinus facta eorum, quæ iniqua nobis aut sine ratione esse videntur, aspernemur; sed ita potius credamus, eos & justissima statuere, & multorum consiliis ac sapientia subnixos, longius cæteris videre.

Interim * quæ de potestate ipsorum immodica sunt supra 9
adducta, illa ex aliorum magis quam nostra sententia dicta, sciendum. Neminem enim tam sævi, tamque immitis in universum genus humanum animi esse putaverim, qui vel jus regium, vel quodcunque aliud talem continere potestatem serio credat: quamvis non paucorum de nostris Jureconsultis aut imprudentibus, aut assentatione vana deceptorum eo stylus delabatur. Dum enim solutam omnibus legibus ac jure Principi potestatem deferunt: nonne quidvis ei permittunt, & cum Julia, quod libeat, licere ajunt? Aliter * longe Papinia- 10
nus juris asylum & doctrinæ legalis thesaurus, ut à Spartiano vocatur, qui mori maluit, quam parricidium Bassiani excusare. Ignoravit enim quam isti jactitant potestatem Principis absolutam, & nulla lege circumscriptam; qua secundum Neronis dictum licet Principi, una voce suspectos sibi aut invisos jubere mori. Ignoraverunt eandem sapientissimi quique, qui justitia firmari regna, hac una maxime Regem ab Tyranno discerni, communi sententia docent. Ignoraverunt plerique alii Jureconsultorum, qui Principem plerisque legibus non solutum, consentiente suffragio, ut supra *lib. 1. cap. 8.* expositum, decreverunt. Ignoraverunt meliores quique Principum, qui se naturali, divino, gentium juri, necessitate, positivo, sua voluntate subjectos, legibus exemplisque docuerunt. Quod cum copiose *d. cap. 8.* fuerim persecutus, & Principem divino naturali, gentium juri, positivo etiam qua præcedentibus innititur, obligari, rationibus, legibus, auctoritatibus, exemplis, mon-

monſtraverim: quis abſolutam Principi, nullisque legibus aut
juribus incluſam poteſtatem tribuere audebit? Ne ipſi quidem
hoc faciunt ſibique ſumunt hodie Principes, cum legibus, edictis,
conſtitutionibus, exemploque etiam ſuo, ſe nec velle nec poſ-
ſe adeo jura illa ſubvertere aut ulla parte labefactare, oſten-
11 dunt. Imo * nusquam in jure civili abſolutæ iſtius poteſtatis,
ſeu plenitudinis, quam vocant, poteſtatis, vel verbo meminе-
runt, adeo rem quoque ipſam ignorarunt.

Illi itaque infinitam, immenſam Principi poteſtatem cir-
12 cumdant: * ego, niſi finita ſit Principis poteſtas & moderata,
13 ſalvum nec ipſum nec Remp. eſſe poſſe affirmo. Sola * enim
quæ moderata ſunt, durant: quæ modum excedunt, nec ſu-
ſtineri poſſunt nec regi: non poteſt autem diuturnum eſſe,
quod regi non poteſt. Suo enim ipſo pondere ac mole pre-
muntur, & hac ipſa de cauſa quia à nemine ferri poſſunt, fir-
mamento carent: utque alia quieſcant, propria magnitudine
gravantur. Et animalium & ſtirpium corporibus ſua eſt ma-
gnitudo, quam ubi exceſſerint juſto, admirationem magis
quam laudem, & pondus, non vires conſequuntur. Ædifi-
cia in altitudinem juſto majorem elata, aut ſubſidunt, aut
ventis & tempeſtatibus dejiciuntur. Ita namque ſuus cuique
rei modus eſt & menſura, in qua conſervatur aliturque, ut
ipſa virtus, qua nihil amplius aut excelſius in rebus humanis,
14 in modo & mediocritate conſiſtere inveniatur. Nemo * ita-
que mirari debet, quod imperium quoque modo & menſura,
rebus optimis, conſtare ac temperari volumus. Mediocrita-
tem enim eſſe, quæ præcipue regna conſervet, Ariſtoteles
lib. 5. polit. cap. 11. docet. Quanto enim ſit minor Regum
poteſtas, tanto diuturnius unumquodque eſſe regnum. Ta-
les quippe minus in Tyrannos converti, & ſubditis minus in-
viſos eſſe: Hac de cauſa Moloſſorum & Lacedæmoniorum
regna maxime diuturna fuiſſe. Itaque Theopompum Epho-
ros conſtituiſſe, & quidquid poteſtati ſuæ dempſerit, diutur-
nitati

nitati regni sui adjecisse: eoque non imminuisse, sed amplificasse regnum. Unde uxore objiciente, infirmius eum liberis relicturum imperium, quam à patre accepisset: negasse ita esse, diuturnius enim traditurum. In quam plane sententiam Alexander quoque Imp. Mammææ matri, uxorique Memmiæ objicientibus nimiam civilitatem, & dicentibus; Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti; Sed securiorem & diuturniorem, respondit. Quomodo & T. Livius, suo jam tempore Romanam Remp. magnitudine laborare sua, & prævalentis populi vires seipsas conficere queritur. Quanquam enim ille magis de amplitudine ditionis & imperii Romani loqui videtur, tamen idem etiam de potestate qualibet nullis terminis aut legibus circumscripta, dici potest. Nam ut Seneca in Agamemnone;

——————*quidquid in altum*
Fortuna tulit, ruitura levat.
Modicis rebus longius ævum est.

Maxime igitur perniciosam imperio sententiam consiliumque esse eorum, qui immoderatam atque immensam Imperatori potestatem tribuunt, hæc & similia demonstrant.

CAPUT V.

Principem non posse injustum aut inhonestum aliquid statuere, nec rem alterius sine causa auferre.

BREVIARIUM CAPITIS.

1. *Principes juri quoque civili se subjecerunt.*
2. *Remota justitia, nihil aliud sunt regna, quam magna latrocinia.*
3. *Cæsari cui omnia licent, multa non licent.*

4. *Plura aliis licent quam Principi.*
5. *Imperium sine justitia intutum instabile est.*
6. *Princeps æqualitatis & justitiæ amator esse debet.*
7. *Et erubescere sine lege agens.*
8. *Dei debet idem imitari justitiam.*
9. *Non debet inde proficisci injustitia, unde jus petitur.*
10. *Principes potestatem habent pascendi & recte judicandi subditos, non turbandi.*
11. *Princeps non potest aliquid contra rationem præcipere, aut promulgare leges iniquas.*
12. *Princeps ab opinione quoque injustitiæ abesse debet.*
13. *Justitiæ exercendæ causa Deum Principes instituisse monstratur.*
14. *Injustitia nomen Principi aufert.*
15. *In Principe semper præsumitur justitia.*
16. *Id velle Princeps creditur, quod jura volunt.*
17. *Verba potius improprie sumenda, quam concessio Principis contineat iniquitatem.*
18. *Tormentis aliquem sine indiciis sufficientibus subjicere non potest Princeps.*
19. *Imp. electus jurat de administrando justitiam.*
20. *Honestatem idem & mores bonos observare debet.*
21. *Quæ enim contra hæc sunt, nec facere posse credimur, & num. 23.*
22. *Quidquid sine rubore fieri nequit, fieri non potest.*
24. *Quid adversus bonos mores fieri dicatur?*
25. *Principes non sunt Domini morum & rationis.*
26. *Princeps non potest incestas nuptias permittere.*
27. *Ex principali majestate non est capienda calumniæ facultas.*
28. *Princeps non debet detrahere falcidiam.*
29. *Nec potest remittere pœnam delicti nondum commissi.*
30. *Nec legem facere, ut spurii promiscue succedant.*
31. *Contractus pacta, fidem antecessorum, Princeps religiose tueri debet.*
32. *Principem alteri jus remve suam sine justa causa auferre non posse, probatur.*
33. *Primo ipsorum Imperatorum testimonio.*
34. *Tum interpretum suffragiis.*
35. *Idem ex hactenus dictis, quæ justitiam & honestatem Principi commendarunt.*
36. *Ex proprietatibus & ratione imperandi Principum & Tyrannorum.*

37. Prin-

37. *Princeps jura tueri, non injuriam facere debet.*
38. *Quomodo omnia Principis esse dicantur? explicatur.*
39. *Imperator dicitur quasi Dominus, cum bene administrat, non autem cum imperium spoliat.*
40. *Rem alterius auferre Princeps jure gentium prohibetur.*
41. *Imo divino.*
42. *Prohibet idem amor mutuus & charitas subditorum, res summe necessaria imperanti.*
43. *Ut in contrarium odium exitiale.*
44. *Potestatem Principis praesenti doctrina non imminui, docemus.*
45. *Posse malum, non est posse, sed non posse.*
46. *Ille solus vocatur omnipotens, qui malum non potest.*
47. *Certiorem & majorem Principi potestatem adjicit nostra sententia, quam contraria.*
48. *Immoderata potestas Principi pestifera esse solet.*
49. *Princeps tam optimus, quam maximus esse velit.*

HUc scilicet pertinent illa, quibus non divino tantum & naturali, * sed positivo quoque juri, unde tamen lege 1
regia exempti fuerant, *l. Princeps, 1. ff. de legibus, l. 3. C. de testam. §. sed & quod Principi, Instit. de jure naturali, &c.* ultro se & principatum, hoc est, jurisdictionem & potestatem suam, optimos ac justissimos Principes subjecisse, supra est copiose demonstratum.

Sciunt enim, * remota justitia nihil aliud esse regna: quam 2
magna latrocinia, ut Augustinus ait, & de gente ad gentem transferri regna propter injustitiam, *Ecclesiast. cap. 10.* Sciunt Caesari, * cui omnia licent, multa non licere: Ut Seneca ait, 3
ad Polybium capit. 26. & magis Principes debere ab omni re illicita abstinere, pluraque * aliis esse licita quam ipsi Principi, 4
quod ex glossa notat. Bald. *in l. imperatorem, 22. ff. de hered. instit.* eaque aureis scribenda literis verba ait. Sciunt * ex Poëtis, 5
quanto plus liceat, tanto minus cupiendum: ubi non sit pudor, nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum esse: regna cum scelere omnibus esse exiliis graviora: violen-

6 ta neminem imperia continuisse diu: & similia. Sciunt ex * anteceſſore ſuo Juſtiniano Imp. Principem æqualitatis & juſtitiæ amatorem eſſe debere, *auth. de non eligendo ſecun. nubent.*
7 *§. ult. in fine*, * & erubeſcere, ſi ſine lege ait, *auth. de trien. &*
8 *ſemiſſe, §. conſideremus, in princ.* & imitari * Dei, quo nemo juſtior aut æquior mortalibus, quamvis haudquaquam in æquo illis poſito, exemplum, *auth. & omnes obediant, &c.* Ut & ex
9 Valentiniano Imp. non * debere inde proficiſci injuriam, unde jura petuntur, *l. meminerint, C. unde vi.* Sciunt ex Jurecon-
10 ſultis, * ſummos Principes, tanquam bonos patresfamiliæ, habere à Deo poteſtatem paſcendi & recte judicandi ſubditos, non turbandi ſeu delinquendi, *Abbas in cap. ſicut & infra, &*
11 *in capit. quæ in Eccleſiarum, de conſtit.* * nec poſſe aliquid irrationabile præcipere, vel tollere conſuetudinem, aut promulgare leges iniquas, *Joh. Fabri Inſti. de jure naturali, §. ſed naturalia, num. 5.* nec robur iniquæ legi tribuere Principis conſenſum, *Baldus in capit. ea, quæſt. in fine, de re judic. & in capit. ad noſtram, de probat. colum. 2.* In quam ſententiam pulchre Zaſius conſil. *in cauſa executionis, 10. numer. 7. vol. 2. allegante Gailio libr. 2. obſervat. 56. num. 8.* ſcire ſe ait, boni Principis poteſtatem ad tutelam ſubditorum & ad juſtitiam aſſerendam eſſe ampliſſimam: ut vero injuria ſubditis fiat, illic ſe Principis poteſtatem non agnoſcere, ſed Tyranni. Itaque ſapientius quam pro fœmina Livia apud Dyon. Caſſan. lib. 55. hiſtor. Roman.
12 Auguſto. Tuum eſt, inquit, non modo * ab injuſtitia, ſed ab opinione quoque ejus abeſſe: quorum alterum in privato, alterum in Principe requiritur. Et Fridericus I. Imp. in conventu Roncaliæ, auctore Radevico Friſingenſi, lib. 2. cap. 3. Nos, inquit, Regium nomen habentes, deſideramus potius legitimum tenere imperium, pro conſervanda cuique ſua libertate & jure, quam, ut dicitur, omnia impune facere: hoc eſt, Regem eſſe, per licentiam inſoleſcere, & imperandi officium in ſuperbiam dominationemque convertere. Hinc P.

Ancha-

Ancharan. *in cap. 1. de homicid. lib. 6. not. 4.* justitiæ * rectique 13
judicii exercendi causa Deum Principes instituisse, ait *25. q. 5. Regum ca. Principes, c. administratores, 11. quæst. 2. cum devotissima.* Ideoque * injustitiam esse summum malum, & auferre nomen 14
boni & religiosi Principis: hunc vero, si nomine careat, re cariturum, *l. à nullo, C. de feriis, cap. nam & ego, de verb. signif.* Ob hæc igitur semper * in Principe justitia præsumitur, *l. 2.* 15
§. merito, & §. si quis à Principe, ff. ne quid in loco publ. l. ex fact, 43. in princ. ff. de vulg. & pup. subst. Baldus in cons. 395. colum. 1. sub fine, libr. 2. & id * velle Princeps creditur, quod jura volunt, 16
auth. de judic. §. omnis l. si quando, 35. in princip. Cod. de inofficios. testam. §. fin. Instit. quibus mod. testam. infirmenter, cap. justum dict. adeo ut verba * potius impropriari, (ita loquuntur) debeant, 17
quam concessio Principis contineat iniquitatem, *gloss. 3. in cap. paratus, 23. quæst. 1. per tex. in ca. causam, de rescript. c. cum dilectus, de consuet. l. quamvis, 11. ff. de in jus vocan. l. ult. ff. qui pet. tut. vel curat. Baldus in cons. pridie, 227. col. 2. vol. 3. Cravetta de antiquitate temp. par. 1. §. 2. n. 14. Ægid. Boss. in tit. quomodo proced. per act. in delict. num. 45.* Itaque tormentis * aliquem 18
subjicere sine legitimis & sufficientibus indiciis, non licere Principi, ne in majestatis quidem crimine, sentiunt Cynus & Baldus *in l. si quis alicui C. ad leg. Jul. majest. Marsil. in l. 1. num. 3. & 20. & in l. pen. n. 21. ff. de quæst. And. de Isern. in q. regni, tit. de pugnis subla. lib. 2. Gigas in tract. de crim. læsæ majest. rubr. Quomodo & per quos crim. majest. prob. q. 27. n. 3. & 4. Jac. Menoch. de arbit. judic. q. 84. n. 3. L. Schraderus, de feud. p. 2. part. 9. sect. 13. n. 86.* Et hodie Imp. * electus tenetur jurare de ad- 19
ministrando justitiam & recte judicando, teste eodem Schradero *in d. tract. par. 10. sect. 11. n. 100.*

Ut justitiam æquitatemque, ita * honestatem, verecundiam, 20
moresque bonos inviolatos Princeps conservare, nec ullam sibi adversus ista potestatem imperiumve datum, pro certo habere debet. Quæ * enim facta lædunt pietatem, existimationem, vere- 21

cundiam nostram, & universe quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse, idem ille Papinianus ait *in l. filius, 15. ff. de condit. insti.* ut & glossa *in l. si navis, 62. ff. de rei vend. Bart. in l. 1. n. 5. ff. de condit. instit. Bald. in l. Princeps, lect. 2. ff. de legib. Ang. in l. ult. C. sent. rescindi non posse, glos. & Dyn. in c. non est obli-*
22 *gatorium, de reg. jur. lib. 6.* Qua de causa * quidquid sine rubore fieri nequit, fieri omnino non posse censent Felin. *in cap. suscepimus, sub fin. per l. 3. ff. quibus ex caus. major. & l. 3. §. cum Polidius, ff. de usu, latius Socin. in l. obtinuit. ff. de condit. & demonstr.*
23 Certe nullum, * irritum, inutile esse, quidquid contra bonos mores, pietatem, humanitatem geritur, confirmant *l. 9. & l. 19. cum l. seq. ff. de condit. instit. l. quædam, 27. in princ. ibid. l. si quis inquilinos, 112. §. pen. & ult. de lega. 1. auth. quod eis, C. de nupt. l. 61. ff. de verbor. obligat. l. 6. C. de pactis, l. 4. C. de inutil. stipulat.*
24 Adversus * bonos mores autem sic accipiendum esse, non ejus qui fecit, sed generatim adversus bonos mores civitatis, ait *l. item, 15. §. 5. ff. de injur.* Quæ omnia ad Principes pertinent merito:
25 quos * ideo Dominos morum & rationis esse, negat recte Rebuffus *in constit. regni Franciæ, tit. de rescript. art. 1. gloss. 4. parte 2. princ. & Barbat. consil. 55. col. 11. vol. 4.* honestaque aut sola aut prima certe pensanda Principi orbis terrarum populo & tanto Regi (Romanos intelligit, & Antiochum Asiæ Regem) ait T. Quintius Flamin. apud T. Livium *lib. 34.* His igitur præcipit Seneca in Troade:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Item Claudianus:

Non tibi, quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat; mentemque domet respectus honesti.

26 Ob hæc rescripta * incestas permittentia nuptias, ut videas quam ad turpia nihil valeat ista potestas, ipso jure nulla esse, ait *l. ult. C. de incest. & inutil. nupt.* & Imperatorem litis causa here-
27 dem institui invidiosum esse, nec * calumniæ facultatem ex prin-
28 cipali majestate capiendam, ait *l. pen. ff. de hered. instit.* Ita * ex hone-

honestate Princeps non debet detrahere falcidiam, quia donare consuevit, & proprium est Principis esse liberalem, secundum Bald. *in l. & in legatis, C. ad leg. falcid. & fac. l. si legatus, 30. §. ult. ff. ad Trebell.* Nec * potest Princeps alicui remittere pœnam 29
delicti nondum commissi, quia læderet bonos mores, remque publicam, & invitaret ad delinquendum: secundum Bald. *in l. 1. lect. 2. in fine, num. 43. ff. de rerum divis. & Jas. in l. rescripta, n. 8. C. de precibus Imp. offer. quos allegat & sequitur P. Anton. de Petra, in d. tract. de potestate Princ. cap. 3. q. 3. n. 14. & cap. 13. n. 19.* nec * potest legem facere, ut spurii omnes promiscue succe- 30
dant, ut ex Baldo *in l. eam quam, num. 33. Cod. de fideicommis. & in l. 1. num. 13. ver. quarto probetur, C. de summa Trin.* concludit, pluribusque persequitur id Petra *in d. quæst. 3. n. 18.*

Ad eundem * modum contractus, pacta, promissa, fidem & 31
suam & antecessorum Principem violare non posse, sed summa potius cum religione conservare debere, infra hoc lib. cap. 8. copiose docebo.

Hic illud potius, * quod in contrarium paulo antea pluri- 32
bus actum est, ut maxime proprio loco aggrediar, & Principem alteri jus remve suam sine justa causa auferre non posse, planum omnibus indubiumque reddam. Quibus * enim in re tali crede- 33
re potius erit, quam ipsis, quorum de potestate & magnitudine agitur, Principibus? At imperialis majestatis proprium non esse, auferre concessa, ait Justinianus Imp. *in auth. de referendar. palat. in princ.* & neminem principali auctoritate circumscribendum, *l. 1. C. de his qui ven. ætat. imp.* rem meam nec publico nomine, nec privato mihi posse, auferri, *l. venditor, 13. ff. com. prædiorum.* fundum vel possessionem suam nemini aut promulgatione rescripti, aut reverentia sacræ adnotationis adimi posse, *l. quicunque, 7. C. de omni agro deserto, Lib. XI.* quidquid Princeps permittit, id sine injuria cujusquam permittere, *l. 2. §. merito, ff. ne quid in loco publ. l. rescripta, 7. C. de precibus Imp. offeren. l. nec avus, 4. C. de emancipat. gloss. in l. unica, §. sed etsi, 7. ver. sine injuria, ff. ne*

quid

quid in flum. publ. Quomodo etiam Trajanus Imp. Plinio in epistolis hujus lib. 10. Ep. 5. invitos, scribit, ad accipiendum (pecunias mutuas) compellere, quod fortassis ipsis odiosum futurum sit, non est ex justitia nostrorum temporum. Et passim in jure nostro quidquid statuunt hujus Imperatores, id eos cum ratione & causa, & quidem justissima, decernere constat. Itaque de auctoritate juris suam pendere auctoritatem, ajunt *in l. digna vox. C. de legibus.* Nam quæ contrarium arguere videntur, ut supra allegavi, leges, has nihil repugnare infra *cap. 6. num. 18.*
34 ostendam. Ita quamvis diversum * asserere videantur ex Doctoribus nonnulli, plerique tamen nostram magis sententiam tuentur: Veluti, glossa, Bart. & communiter *Dd. in l. fin. C. si contra jus vel util. pub. Archidiac. in cap. per principalem, 9. qua. 3. Paul. de Castro, in l. digna vox, C. de legibus, Innocent. & Jo. And. in c. innotuit, de elect. Aretin. in c. cum à nobis, de testi. Bald. in §. ad hac, in tit. de pace jur. firm. in usibus feudorum, & in l. servi, Cod. pro quibus causis servi pro præmio &c. & in l. bono à Zenone, ubi Dd. C. de quadrien. præscript. Felinus & Canonistæ, in c. quæ in Ecclesiarum, de constit. Hyppol. de Marsil. singul. 25. Natta consil. 619. n. 12. Cravetta de antiquit. temp. par. 1. in prin. n. 49. & consil. 5. n. 5. consil. 7. n. 10. conf. 103. n. 3. communem dicens, conf. 135. n. 20. consil. 172. nu. 3. conf. 241. per tot. Socin. jun. consil. 77. n. 124. lib. 1. Jo. de Anan. consil. 81. sub fin. ver. præterea communiter, ubi communem dicit Jas. in consil. 145. col. 2. vol. 2. & in l. Barbarius, n. 38. ff. de offic. prætor. Guido Papa, consil. 65. col. 4. Alexand. conf. 101. n. 8. vol. 1. Curt. sen. consil. 20. num. 9. communem dicens, Roman. consil. 352. vulgatissimam hanc esse juris conclusionem dicens, Fulgo. consil. 20. sub fin. Joh. de Platea, in l. ult. n. 4. C. de locat. præd. Lib. XI. Everardus in loco à plenitud. potest. limitat. 11. Menoch. de arbitr. libr. 1. quæst. 48. num. 6.* ubi receptiorem hanc esse sententiam ait: & plurimi alii, quos nominat Petra *in d. cap. 24. n. 60. & sequentibus.* Quamvis autem, ut dixi, non desint, qui contrarium affirment, quos inter Angelus *in d. l. item si verbera-*

tum,

tum, mentiri ait neganteis Imperatorem posse de plenitudine potestatis sine causa, dominium alterius auferre: communiorem tamen & magis rationi consonam esse sententiam præsentem, testatur Felin. *in d. cap. quæ in Ecclesiarum, colum. 10. & 15. de constit.* & omnes prædicti. Et hanc constare, etiamsi absoluta sua & plenissima potestate utatur, & clausulis quibusvis docent Bald. *Alex. Jason. in l. testamentum, C. de testamen. Jas. in l. Barbarius. num. 35. ff. de offic. prætor. latissime Cravet. consil. 241. n. 10. Menoch. d. loco, C. Tapia, in rubr. Dig. de consti. Princ. c. 2. n. 24. & seqq. & plerique hactenus allegati.* Quid igitur Principes rei Romanæ, quid juris interpretes, de his sentiant, habes. Docent idem * omnia hactenus dicta, quæ nihil Principem contra justi- 35
tiam honestatemque facere posse, & jure divino, naturali, gentium, non magis quam alios homines solutum, demonstrant. Justitiæ autem regulæ sunt primæ: honeste vivendum, alterum non lædendum, suum cuique tribuendum. Non autem honeste vivit Princeps, qui quos tueri debebat, ipse spoliat; nec salutem dat, qui eripit; nec suum tribuit, qui adimit. Itaque Principem alteri rem suam auferentem, non tribuere jus unicuique suum, eaque re justitia carere, recte ait Raphael Fulgosus *in l. ult. C. si contra jus vel util. publ.* Quid est enim aliud justitia, quam constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi? Non est ergo justa potestas, per quam suum cuique auferre licet. Principi autem aliquam nisi justam tribuere potestatem nemo bonus, nemo, cui vel parum inest pudoris, potest. Ut enim * venerabile 36
est vel effatu Principis nomen, ita execrabile abominandumque Tyranni. At hujus est propria illa potestas, quæ sine justitiæ, sine honesti, sine æquitatis respectu, omnia pro lubitu designat. Quin nulla re magis quam hoc ipso in genere, potestas, regimen, moresque utriusque conspiciuntur. Principis enim potestas tota ad salutem, ad felicitatem subditorum directa, id agit, ut quisque suum habeat; ut Resp. pace, consilio, opibus floreat; singuli rebus suis quiete, & ab omni tam interna quam externa vi

Rr securi,

securi, fruantur; virtute, divitiis, bonisque omnibus abundent; præsentique statu læti, auctori & Principi suo bona vicissim omnia precentur. At Tyrannus ad suum omnia usum & libidinem disponens, nec publica nec privata, nisi ad suam tutelam utilitatemque, curat; sua esse omnia ratus, sibi omnes laborare, sibi vigilare, sibi res, fortunas, corpora, animas denique omnium mancipio traditas, opinatur; ab se spiritum omneis ducere, suo nutu posituros, & tanquam precaria omnia, seque ipsos possidenteis, reposcenti sine murmure reddituros. Hæc non tam mea est, quam sapientissimi cujusque sententia. Sic enim & Aristoteles libr. 5. Polit. capit. 10. discrimen horum constituit: & libr. 3. ibid. capit. 5. ut & d. libr. 5. capit. 11. mores, studia, consilia Tyrannorum in prædictum modum describit. Nec dubium est, ex sola alieni juris immoderata cupidine omnia injusta imperia orta. Nos vero de justo imperio loquimur, eoque & Imperatorem justum, & potentiam justam requirimus, cujusque auctoritas ab juris auctoritate dependeat, secundum *l. digna vox, Cod. de legibus.*

37 Hic * cum jura tueatur, illa eadem evertere non debet, *l. si quando, 35. in princ. Cod. de inoffic. testament.* nec inde debet injuriarum occasio nasci, unde jura nascuntur, *l. meminerint, Cod. unde vi.* Et ita omnis injuria debet à Principe quam maxime esse remota, secundum Baldum *in l. qui se patris, colum. 2. verb. hoc scias,*

38 *Cod. unde liberi.* Illud enim * quod omnia Principis esse dicuntur, *l. de precatio. ff. ad leg. Rhod. l. bene à Zenone, Cod. de quadr. præscript.* eoque nemini injuriam facere ille videtur, qui rem suam aufert, non ita, ut verba præ se ferunt, intelligendum constat. Omnia enim Principis sunt, ratione jurisdictionis & protectionis, non proprietatis; & dominio universali, non particulari: ut docet glossa *in d. l. bene à Zenone, ver. omnia Principis, & in l. Barbarius, ff. de offic. prætor. in fine, & in l. 2. ubi Bartol. Cod. in quibus causis colum. Libr. XI. Bartol. in proœm. Dig. §. 1. numer. 3. & in extravagant. ad reprimendum verb. totius orbis, Alexand. consil. 76. part. 2. Baldus in l. constit. Dig. veter. colum. 2. Ancharan. in*

proœmio

proœmio sexti, §. *sacrosancta*, *not. 1.* Quod pulchre his verbis exprimit sapientissimus Seneca libr. 7. de beneficiis ; Sub optimo Rege omnia Rex imperio possidet, singuli dominio. Item : Ad Reges potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Quomodo & Felinus *in d. cap. quæ in Ecclesiarum, colum. 10. conclus. 3. de constit.* licet Imp. habeat jurisdictionem in universo, non tamen dominium rerum privatarum habere ait, quæ olim fuerint concessæ occupantibus, *Inst. de rerum divis.* Quo * pertinet, quod 39
Imperatorem dici quasi Dominum, cum bene administrat, non autem cum imperium spoliat, ait *Joh. de Platea, in l. ult. Cod. de locat. præd. fiscal. n. 9.* Juri igitur naturali vel gentium contraria Principem non posse statuere, supra *lib. 1. cap. 8.* docui. Qua * 40
de causa etiam rem alterius dominiumque auferre posse, negat glossa *ultim. in l. ult. Cod. si contra jus vel util. publ.* Quamvis enim modi adquirendi dominii sint juris civilis, ipsum tamen dominium juris gentium esse docent Bartolus *in l. ex hoc jure, & ibi Jas. n. 44. ff. de just. & jure, Alexand. in l. cum heredes, ff. de adquir. possess. Bald. in l. 1. n. 9. C. de jure aur. an. & in l. rescripta, C. de precibus. Imp. offeren. & in l. fin. C. de juris & facti ignor. Felin. in d. c. quæ in Ecclesiarum, n. 49. Menoch. de arbitr. lib. 1. quæst. 48. n. 6. C. Tapia, in rubr. Dig. de constit. Princip. cap. 1. n. 50.* Quod igitur nostrum est, non potest sine nostro facto à nobis auferri, *l. id quod nostrum, ff. de regul. jur. c. ab eo, de elect. lib. 6.* Maxime cum * id non tam naturali aut gentium, quam ipso, quod illo- 41
rum principium, fundamentum, regula est divino jure severissime prohibeatur. Deus enim non modo furta, hoc est, quæ facto fit rei alienæ invito Domino contrectationem, sed ipsam cupiditatem alieni, uxoris nimirum, jumenti, mancipii, domus & omnium, quæ sunt in dominio proximi, interdixit : & quæ nobis fieri nolimus, eadem ab altero abstinenda docuit. Ut & Seneca: Optime, inquit, hoc exemplum Principi constituam, ad quod formetur, ut se talem esse civibus, quales sibi Deos velit. Princeps igitur, ut rem suam, jus, potestatem, à nemine, ne à Deo

quidem, auferri sibi æquo animo patitur, quin potius ad tutelam illorum conservationemque omnes conspirare æquum ducit: ita nec ipse aliis res suas adimere, sed magis ope suæ potestatis, quam ideo accepit, tutari debet. Et quoniam à Deo potestatem suam imperiumque habet Imperator, *cap. si Imperator, dist. 96. gloss. in c. duo sunt, in ver. auctoritas, & in d. c. in verbo divinitus, d. dist. &c.* à Deo etiam modum hujus potestatis accipere debet. Hic enim est, in cujus manu sunt omnia regna atque imperia mundi, qui ut constituit illa, ita destruere potest, & dat illa cui lubet. Quod & Seneca monet in Thyeste:

Vos, quibus Rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ;
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quidquid à vobis minor expavescit,
Major hoc vobis Dominus minatur:
Omne sub regno gravior regnum est.

Itaque legibus illis, quas in universos tulit homines, Reges Deus minime solvit: sed magis quam cæteros illis subjecit. Sic enim Reges gentis Judeorum ex Dei præcepto instruit mores, Deuteron. 17. Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leviticæ tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ: ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præceptæ sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet à præcepto in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filii ejus super Israel. Ita Regina Sabæa ad Salomonem Regem *lib. 3. Reg. cap. 10.* ait: Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel, eo quod dilexerit Dominus Israel in sempiternum, & constituit te Regem, ut faceres judicium & justitiam. Audis, cur Reges Deus constituit? ut justitiam faciant scilicet, non ut injuriam. Quomodo & apud Ezechielem Proph. *cap. 45.* DEUS:

Suffi-

Sufficiat vobis, inquit, Principes Iſrael: iniquitatem & rapinas intermittite, & judicium atque juſtitiam facite. Davidi, Regi alioquin acceptiſſimo ſibi, quam ſuccenſuerit ob raptam Uriæ uxorem Deus, quasque pœnas inflixerit, non eſt ignotum. Sed aptiſſimum ad præſentia exemplum in Achabo Rege ſtatuit idem. Petebat Rex ille vineam Nabothi cujusdam palatio regio propinquam, meliorem pro illa vineam, aut precium juſtum offerens. Nabaoth recuſat. Rex conturbatus, uxori queritur. Illa non minus quam Julia illa, Baſſiani noverca & adultera, juris regii gnara ſcilicet: Hoccine ſit eſſe Regem, cogitat, ſi tantillum in ejus poteſtate non ſit. Naboth igitur confiсto crimine opprimitur: vineam Rex occupat. Quod adeo graviter ſupremus ille Rex tulit, ut miſſo legato ſuo, Achabum cum uxore, re, familiaque ſua diris devovens, exterminium univerſis, mortemque in illo ipſo agro oppetendam denunciaret, factoque poſtea impleret. Eant nunc iſti, & Regem ex plenitudine poteſtatis dominium alteri ſine juſta cauſa auferre poſſe dicant. Æquum Rex poſtulare viſus fuit, æquum offerre. Sed quia non publicæ utilitatis ergo, ſed privati tantum uſus nomine, ut hortum ſibi in propinquo facere poſſet, poſſeſſionem iſti patriam extorſit, numinis vindictam graviſſimum ſenſit. Non ergo Regi magis quam privato cuiquam Dei præcepta violare licet. Et quantumcunque à Deo poteſtatem Principes acceperint, non tamen illicita eis permiſſa, credendum, *l. creditor, 60. §. Lucius, ff. mandati.* Dei enim reverentia & proximi amor, ſumma totius legis eſt. Quam ſequens Imp. ſi tanta proximum dilectione, quanta ſe ipſum proſequitur, tam illum ſua retinere quam ſe ipſum gaudebit. Ac * profecto ſi cui alii, Im- 42
peratoribus ac Principibus, non tantum divino præcepto monitis, ſed & ſuo proprio bono permotis, civium ſubditorumque mutua charitas curæ ſtudioque eſſe debet. Unum enim eſſe inexpugnabile Principis munimentum, civium amorem, ſapientes tradiderunt. Et Livia Auguſto apud Dion. lib. 55. Hominibus, inquit, non belluis imperas: eaque eſt unica ipſorum benivolen-

tiæ vere consequendæ ratio, si ipsis persuasum efficias, neque à volente, neque invito quenquam eorum lædi. Et Seneca in Octavia: Decet timeri Cæsarem, at plus diligi. Nullum igitur neque honestius, neque firmius, neque tutius imperiorum stabilimentum simul satellitiumque esse, amore civium, patet. Quem nulla ratione facilius Princeps ac certius consequetur, quam si ipse primus cives amet. Nec possum non adjicere pulcherrima Senecæ nostri verba, quæ ut mihi summopere, ut alia quoque viri illius, placent, verissimaque & sanctissima merito videntur, ita aliis quoque perinde accepta futura spero: Ita enim ille *lib. 1. de clem. c. 3.* Nullum, inquit, clementia ex omnibus magis, quam Principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriæque sunt, si illis salutaris potenita est. Nam pestifera vis est, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt, cujus curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili prosiliret, diffugiunt, sed tanquam ad clarum ac beneficium sidus certatim advolant, objicere se pro illo mucronibus insidiarum paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem struendum sit. Somnum ejus nocturnis excubiis muniunt, latera objecti circumfusique defendunt, incurrentibus periculis se opponunt. Hæc &
43 similia multa Seneca. Non equidem * desunt, quibus vulgatum illud, sed tyrannicum, (oderint, dum metuant) vehementer arrideat. Quomodo Polynices in Thebaide Senecæ:

Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Simul ista mundi conditor posuit Deus,
Odium atque regnum: Regis & magni reor
Odia ista premere: multa dominantem vetat
Amor suorum: plus in irratos licet.
Qui vult amari, languida regnet manu.

Et

Et Oedipus in Oedipo ejuſdem:

———odia qui nimium timet,
Regnare neſcit: regna cuſtodit metus.

Huic vero contra Creon ibidem reſpondet:

Qui ſceptra duro ſævus imperio regit,
Timet timenteis, metus in auctorem redit.

Ut & Polynici Jocaſta mater:

Inviſa nunquam imperia retinentur diu.

Neque * per hæc imminui poteſtatem Principis, aut co- 44
erceri intra privatos limites jus omne illius exiſtimari oportet.
Non enim eſt poteſtas, quæ ad injuſtitiam exercendam potens
eſt, ut hactenus dicta oſtendunt; & ideo recte, non poteſta-
tis, ſed tempeſtatis plenitudo ab illo vocatur. Et non poſſe
illud dicimus, quod de jure non poſſumus. Potentia * enim 45
atque poteſtas ſunt de genere bonorum; ac poſſe male, non
eſt poſſe, ſed non poſſe: ut ait gloſſ. *ult. in extravag. unica, de
dolo.* Deus quippe omnia poteſt, & nihil tamen, quod ma-
lum ſit aut injuſtum, facere poteſt: quia poſſe malum facere,
non poteſtas dicitur, ſed infirmitas bonique defectus: ut ſcri-
bit Cravetta *de antiquit. temp. par. 1. §. non obmitto. n. 2.* Poſſe
enim peccare, non eſt aliquid poſſe, imo aliquid non poſſe:
unde ille ſolus vocatur * omnipotens, qui hoc non poteſt: quia 46
omnia poteſt, quæ poſſe eſt aliquid poſſe: ut Auguſtinus ait: *lib.
15. de Trinit. c. 15. & de ſymbolo fidei, c. 1.* In quam ſententiam
probe Auguſto Cæſari Mæcenas apud Dion. *lib. 5.* In ſumma,
inquit, id tibi conſilium do, ne quando abutaris potentia tua;
neque eam putes eſſe deminutionem potentiæ tuæ, ſi non omnia
ſimul facias, quæ poſſis. Sed quando magis omnia, quæ ſta-
tueris, poteris perficere, tanto magis cura, ut optima tibi
quæque proponas. Et Seneca in *Epiſt. 91.* Tantum quantum
vult poteſt, qui ſe, niſi quod debet, non putat poſſe. Longe
igitur certiorem * melioremque Principi potentiam noſtra ſen- 47
tentia quam contraria tribuit. Illa enim injuſtam eoque nul-

lam

lam ei dat poteſtatem: noſtra legitimam, & ea re veriſſimam, ampliſſimam, tutiſſimam. De qua ille etiam apud Senecam tragœdiarum ſcriptorem:

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

Ut enim Theopompo Lacedæmoniorum Regi, ut Alexandro Severo Imp: viſum, hæc ſola ſecura eſt & diuturna poteſtas. Nam ut Seneca ait *lib. 3. de ira, cap. 16.* non diu poteſt, quæ multorum malo exercetur, potentia ſtare. Et enim li-
48 cet * attonitos quandoque ſubditos poteſtas hujusmodi reddat, & ad ſummam patientiam cogat: eadem tamen in furorem denique & deſperationem converſa, in eosdem, à quibus premebatur, metus omneis terroresque convertit. Innumera ſunt exempla Regum, Principum, Imperatorum, qui hac via cum imperio vitam & gloriam amiſerunt. Itaque ille toties nobis allegatus Seneca *lib. 1. de Clem. cap. 12.* Temperatus, inquit, timor cohibet animos, aſſiduus vero & acer, & extrema admovens, in audaciam jacenteis excitat, & omnia
49 experiri ſuadet. Non * maximus igitur tantum, ſed & optimus Princeps velit eſſe. Quæ illo quidem pertinent omnia, ut moderatam & legitimam, non omni lege ſolutam infinitamque Principis noſtri poteſtatem eſſe, eoque in ſpecie nulli eum rem ſuam ſine cauſa juſta ullo jure auferre poſſe, & intelligamus & pro certo habeamus.

CAPUT VI.

Principem cum cauſa privilegia abrogare poſſe, monſtratur.

BREVIARIUM.

1. *Princeps ex cauſa legitima & juſta privilegia & jus alienum auferre poſſe monſtratur.*

2. Pri-

2. *Primo interpretum juris suffragio.*
3. *Tum legibus juris civilis.*
4. *Principem ob utilitatem & necessitatem publicam, jus alterius imminuere & tollere posse monstratur.*
5. *Hujus enim causa multa alias prohibita permittuntur, & à jure communi receditur.*
6. *Jus patrium Reipubl. cedit.*
7. *Imo ipse Princeps.*
8. *Et universe omnia privata.*
9. *Patriæ & Reip. omnia nostra debemus.*
10. *Proximi charitati omnia debemus.*
11. *Resp. nemini quidquam adimit, sed sua tantum repetit, imo quidquid sibi impendit, nobis impendit.*
12. *Causa tamen circa hac justa, legitima & damno, quod inferre videtur æqualis requiritur.*
13. *Quæquidem Principis præcipue justitiæ, prudentiæ, pietati, permittitur.*
14. *Quid respicere ibi teneatur, moneo.*
15. *Princeps quod ob causam ademit, cessante illa causa, reddere debet.*
16. *Et precium reddere tenetur.*
17. *Quod si fieri nequeat, alia tamen solatia restant.*
18. *Legum illarum quæ Principem jus alterius abstulisse aut auferre posse ajunt, interpretatio.*
19. *Princeps multa de facto potest, quæ non potest de jure.*
20. *Libertatem servis alienis cur Princeps dare possit?*
21. *Via publica amissa, vicinus proximus viam præstare tenetur.*
22. *Ædificia publice damnosa aut noxia Princeps evertere potest.*
23. *Ornatui quoque & decori urbis consulendum.*
24. *Princeps damna ex bello subditis illata in pacis conditionibus remittere potest.*
25. *Nec refert, qua causa bellum contractum.*
26. *Princeps pro bono publico potest bannitum restituere ad bona alienata.*
27. *Princeps tempore charitatis cogere potest subditos, ut vendant, idque precio mediocri.*
28. *Etiam extra necessitatem eos, qui res venales habent, cogere potest, ut eas justo precio vendant.*
29. *Emere etiam inviti cogi possunt, si res cogat.*

30. *Principis salus est Reip. salus.*
31. *Quod Principis causa fit, publicæ utilitatis & boni causa fit.*
32. *Ita tamen, quatenus ille Princeps est.*
33. *In cæteros enim quod communiter prodest & subjectorum commoda rei suæ privatæ ille præfert.*
34. *Dignitatis publicæ causa privatorum jura eminuere licet.*
35. *Quod etiam in Principis honore servatur.*
36. *Limitatur tamen.*
37. *Etiam rigorem Principis injustum propter honorem illius & existimationem patienter quandoque ferre decet:*
38. *Sic tamen, ut Princeps factum suum, quoad ejus fieri potest, corrigat.*
39. *Aliter tamen, si publice sit nota injuria Principis, aliter si occulta.*
40. *Principes non pauci à privatis, quos læserunt, maximis damnis affecti.*
41. *Philippi Macedonis in hoc casu consilium.*
42. *Quæ de Republica dicta sunt, eadem de religione & cultu divino accipienda.*
43. *Ob delicta, jura & res alienas Princeps auferre potest.*
44. *Privilegia ex causa omnia, aliud tamen facilius alio Princeps tollere potest.*
45. *Facilius enim tolluntur privilegia precibus data, quam motu proprio.*
46. *Facilius quæ privatis data sunt, quam publice.*
47. *Facilius quod subdito datum est, quam non subdito.*
48. *Facilius quod nuda voluntate, quam quod per contractum.*
49. *Illa enim etiam nullam ob causam adimi posse quidam opinantur.*

1 VERUM enimvero * ut sine causa omni & ratione, ex sola pœnitentia & sententiæ mutatione, privilegium jusque suum nemini Princeps eripere potest, *l. 3. & l. seq. C. de revocand. donat. l. pen. ff. de decret. ab ordine fac.* ita contra ex causa legitima & justa id eum posse affirmo. Hoc enim est, quod initio proposui, à Principis voluntate, hoc est, ab ejus justo judicio atque decreto privilegia dependere. Nam ut sine causa jus suum nemini Principem auferre posse, supra pluribus

ribus ostensum est: ita cum causa justa & sufficiente id eum posse * asserunt glossa *in l. id quod 11. ff. de regul. jur.* & communiter Doctores in cap. *quæ in Ecclesiarum, de constit. & in l. fin. C. si contra jus vel util. publ. & in l. bene à Zenone, Cod. de quadr. præscript. & in l. quoties, Cod. de precibus Imp. offer. Angelus in l. 3. §. si is pro quo ff. quod quisque juris, Panorm. in c. in nostra, n. 5. de injur. Bart. in proœmio Dig. n. 4. ver. Quæro secundum, P. Ancharan. in proœm. sexti, §. Sacrosancta, & in cons. videtur prima, 366. Jason. in l. Barbarius, n. 24. cum seqq. ff. de officio prætor. Afflictus in c. 1. §. similiter potest, n. 13. de capita. qui cur. ven. Fort. Garc. in l. conventionem, n. 17. ff. de pact. Ant. Gabriel Rom. tract. reg. lib. 3. tit. de jure quæsito non tollendo, conclus. 1. n. 1. Angel. Aretin. Instit. de jure nat. §. ex non scripto, n. 36. Joh. Fabri, eodem tit. §. sed naturalia, n. 2. & 4. Æg. Boss. in tit. de Principe, n. 187. & seqq. Jac. Menoch. de arbitr. jud. lib. 1. q. 48. n. 8. 9. And. Gaylius lib. 2. obs. 56. n. 1. Jo. Mynsingerus, cent. 5. obs. 97. n. 4. Alf. Alvar. Guerrerus in Spec. cap. 55. n. 5. P. Anton. de Petra in tract. de potest. Princ. in secunda dubit. princ. n. 2. & 3. & passim alii.* Idque * confirmant etiam leges nonnullæ juris civilis. Ita enim agrum alterius adsignat militibus Imp. modico honoris gratia possessori dato *in l. item si verberatum, 15. §. 2. ff. de rei vend.* Prædia & possessiones ab alio emptæ, ex præcepto Principali partim distractæ, partim veteranis in præmium adsignatæ, leguntur in *l. Lucius, 11. in prin. ff. de evict.* Principem permittere posse, ut quis cum incommodo alterius ædificet, ostendit *l. 2. §. si quis à princ ff. ne quid in loco publ.* Ita servum alienum natalibus aut libertati restituit Princeps *in l. 2. ff. de natal. rest. & in l. 2. & l. 3. C. pro quibus. caus. servi propræm. lib. accip.* Quibus adde *l. ult. in fin, ff. de pign. actio, l. si locus, 14. in fin. ff. quemadmodum serv. amitt. & simil.* Quibus omnibus id quod dicimus, Principem jus alterius & minuere, & tollere posse, sed non sine causa, probatur. Causam autem justam, legitimam, sufficientem requiro, hoc est, jure divino

& naturali probata. Quod ut melius intelligatur certiusque credatur, exempli simul & argumenti causa, unam atque alteram hujus rei causam indicare atque illustrare operæ erit.

4 Prima * est autem & potissima causa Respublica, ob utilitatem cujus aut necessitatem Princeps res & jura privatorum imminuere aut tollere quandoque & solet & potest: ut affirmant *l. quod semel, 5. ff. de decret. ab ordin. fac. & fac. l. ut gradatim, §. reprobari, ubi gloss. ff. de muneribus, gloss. ultim. in l. ult. ff. si contra jus vel util. publ. & in l. ultim. ff. de natal. restit. Innoc. Hostiens. Jo. And. Abbas, Felinus, Decius, & communiter Dd. in cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. ut & in d. l. item si verberatum, & in l. d. Lucius, Bart. in proœm. Dig. per text. quem dicit meliorem de mundo, in l. venditor, §. si constat, ff. communia prædiorum, & in l. 1. in fin. ff. de constit. Princ. & in l. jubemus nullam, C. de S. Eccles. & in l. 1. ubi Dd. quoque, C. si contra jus vel util. publ. & in l. 15. Cod. de fide & jure hastæ fisc. Lib. X. Baldus in l. si testamentum, C. de testamentis, & in l. rescripta, colum. ultim. Cod. de precibus Imp. offer. Angel. in l. 2. Cod. de quadr. præscript. & in l. si constat, ff. de appellat. Jason. in l. Barbarius, ff. de officio præt. n. 24. & in l. 2. num. 14. Cod. de in jus vocand. & in l. ult. C. si contra jus &c. Jo. Fabri. in l. bene à Zenone, C. de quadr. præscript. Jo. de Platea in l. ultim. C. de Consul. libr. 12. num. 4. Luc. de Penna in l. 2. colum. 2. C. ut rusticani ad nulla obseq. Lib. XI. Ant. Gabriel. Rom. in tract. reg. lib. 3. tit. de jure quæsito non toll. conclus. 2. n. 1. Jac. Menoch. de recuper. poss. remed. 10. n. 111. And. Gailius lib. 2. obs. 56. B. Chassanæus in Catal. gloriæ mundi, par. 5. Consil. 26. L. Schrad. in tract. feud. part. 2. nona princ. sect. 11. n. 26. C. Tapia in rubr. Dig. de constit. Princi. cap. 1. num. 59. P. Ant. de Petra in. d. tract. in 7. quæst. princ. & alii passim.* Maximus est enim Reip. favor & prærogativæ plurimæ, quibus pleraque alia, etiam quæ maximo jure videntur subnixa, cedere coguntur. Ideoque in

5 hujus * gratiam plurima passim concessa inveniuntur, quæ alia penitus prohibentur, *arg. l. famosi, 7. & l. seq. ff. ad leg. Jul. majest. l. ita, 51. in fin. ad leg. Aq. c. Abb. §. ult. ver. præsertim.*

tim, de re judic. in sex. Jo. de Platea, in l. unica, n. 2. C. negotiat. ne militent, & à regulis quoque juris communis ceditur plerunque, *l. potioris, 5. C. de officio rest. provinc.* Unde quidem * & 6
patria potestas publico jure cedit, *l. illud. 5. & l. seq. in pri. ff. quod cujuscunque univer. l. 9. ff. de his, qui sui & alieni jur. sunt*, & parentibus patriam præferendam, dicit glossa 1. *in l. militem, 7. C. de procurat. per l. 1. §. generaliter, in fin. ff. de vent. in poss. mitt. tex. in l. post liminium, §. filius, ff. de capt.* per quem textum dicit Baldus, *in l. qui necessario, ff. de advocatis diver. jud.* quod advocatus filius debet potius advocare pro patria quam patre. Et consentit Angelus *in Instit. de except. §. præterea, n. 6.*
Imo vero ipse * Princeps publicæ utilitati concedere solet, *l. jubemus, 10. C. de S. Eccles. l. ult. C. si contra jus vel util. publ.* Et 7
* universe denique publica utilitas privatæ antefertur, *l. 3. C. de primipilo. lib. 12. gloss. in l. de pupillo, 5. §. si quis, 11. ver. securitates, ff. de op. novi nunt.* quodque communiter omnibus prodest, his quæ specialiter quibusdam utilia sunt præponitur, *auth. res quæ, C. communia de legat.* Utilitas enim publica omnibus, etiam Principis voluntate, potior est, *d. l. militem, 7. C. de procura.* & quod communiter omnibus prodest, subjectorumque commoda, rei suæ privatæ Princeps præferre solet *l. unica, in fin. ubi gloss. C. de caduc. toll.* Non est igitur iniquum, privatos & singulos in gratiam Reip. juris sui rerumve aliquam facere jacturam. Nam ne quis * decipiatur, quod liberis parentes, hoc patriam esse unicuique nostrum, scire debemus. Huic non fortunas tantum nostras possessionesque, sed vitam ipsam & quidquid hanc cariorem facere potest, nos debere natura ipsa docente gentium unanimis consensus recepit. Unde M. Tullius libr. 2. de legibus: Respublica, inquit, nomen universæ civitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus. Et lib. 3. de finibus: Laudandus est is, qui mortem oppetit pro Rep. qui doceat chariorem esse patriam nobis quam nos- 8 9

metipsos. Idem in oratione adversus Catilinam, patriam ait esse communem omnium nostrorum parentem. Itaque tum quidquid nobis adest boni, tum omnia etiam parentum beneficia, à patria in nos proficiscuntur. Quomodo idem Cicero lib. 1. Officiorum: Si contentio quædam, inquit, & comparatio fiat, quibus plurimum sit tribuendum officii, Principes sunt patria & parentes, quorum beneficiis maxime obligati sumus. Quare cum tanta sint in nos patriæ merita & beneficia, quis non vicissim sua omnia in utilitatem hujus necessitatemve expendere velit? Ut rursus idem Cicero, vel alius ad Herennium: Quoniam sunt omnia commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria grave putandum est. Et propter bonum publicum conservandum, unumquemque seipsum exponere debere,
10 ait Abbas *in c. ult. de confirm. utili vel inutili.* Quod si etiam * rectius omnia æstimare velimus, non illud tantum de parentibus colendis Dei & naturæ præceptum, sed omnia alterius Tabulæ mandata, officium nos erga Remp. docent. Dilectio enim proximi nobis præcipitur. Respublica vero quid est aliud, quam cœtus universus proximorum & conjunctissimorum hominum? Huic cœtui nos nostraque debemus. Huic nati sumus: ut idem Cicero ait, & Jureconsultus *in l. 1. generaliter, 15. & ibi gloss. ff.*
11 *de ventre in poss. mit.* Itaque * non adimuntur ista vere cuiquam, quæ Reipub. redduntur magis quam dantur. Nos enim nostraque omnia Reip. sumus. Jus certe illi in rebus singulorum est, *fac. l. 1. C. si propter publ. pensit.* Suum ergo illa repetit. Vicissim cum omnes ita Reip. insiti simus, ut partes, ut membra illius, recte habeamur; & ideo quidquid est Reip. nostrum sit, & quod hujus utilitati impenditur, aut necessitati nobis impendatur, *fac. l. 2. §. & tam publicis, ff. ne quid in loco publ. l. 3. §. ult. cum l. seq. ff. de novi op. nunt.* non auferri nobis, quod nostrum est, sed communicari potius, imo stabiliorem melioremque in usum transferri sequitur. Quemadmodum apud Thucydidem Pericles: ἡγοῦμαι, ait, πόλιν πλέω ξύμπασαν ὀρθουμένην, ὠφελεῖν τοὺς ἰδιώτας, ἢ καθ'

ἕκαστον, τῶν πολιτῶν εὐπραγοῦσαν, ἀθρόαν ἢ σφαλλομένων. Quam ſententiam repetit apud Dion. libr. 38. Jul. Cæſar, in oratione ad milites. Et ante illum M. Valerius Coſ. Rom. apud T. Livium libr. 36. Respublica, inquit, incolumis, & privatas res facile ſalvas præſtat: publica perdendo, tua ne quicquam ſerves. Quod igitur Reip. prodeſt, omnibus, interque hos etiam illi ipſi, cui ademptum videtur, prodeſt. Divino igitur & naturali jure permittente, jubente, res ſingulorum ob Reip. utilitatem neceſſitatemve adimi poſſe, hæc & ſimilia monſtrant. Illa * tamen eſt modera- 12
tio ſervanda, ut quoniam neminem lædere vult Reſp. *l. 2. §. 10. ff. ne quid in loco publ.* & ut à privatis, ſic à Rep. injuriam omnem abeſſe decet: æqualitas hac in parte & pondus ſit idem utriusque partis. Quod ſi enim cum gravi incommodo amittentis, parvoque Reip. emolumento futurum ſit: non debet nec poteſt ſine injuſtitia res privata Reip. vindicari, *fac. l. unica*, §. *ſunt qui putent, ff. ne quid in flum. publ.* Sin vero leve ſit amittentis damnum, aut grave quidem, ſed plurimum publice profuturum: utique illud licebit. Quibus addi poteſt & Bartoli diſtinctio, *in l. 1. col. 5. num. 25. & ſeq. ff. ſol. matrim.* Utcunque * tamen hæc diſtingua- 13
mus, ſuisque & certis limitibus circumſcribamus, Principis tamen juſtitiæ, prudentiæ, pietati, iſta ſunt permittenda. Hic * bonum 14
publicum ſimul ut privatum, Dei item reverentiam & civium amorem, præ oculis habens, ita quod hac in parte ſtatuet, temperabit ac moderabitur, ut non privatos læſiſſe, ſed Reipu. profuiſſe, & quidquid illis ademiſſe videatur, alibi reſtituiſſe inveniatur. Utilitatem enim Princeps ita æſtimare debet, ut nusquam illam ab juſtitia, ab æquitate, ab honeſtate, ſejungat; quæ contra nihil valere Principis poteſtatem ſupra docui. Nimirum eſt apparens quædam utilitas, aut neceſſitas, cum utile quid vel neceſſarium videtur, quod tale revera non eſt. Princeps autem nihil utile æſtimabit, quod cum injuſtitia aut turpitudine conjunctum. Utilitatem enim ſeu neceſſitatem evidentem, veram nec adſcititiam eſſe oportet. Proportio item certa ſeu æſtimatio il-

lius

lius ad rem adimendam eſſe debet. Denique ut non aliter utilitati ſeu neceſſitati publicæ, aut certe non tam commode conſuli
15 potuerit, omnino requiritur. Ideo ſi quando * tali de cauſa rem privato abſtulit Princeps, ceſſante illa cauſa, eandem reddere debet: ut docet Felinus, *in dict. cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtit.*
16 *numer. 22.* Sed * & precium pro re ſolvere tenetur, ut argumento *l. 2. Cod. pro quibus cauſ. ſervi pro præmio lib. accipi. ff. l. vendit. 13. §. 1. communia prædiorum, c. cum inferior, de major. & ob. & ſimilium* colligunt, & communiter dicunt *Archidiac. in c. per principalem 9. q. 3. Pav. de Caſtro in l. digna vox, C. de legib. & in d. l. venditor, Bald. in uſib. feud. tit. de pace firm. §. ad hæc, & in d. l. 2. C. pro quibus cauſ. ſervi, &c. Inno. Hoſti. Jo. An. Felin. Beroius, in d. c. quæ in Eccleſiarum, Jaſ. in d. l. Barbarius, n. 36. & conſ. 46. col. 4. lib. 3. & in l. fi. n. 2. C. ſi contra jus, &c. Bart. in l. fi. §. ult. ff. de pign. act. Afflictus deciſ. 321. n. 17. Everard. in loco à plenitud. poteſt. limit. 11. C. Tapia in rub. Dig. de conſt. Princ. c. 1. n. 75. Menoch. de arb. lib. 1. q. 48. n. 10. A. Gail. lib. 2. obſ. 56. n. 8.*
17 *& plures alii, per hos & alios allegati:* niſi is tamen ſit caſus, * ut Reſp. ob inopiam vel ſimilem cauſam id præſtare non poſſit. Nihilo tamen minus ita Princeps agere debet, ut alio beneficio aut præmio damna iſta compenſet. Quod ſi nec tale fieri queat, privatus, qui bono publico res ſuas devovit dedicavitque, in cœlis certa præmia, in patria laudem & decus ſempiternum ſibi polliceri, eoque damna ſua ſolari debet. Cum enim vitam patriæ reique publicæ impendere teneamur, licet nulla ſit recuperationis aut compenſationis æqualis in hac mortalitate ſpes: quid res noſtras non eidem lubentes volentes dedamus? Cicero in ſomnio Scip. Omnibus, qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certus eſt in cœlo & definitus locus, ubi beati ævo ſempiterno fruantur.

Sic itaque rem, jusque ſubditorum, & inter hæc privilegia quoque, Princeps tali cauſa jubente aut ſuadente minuere vel tol-
18 lere poteſt & ſolet. Exemplo ſunt ſupra dictæ * leges, *ut l. item ſi ver-*

ſi verberatum; *ff. de rei vend. l. Lucius*, *11. ff. de eviction. l. 2. §. ſi quis à Principe*, *ff. ne quid in loco publico*, *l. 2. ff. de natal. reſtit. l. 2. & 3. Cod. pro quibus cauſis ſervi. &c. l. ultim. in fin. ff. de pignorat. act. l. ſi locus*, *14. ff. quemadmodum ſervit. amitt. cum ſimilibus.* In quibus, quamvis non omnia ſcitu neceſſaria expreſſa deſcriptaque habemus, ſecundum hactenus tamen dicta, ex cauſa utilitatis vel neceſſitatis publicæ Principem poſſeſſiones illas resque ademiſſe præſumere debemus. Quanquam enim leges illas in eum finem allegent nonnulli, ut Principem pro lubitu & ſine alia cauſa res ſuas privatis auferre poſſe probent: tamen cum ſolum illæ factum exponant, de jure & cauſis facti nihil adjiciant; in obſcuris & ambiguis illud amplecti debemus, quod juſtitiæ pietatique Principis magis convenire videmus. Ut omittam, quod leges illæ jure id ullo factum non affirmant. Neque enim ibi agitur de poteſtate aut voluntate Principis, ſed de vindicationibus, evictionibus, &c. ponunturque exempla & caſus neceſſitatis visque majoris. Quo genere potuit fieri, ut, in bello præſertim & inter arma, Princeps alicui res ſuas de facto auferret. Neque enim * 19 quidquid faciunt Principes, jure faciunt. Hic autem illud quæritur tantum, quid de jure illi, non quid de facto poſſint? Hac via, inceſtus, parricidia, ſacrilegia, & quidquid in Deum poteſt hominesque flagitii admitti, perpetrare poſſunt: illa, juſta ſolum, honeſta, æqua eis permiſſa commiſſaque creduntur. Quod ad *l. 2. §. ſi quis à Principe*, illam de incommodo parvo accipere gloſſa jubet. Nec ita magna cauſa requiritur, ut Princeps aliquid indulgere vel ſtatuere poſſit, quod levi cum incommodo alterius ſit futurum. Quid enim ſi viro bene de Repub. merito, aut tali loco & officio conſtituto, ut non poſſit ſine magno incommodo ita habitare, in eum modum ædificare permittat, ut nonnihil proſpectui vicini incommodet? In lege vero ſecunda *ff. de natal. ut & in tit. pro quibus cauſ. ſervi, &c.* gravis eſt & aperta juris alieni minuendi cauſa. Ut enim cives bene de Rep. meritos præmiis afficere, eſt æquum, *l. eum qui, 58. C. de decurionibus, Lib. X.*

Tt cum

cum simil. reliquos horum exemplo & præmiis propositis ad idem certamen excitare, utile, *l. 5. §. 3. ff. de jure immunit. l. ult. C. de his qui sponte mun. pub. sub.* (bonos enim non tantum metu pœnarum, sed & præmiorum exhortatione efficere oportet, *l. 1. §.*
20 *1. ff. de justitia & jure*) ita & servos, * & libertinos, & omnes cujuscunque generis homines, præmiis ad Reipub. commoda promovenda instigandos, nemo negaverit. Sunt enim & isti homines, quos æque interdum privatim publiceque usui esse, ac cæterorum quisquam, ratio & exempla testantur. Non est autem aliud, quo magis isti excitari possint, quam libertas & ingenuitas: quæ ut natura omnibus ex æquo convenit: ita naturaliter ab omnibus, etiam à feris, desideratur. Imo non est fere aliud, quod ipsorum proprie bono cedat. Personæ enim & similia Dominorum magis juri cedunt. Libertatis igitur præmio servi ad bene de Dominis suis, deque Rep. merendum, incitandi. Nec tamen pro quolibet merito, sed graviore eis danda. Ut, si quis servus Domini necem ultus sit, aut vitam illius protexerit: æquissimum est, pro tam ingentibus meritis præmium ei libertatis dari, *l. 1. C. pro quibus causis servi.* Ita servi, monetæ adulteratores aut virginum raptores in publicum deferentes, libertatem & civitatem etiam Romanam accipiunt, *l. 2. & 3. ibid.* Nihilo tamen minus, quod jam antea monuimus, precium Domini recipere debent, *d. l. 2.* nec facile Principes istis talia præmia distribuere debent, nisi consentiente Domino vel Patrono, *d. l. 2. ff. de natal. restit.*

21 Sed & alia exempla proferre non abs re erit. Nempe * cum via publica vel fluminis impetu vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare tenetur, *l. si locus, 14. §. 1. ff. quemadmod. servit. amitt.* Itaque in usum publicum & necessarium privatus jure suo nonnihil cedere cogitur: tum quia Reipub. æquum est talia largiri, tum quia proximus est viæ. Nam & universe unusquisque vias publicas ante domum suam construere, & aquæductus purgare tenetur, *l. unica, §. construat, ff. de via publica, l. in summa, 6. de pignor.* Quod quidem jus ne rustici quidem nostri & rheda-

rhedarii ignorant: adeo ut per segetem quandoque illius currum agere non vereantur, qui viam juxta agrum suum non munivit.

Ita * ædificia vel opera mœnibus aut operibus publicis ita 22 cohærentia, ut ex his incendium vel insidias vicinitas reformidet, aut angustentur spatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo, dirui ac prosterni jubet Imp. *in l. ædificia, 14. C. de oper. publ l. si cui, 9. C. de ædific. priv.* Id quod optimo jure fieri potest, cum publicæ securitati & commoditati res privatorum non debeant obstare. Itaque non esse iniquum experimur, Principes ædificia munitioni urbis atque tutelæ noxia demoliri quandoque; dum illud considerato fiat, & damna his, quatenus fieri possit, restituantur. Bello certe aut obsidione imminente, æquissimum est, removere atque amoliri quidquid vel obsessis obstaculo aut hostibus usui esse potest. Nec saluti * tantum, sed ornatui quoque, fa- 23 ciei, atque decori urbis consulendum. Hæc enim non commodiorem tantum solent civibus reddere vitam, sed inprimis etiam majestatem quandam & venerationem tam inter suos quam externos, res non parvi in omnem partem momenti gignere solent. Qua ratione motus Imperator, dirui omnia, quæ per diversas urbes, vel in foro, vel in publico, quocunque loco contra ornatum & commodum ac decoram faciem extructa noscuntur; *l. præscriptio, 6. C. de oper. publ.* Id quod eo justius facere potest, quia civitatem ad commoditatem simul & decorem ædificatam esse, juris est publici, *d. l. & l. 2. §. si quis nemine, ff. ne quid in loco publ.* adversus quod nemo ædificando præscribere potest, *d. l præscriptio.* Et ea re sibi imputet, qui contra usum publicum ornatumve ædificavit. *fac. l. si cui, 9. ff. de ædific. privat.* Hac enim causa etiam, licet alioquin quisque re sua pro voluntate uti possit, nec cuiquam sit jus suum detrahendum, *l. 2. ff de his, qui sui vel alieni juris sunt*, tamen nec Dominis ita de alia domo in aliam transferre licet, ut integris ædificiis depositis publicus deformetur aspectus, *l. 2. Cod. de ædific. privat.*

Huc pertinet illa vulgaris communisque etiam Doctorum

Tt 2 con-

24 conclusio, * Principem damna privatis & subditis occasione belli illata, in pacis articulis & conditionibus remittere posse, siquidem alia ratione pax impetrari nequeat, *tex. in cap. in nostra, ubi Dd. de injur. fac. l. conventionum, in fine, ubi Bald. Angel. Jas. & Dd. ff. de pactis, Hostien. in summa, in tit. de pœnitentia, §. quibus & qualiter, n. 62. ver. sed pono, Bald. & Angel. in l. Antiochensium, ff. de privil. creditorum, Anchar. in cap. peccatum, col. 16. in fi. de reg. jur. lib. sex. Afflictus decis. 361. n. 4. & seq. & in cap. 1. §. similiter, nu. 21. de capit. qui cur. vend. Dd. in l. bene à Zenone, C. de quadr. præscript. & in cap. quæ in Ecclesiarum, de constitut. Jas. in l. Barbarius, n. 25. & seq. ff. de officio præf. urbi. & in d. l. conventionum, & in l. venia, n. 14. Cod. de in jus voc. Dec. cons. in causa Pistoriensi 520. n. 4.* communem dicens. *Vasquius illu. controver. lib. 1. c. 4. n. 11. Jul. Clarus in pract. crim. §. fin. quæst. 59.* itidem communem dicens: pluribus *An. Gailius lib. 2. obs. 57. & P. Ant. de Petra in tract. de potest. Princ. in sept. quæst. princ. in 7. declar. item in nono & in decimo exemplo, &c.* Ratio seu causa ob quam jure suo ex tali pactione privati spoliantur, præstantissimum est dulcissimæ pacis bonum, quam non opus est, laudare: cum omnes illam boni & ament & optent, ejusque causa omnia plerunque alia fortunæ bona in discrimen committere non dubitent. Cur enim bella gerimus, nisi hujus causa? Merito igitur hujus consequendæ stabiliendæque causa privati damna sua Reipub. condonare debent. Equidem si qua commode fieri potest, & his solatia aliqua Princeps adinvenire tenetur. Sed enim illud est longe potissimum hic considerandum, ut tunc demum tali conditione pax ineatur, si alia via haberi nequeat: ut censent etiam Imo. *in cap. quanto, num. 3. de jurejurand. & in d. cap. in nostra, Capic. decis. 166. numer. 6. Jason in l. Gallus, §. & quid si tantum, in 2. lect. ff. de lib. & posthum.* & plures alii, quos allegat idem Ant. de Petra *in d. loco, d. declarat. 7.* ut & de prædictis plerique. Si enim utrumque Princeps obtinere possit, iniquissimus profecto fuerit, nisi id fecerit. Sin alterutro carere necesse sit, quis non æquius justiusque censuerit

fuerit, pacem & publicum bonum paucorum damnis anteferri? præſertim cum altera via nihilo magis res ſingulorum recuperentur: imo ne privata ſimul & publica peſſumeant, periculum ſit. Loquor autem de pace certa & neceſſaria. Aliquando enim ſubdola nobis & plus bello nocitura pax oſtenditur: aliquando ita res noſtræ hoſtiumque comparatæ ſunt, ut bellum continuare, quam pacem facere melius ſit. Quanquam cum tali loco ſunt res noſtræ, pacis quoque interdum arbitrium in manu ſit noſtra.

Illud * non magnopere hic æſtimandum putaverim, quod 25 tamen præcipui in tali quæſtione momenti videtur A. Gailo *in d. obſerv. 57.* juſtisne de cauſis, an privato odio, cupiditate, crudelitate, bellum fuerit cœptum? Neque enim tali caſu, quomodo inciderimus diſcrimini, ſed quomodo emergamus, quæritur. Et quicunque nos caſus vel culpa bello implicuerit, tamen poſtquam factum infectum fieri nequit, quomodo quam minimo noſtro damno priſtinum bonum pacemque recipiamus, laborandum eſt. Non hoc dico, juſtum eſſe bellum, quod injuſta eſt cauſa conflatum: ſed dico, ex omni bello quam maxime tolerabili conditione nobis enitendum. Nam & qui vulneratus eſt, obligari vulnera ſua quam primum & quam diligentiſſime curat, nec utrum ipſe, an alius cauſam certamini dederit, quæritat prius.

Simile eſt, quando * Princeps pro bono publico reſtituit 26 bannitum ad bona alienata, quod fieri poſſe, ſecundum communem opinionem tradit Petra *d. loco, caſu, 18. &c.* Quod nec ego abnuerim, dum ſecundum prius traditas conditiones omnia ſint comparata: ut nimirum ante omnia ſumma atque expreſſa Reipub. utilitas aut neceſſitas inevitabilis hoc flagitet, & illis, in quos bona illa tranſlata fuerant, reddito precio vel aliter ſatisfiat: niſi ne hoc quidem Reipub. fortuna permittat. Fieri enim poteſt, ut pulſi bonisque ſpoliati cives adeo potentes, in easque Remp. anguſtias adigant, ut vel excidium extremaque omnia expectare, vel tali conditione pacem impetrare cogatur.

27 Ita licet nemo * invitus rem suam vendere cogatur, per *l. invitum, & ibi not. per gloss. C. ne contrahend. empt.* nihilo tamen minus tempore famis & charitatis publicæ, Princeps eos, qui annonam & res ad victum pertinenteis habent, cogere potest, ut vendant, & quidem justo & definito precio vendant. Ita communiter Dd. argumento *l. 1. Cod. de Episcopali audient. & in cap. 1. de empt. & vendit. Bart. in l. 1. §. cura carnis, ff. de offic. præfect. urbi. per illum textum, & per l. 2. §. cum in eadem, ff. ad leg. Rhod. & in l. annonam, ff. de extraordin. crim. Luc. de Penna, in l. 1. Cod. de quibus mun. rem. liceat se excusat. Lib. X. Bald. in l. si pendentes, §. si quid cloacarii, num. 2. ff. de usufruct. Jas. in l. 1. num. 6. ff. de legibus, Cravetta de antiq. temp. in 4. parte, §. circa præmissa num. 6. Ripa in tract. de peste, tit. de remed. præserv. n. 195. & seqq. pluribus num. Didac. Covar. lib. 3. var. resol. cap. 14. Jac. Menoch. de arbitr. jud. casu 462. n. 13. Mynsing. cent. 5. obser: 27. P. Ant. de Petra, in d. loco, casu 14. & cap. 15. spec. 358. &c.* Idque etiam in Imperiali judicio approbatum, Mynsingerus ibidem affirmat. Et quidem Bart. *in d. §. cura carnis,* tempore necessitatis & charitatis ad vendendum etiam minus justo precio hosce cogi, ait: extra vero tempus illud, si quæratur de his rebus, quæ sunt ad communem usum, ut carnes, frumentum, & similia, tunc justo precio eos vendere cogi. Quem tamen secundum *l. precia rerum, 63. ff. ad legem falcidiam,* intelligendum, recte Petra *d. l.* monet. Minus enim justo precio Bartolo venditur, quod minore, quam ob caritatem & inopiam præsentem fieri posset, precio venditur. Justum vero precium illud, quod plerunque & mediocribus annis, aut apud cæteros, qui res venales habent, receptum suetumque intelligitur. Sed talia definiri non possunt. Illud retineatur, Principem tempore famis omnes, qui plus quam sibi opus sit victualium possident, cogere posse, ut superflua vendant, & justo precio, hoc est, minoris quam illa necessitate coacti emerent, vendant.

His

His * cohæret, quod etiam extra necessitatem & inopiam, illos, qui res venales habent, ut justo precio omnia vendant, Princeps imperio adigere potest: secundum Bart. *in d. §. cura carnis*; *text. in d. l. 1. C. de Episc. audient. Mynsing. d. obser. 27. in fin.* Quamvis enim suæ rei legem quisque dicere possit; *l. ob res, 20. §. 1. ff. de pactis dot.* & suæ quisque rei arbiter sit ac moderator; *l. in re, 21. C. de mandato, l. 2. ff. de his, qui sui vel alieni juris sunt*, justumque sua cuique committere, *l. nemo 9. C. de Jud.* charitas tamen proximi divino mandato sancita, omnium harum actionum fundamentum & regula, unumquemque re sua bene uti; *d. l. 2.* & tam aliorum hominum, quam sua propria commoda spectare jubet. Jure igitur Principes istos cogere possunt, ut non quanto possunt, sed quanto est æquum, res suas precio vendant. 28

In contrarium * licet emere nemo teneatur invitus, *l. nec emere, 16. C. de jure deliber*, tamen si Resp. habeat frumenta, annonas, aut simile, omnes emere debere, ait Bart. *in l. 1. C. ut nemini liceat ab empt. spec. &c.* Quod iterum verum puto, si quidem necessitas id publica flagitet, & sine magno ementium damno, licet cum molestia aliqua aut onere, id fieri possit. Alioquin compendium simpliciter suum Princeps facere velit, nullo jure id facturum, sciendum est. 29

Notandum vero hoc loco, cum Principis * salus sit salus 30
subditorum, secundum Joh. de Platea, *in l. 1. C. de veteran. n. 2.* & vinculum ille sit, per quod Resp. cohæret, ut Seneca ait, *lib. 1. de Clement. ca. 4.* imo caput Reipub. & patriæ Pater, *l. ult. ff. de interdict. & releg.* quod Principis * causa fit, publicæ uti- 31
litatis bonique causa fieri. Sic enim Seneca *d. loco*: Si sanis hominibus, inquit, publica privatis potiora sunt, sequitur, ut is quoque charior sit, in quem se Resp. convertit. Olim enim ita se induit Reip. Cæsar, ut diduci alterum non posset, sine utriusque pernicie. Nam ut illi viribus opus est, ita & huic capite. Quæ ut verissima sunt, ita * prudenter sunt & caute ac- 32
cipien-

cipienda: unaque adeo hac finitione satis circumscribi videntur, illa demum huc pertinere, quæ Principem, ut Principem, hoc est, quatenus ille Princeps est caput & parens Reipublicæ,
33 attingunt. Alioquin enim * quod communiter omnibus prodest, & subjectorum commoda rei suæ privatæ Princeps præferre solet, *l. unica in fine, ubi gloss. C. de caduc. tollend.* Utilitas namque publica omnibus, etiam Principis voluntate, potior est, *l. militem, 7. C. de procur. l. jubemus, 10. C. de S. Eccles. l. ult. C. si contra jus vel util. publ.*

34 Quo pertinet & honor * seu dignitas publica, cujus servandæ amplificandæque causa privatorum jura imminuere licitum, docet Luc. de Penna *in l. ult. n. 97. C. de locat. prad. ci-*
35 *vil. Lib. XI.* Qui idem, * sicut pro utilitate publica potest Princeps bona privatorum auferre cum solutione precii, ita magis pro honore suo id eum facere posse, ait *in l. 2. col. 2. C. ut rusticani ad nul. obseq. devo. lib. eod. allegans l. ult. C. de quadrien.*
36 *præscript.* Quod quidem * secundum prædicta est accipiendum, ut dignitati Principis, quatenus est Princeps, non privatæ ambitioni, pervicaciæ, aut injustitiæ hominis ista permittantur. Oportet etiam, quod supra monui, honorem publicum, seu, quod illo continetur, Principis, cum re seu jure quod minuitur, ejusdem ut minimum, aut etiam majoris ponderis esse. Si enim leviter agatur istorum dignitas, indignum est, grave ideo privatos accipere detrimentum. Hac autem de
37 causa * etiam rigorem injustum propter honorem Principis sustineri, ait B. Chassan. *in Catalogo gloria mundi, par. 5. consid. 26. argum. l. eleganter, 23. §. si quis potest, ff. de condict. indeb. l. cum plures, 12. §. 1. ff. de administrat. tut.* Quod quidem & ego quanquam necessarium esse puto, cum Princeps sine dolo, nec malo animo, sed per imprudentiam, calorem aut casum aliquem læsit. Agitur enim tali casu existimatio Principis & auctoritas, quam intactam & circa contemptum conservari, non ipsius tantum, sed & Reipub. interest. Condonet itaque læsus

læſus injuriam Reipublicæ, & in ejus gratiam, cui omnia debet, aliquid perferre patique æquo animo non gravetur. Quod ſi * tamen gravis ſit injuria & memorabile privato da- 38
mnum illatum, Principem omni modo revocare errorem ſuum ac corrigere decet. Si itaque * publice ſit nota injuria 39
Principis, conſultiſſimum, publice & omnibus intelligentibus & fateri lapſum & emendare. Quia enim in talibus ad unum calamitas, ad omnes exemplum pertinet, non tam errore ſuo paucos offenderit, quam pulcherrimo facto omnium ſibi animos admirandum in modum devinxerit. Clariſſime enim & certiſſime Principis ſui juſtitiam cernent, plurimumque amabunt & venerabuntur. Quod ſi vero non eſt ita omnibus notum Principis factum; ſatius eſt, non vulgare illud, Principem vero læſo aliter ſatisfacere, ut ipſi pro injuria jus reddatur animusque etiam illius Principi ſuo concilietur. Quod quidem ut Deo eſſe acceptum & juſtitiæ conveniens, non dubitatur, ita ſecuritati Principis multum conducit. Plurima * enim exempla 40
habemus, quibus Principes à privatis, quos læſerunt, nec injurias eorum, doloremve ad animum admiſerunt, ingentibus damnis affectos, imo vita etiam aliquando & imperio ſpoliatos conſtat. Regem Franciæ Franciſcum Primum, à nullis majora detrimenta cladesque paſſum, quam ab illis, quos offendit aut repudiavit: ſcribit M. Bellajus lib. 1. commentar. Conſilium* etiam tali caſu Principibus dedit Macedoniæ Rex Phi- 41
lippus, qui cum Machætam injuſta ſententia condemnaſſet, ſententiam quidem non reſcidit, ſed pecuniam, in quam ille condemnatus fuerat, ipſe ſolvit.

Ad jus ſeu rem * publicam pertinet inprimis religio, quæ- 42
que ad numinis reverentiam vel cultum ſpectant: ut & cætera pietatem aliquam continentia. Sic enim ſi quis ſepulchrum habeat, viam vero ad ſepulchrum non habeat, præſes vicinum compellere debet, ut iter illi juſto precio præſtet, *l. ſi quis ſepulchrum, 12. in principio, ff. de religioſ. & ſumpt. fun.* ſine tamen

magno hujus detrimento, *d. l.* Nam & alias Ecclesia, quæ est cultrix justitiæ, non vult alieno juri præjudicare. Quo pertinet inprimis exemplum Beati Augustini, de quo in capit. *quicunque, 17. quæstion. 4.* ut & alia, quæ de privilegiis Ecclesiarum, clericorum, & piarum causarum scribuntur.

43 Ob delicta item * res suas & jura privatis Principem adimere posse, communis est juris sententia, *fac. tot. tit. Cod. bonis proscript. seu dam. Baldus in l. 1. Cod. ex quibus causis servi. &c. Felin. in d. cap. quæ in Ecclesiarum, de constit. num. 28.* quo de genere infra cap.... plura dicentur. Certe enim pœnis delicta plecti tam utile est, quam necessarium: nec posse aliter exigi pœnas, quam ex corpore vel rebus delinquentis constat.

Plura hujus generis exempla habes apud Felin. *in d. cap. quæ in Ecclesiarum, col. 10. & seq. & apud Ant. de Petra, in d. tractat. quæst. princip. 8. per totum, & alibi passim.* Sed & causæ, ut ex prædictis apparet, & sequentia docebunt, aliæ ac plures esse possunt, ob quas bona & jura civium suorum Principis minuere aut tollere possunt. Hæc enim exempli magis gratia, utique quid in aliis sequendum facilius intelligeretur, adduximus.

44 Illud maxime ex hisce * discendum, ut alia jura, ita privilegia quoque omnia cujuscunque sint generis, Principem ex justa & legitima causa tollere ac minuere posse: ita tamen, ut secundum *l. nihil tam naturale, ff. de regulis juris,* tanto minorem ac leviorem ob causam adimere unumquodque possit, quanto leviore causa ac vinculo contractum colligatumque
45 est. Ita * enim facilius tolluntur privilegia ad postulationem concessa, quam quæ motu proprio data sunt: ut docent *Joh. de Platea in l. his quidem, 5. qui militare possunt vel non, Jo. Mynsing. observat. cent. 4. obs. 8. num. 4. fac. l. 1. Cod. de petit. bon. subl. & maxime illa, quæ dicta sunt supra libr. 1. cap.... num....* facilius
46 quod * privatis competit, quam quod publice, *l. 1. Cod. de navibus non excusand. Lib. XI. l. 2. ibi, ne sub prætextu concessi privi-*

legii

legii publica vacillet auctoritas, *Cod. de privil. scholar. Lib. XII. auth. res quæ ibi*, *quæ communiter omnibus prosunt*, *his quæ specialiter quibusdam utilia sunt*, *præponimus*, *Cod. commun. de legatis*, *l. actione*, *65. §. Labeo*, *5. ff. pro socio*, *auth. de non alienan. rebus Eccles. §. quia vero verisimile*, *ver. ultim. l. quod bonis*, *15. §. 1. ff. ad leg. falcid. l. nam quod*, *14. ff. ad Trebellian. &c.* facilius quod in universorum, quam quod in singulorum incommodum cedit, *gloss. in l. 2. in ver. perennia*, *Cod. de diver. rescript.* facilius, quod * subdito datum est, quam non subdito : ut quidem volunt *gloss.* 47
in cap. decet, *de regulis juris*, *lib. 6. Abbas in cap. novit ille*, *de judiciis*, *Joh. Fabr. Instit. de jure naturali*, *§. sed naturalia*, *num. 4. Æg. Boss. de criminal. pag. 53. num. 15. Jac. Menoch. de præsump. lib. 2. præs. 25. num. 29. A. Gailius lib. 2. obs. 60. num. ultim.* facilius quod nuda * voluntate per gratiam seu beneficium, quam 48
quod per contractum collatum est. Talia ut levi occasione nata sunt, ita levi quoque de causa rumpuntur, *l. fin. §. ait lex*, *ff. de dissort. gloss. in l. pen. ff. de decret. ab ordine fac.* nam quod nuda voluntate datum est, ex eadem adimi potest, ut vult *l. in fraudem*, *15. §. 1. ff. de testament. mil.* Itaque * talia privi- 49
legia & concessiones levissime, imo nullam ob causam, auferri solere & posse, censent Dd. quos allegant Menoch. *de arbitr. jud. quæst. lib. 1. quæst. 48. num. ultim. & P. Anton. de Petra in tractat. de jure quæsito, non toll. cap. 24. num. 219. usque ad num. 229. cap. 25. in princ. & C. Tapia in l. fin. ff. de constit. Princip. capit. 9. part. 2. num. 56.*

CAPUT VII.

Principem non posse sine omni causa privilegium ullum abrogare, nec quidquam agere sine ratione, docemur.

BREVIARIUM.

1. Nulla omnino privilegia absque omni causa adimi posse, monstratur.

2. *Fidem à Principe religiose servandam, multis argumentis probatur.*
3. *Princeps unam habeat linguam, & unum calamum, & sit immobilis, sicut lapis angularis & polus in cœlo.*
4. *Quod non decet Principem, hoc facere non potest.*
5. *Cælestinus Papa de mane faciebat gratiam, & de sero revocabat.*
6. *Princeps nihil sine causa & ratione faciat.*
7. *Deus & natura nihil faciunt frustra.*
8. *Quidquid agimus, cum causa & ratione agere debemus.*
9. *Ubi ratio abest, justitia abest & honestas.*
10. *Princeps rationi se subjiciat.*
11. *Quæ ratio hic vel causa accipiatur?*
12. *In Principe præsumitur causa.*

1 EGO tamen * nec ista nec ulla omnino privilegia absque omni causa adimi debere judico. Non solum quoniam, ut supra dixi, jus quæsitum sine causa sufficiente nemini eripi debet; privilegio autem sive per donationem & liberalitatem, sive aliter quæsito, jus nobis quæsitum omnino est:
2 verum etiam, * & quidem inprimis, ob existimationem fidemque Principis, quæ ex tali facto labem accipere possunt. Nemo enim principali auctoritate circumscribendus est, *l. 1. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* nec quidquam est, quod clariore lumine refulgeat, quam recta fides in Principe, *l. inter clar. C. de summa Trinit. Hyppol. de Marsil. singul. 166.* Nam si privatis turpe est, fidem datam semelque promissa ac donata revocare & levitati donationem revocare cupientium jure occurritur, *l. si repetendi, 7. C. de condict. ob caus. dat.* multo id magis in publica persona fœdum existit. Omne enim animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto major qui peccat habetur. Fides item pactorum & quæ inter aliquos placuerunt, juris est naturalis, *l. 1. in princ. ff. de pactis*, cui Principes æque ac cæteri homines subjiciuntur.
3 Hic * itaque unam habeat linguam & unum calamum, secundum illud: Quæ processerunt de facie mea, non faciam irrita: & sit immobilis sicut lapis angularis & polus in cœlo : ut jubent Baldus

Baldus *in conf. pridie enim, 327. n. 4. vol. 1. Angel. in l. officium, n. 2. in fin. ff. de rei vindic. Boffius in tract. crim. tit. de Principe, n. 18. & seq. Decius in l. nemo potest, ff. de regul. jur.* ubi addit, Principibus convenire illud verbum; femel locutus eft Deus; &, Quod fcripfi, fcripfi. Quibbus adde B. Chaffanæum *in Catal. gloriæ mundi, par. 5. confid. 13.* Nec * momentum habet, quod quidam putant, decere quidem illud Principem, fed hoc tamen poffe eum: 4
ut *Boffius in tit. de Principe, num. 13.* quod enim non decet Principem, nec poffe quidem ajo. Quod fi item aliorum donationes refcripto fuo refcindi fe indignum judicat Princeps, *l. fi donationem, C. de revocand. donat.* multo minus proprias revocari atque aboleri leviter patietur. Itaque * Cœleftinum Papam, qui de mane faciebat gratiam, & de fero revocabat, reprehendit Bald. *in capit. 1. de natura feudi, quem allegat Felin. in c. ex epiftolæ, de probation.* Cui confentiunt Abbas *in addit. ad cap. de adulter. de judic. & Jo. Andr. in cap. ad monafterium, de ftatu regul.* qui dictum Innoc. *in d. cap.* quod conditori canonum liceat contra fuam conftitutionem difpenfare etiam fine caufa, limitandum dicunt, cum conftitutio tranfiit in privilegium aut contractum. Ac licet conceffio Principis gratiofa fit, poftquam tamen eam conceffit & expedivit in favorem alicujus, non poffe fine injuria ipfius tolli jus quæfitum, refpondit Caftren. *in conf. vifis & ponderatis omnibus, ad fin. par. 3.* Quo pertinent illa omnia quibus Principem jus remque fuam nemini fine caufa auferre poffe, fupra *cap. 5.* oftendi. Quin * imo & univerfe nihil illum fine caufa & ratione facere debere dico, *fac. l. 1. C. de fent. & interlocut. om. judic. & l. 9. §. ult. cum l. feq. ff. de minoribus, l. omnes, qui ubique, 33. §. pen. ibi, diverfa ratione, C. de Epifcopis, l. facris noftris, 47. in fine princ. ibid. l. pen. in fine, C. de inofficiof. don. l. antiquitas, 14. circ. fin. C. de ufufruct. &c.* Non quod ipfe omnium quæ agit, rationem nobis caufamque reddere teneatur, fed quod Deo. Nam & hic nihil fine caufa & ratione agit, unde vulgo invaluit, Deum * & 7
naturam nihil facere fruftra. Imo * unusquisque noftrum, quæ- 8

cunque agit, cum causa & ratione agere debet. Quo enim alio à bestiis discrepabimus, si impetu solo aut cupidine agemur? Et cum de unoquoque supervacuo & inani verbulo nobis rationem reddendam fore universis prædixerit Christus Servator: quid Principi, cui tantarum rerum curam administrationemque imposuit Deus, ex supervacuo aut pro libidine sine ratione agere
9 permissum dicemus? Res * ipsa docet, ubi ratio abest, nihil vel justum vel honestum geri posse. Non potest enim justum esse vel æquum, quod sine causa fit, nec peccato carere, quod sine ratione geritur. Nec ita comparati sumus, ut medias aliquas actiones inter virtutes & vitia edere possimus. Quidquid agimus, aut horum aut illorum imperium subit. Quod autem sine ratione fit, virtute geri nemo dicet; virtutem quippe nihil aliud quam rectam rationem, & omnes virtutes rationes, Seneca ait in Epist. LXVII. In vitio igitur erit. Quis est vero, à quo tantum vitia omnia atque peccata abesse, & deceat & necesse sit, ut à Principe?
10 Et cum * ratio summum sit inter humana bonum, quo non feras tantum præcellimus, sed in vita universa omnibusque actionibus tam publicis quam privatis hac præcipue duce regamur: quis non Principem, cui omnia subsunt, huic soli subesse, & ut cæcum alioquin futurum, lapsurumque hujus per omnia ductum & imperium sequi debere, dicet? Unde idem ille Seneca: Si vis tibi omnia esse subjecta, te subjice rationi; multos reges, si ratio te rexerit. Principi igitur nihil sine causa aut ratione agendum. Cum
11 autem * rationem dico, rectam dico, & cum causam requiro, justam requiro. Prava enim ratio, non est ratio: & causa iniqua, non est causa. Nec refert, non fiat aliquid, an male fiat, *l. filius, 14. §. 1. ff. de falsis, l. 4. §. antepenultim. ff. de re judic. l. quotiens, 6. ff. qui satisd. cog. l. de ætate, 11. §. nihil, ff. de interrogat. l. non erit, 5. § penultim. ff. de jurejurand. l. 3. §. 1. ff. commodati, l. eleganter, 24. ff. de pignor. actio. l. 2. ff. de auctor. & conf. tutorum.* Quæ illo pertinent omnia, ut neque de privilegiis quidquam sine causa
12 & ratione Principem statuere debere, credamus. Nos interim, * si quan-

si quando causam facti ejus nullam videmus, certa tamen causa motum præsumere, ut dixi, debemus. Licet enim Princeps non possit tollere ea, quæ sunt juris gentium, sine causa, tamen si facit, præsumitur in eo causa: ut not. Abbas *in c. susceptis, de causa & poss. & Dd. in l. ult. C. si contra jus vel. util. public.*

CAPUT VIII.

Principis potestas in privilegiis, quæ contractus formam obtinent, abrogandis, describitur.

BREVIARIUM.

1. *Quæ privilegia in contractum transisse credantur, indicatur.*
2. *In his idem jus, quod in contractibus servandum, & num 43.*
3. *Privilegia non subditis data non protinus his, quæ contractus naturam obtinent, æquanda.*
4. *Nunquam datur privilegium, nisi subdito.*
5. *Legibus pactorum, conventionum, contractuum Princeps æque ut alius obligatur.*
6. *Quod multis argumentis probatur.*
7. *Pacta & conventiones jure naturali nituntur.*
8. *Nihil tam congruum est fidei humanæ, quam ea, quæ inter aliquos placuerunt, servari.*
9. *Species contractuum & obligationum jure gentium inventa sunt.*
10. *Genus ipsum naturali jure nititur.*
11. *Hosti servanda fides.*
12. *Et universe omnibus.*
13. *Tria Romanos fecerunt rerum Dominos, sanum consilium, paupertas privata, & fides.*
14. *Fides Principi ab Imp. Carolo V. commendata.*
15. *Veritas in ore Principis firmior esse debet, quam cæterorum.*
16. *Principibus præcipua rerum ad famam dirigenda, num. 28.*
17. *Princeps unam habeat linguam, unum calamum, & sit immobilis, ut lapis angularis & polus in cælo.*

18. Con-

18. *Contractus Principis bonæ fidei censetur esse, quamvis alioquin stricti sint juris.*
19. *Princeps ut fidem servet, contractus servare debet.*
20. *Principem in contractibus ut privatum considerari, & jure privato uti, ajunt quidam.*
21. *Quod negatur.*
22. *Multos enim contractus Princeps, ut Princeps, non ut privatus, init.*
23. *Publici & ratione dignitatis initi contractus ad successores transeunt.*
24. *Imperiales contractus legis vicem obtinent.*
25. *Fides publica perire non debet.*
26. *Princeps plurimis legibus, & inter has contractuum quoque legibus subjectus est.*
27. *Imp. possessiones à fisco suo comparatas, nullo jure à se retrahi posse ait.*
29. *Princeps magis ab illicitis abstinere debet, quam alii.*
30. *Princeps, etiam ut Princeps, sæpius utitur eodem cum privatis jure.*
31. *Imo, plerunque potius huic obligatur.*
32. *Itaque etiam in contractu.*
33. *Pactum nudum Principis ad producendam actionem efficax est.*
34. *Stipulatio alteri facta valet Principe interveniente.*
35. *Obligatio descendens ex contractu Principis est semper præcisa.*
36. *Beneficia sua Principes interpretari solent, non contractus.*
37. *Donatio quoque non minus quam contractus vim legis habet.*
38. *Beneficium Imperatoris plenissime interpretari decet.*
39. *Idque diuturnum esse oportet.*
40. *Princeps Fidem non servans, fidem sperare non potest.*
41. *Quovis exilio gravior pœna est, inter homines versari, & hominum carere commercio.*
42. *Ipsi Principes contractibus se obligari testati sunt.*
44. *Princeps contractus revocare potest, secundum naturam contractus.*
45. *Sine causa nullum, cum causa tamen justa omnia privilegia Princeps tollere potest.*

HÆC omnia cum in his observentur, multo in illo privilegiorum genere, quod in contractum transiit verio-ra

ra erunt. In contractum * transire judicandum omne privilegium, in quo factum, datum, vel obligatio aliqua reciproca, seu compensativa intervenit, Bald. *in l. qui se patris, C. unde liberi. Franc. Aretin. in c. novit, & ibi Felin. n. 8. de judic. Jason. in consil. 56. col. ult. lib. 1. Alb. Brun. consil. 97. n. 3. P. de Castro in l. digna vox. C. de legibus, Alex. consil. 101. col. 1. & 2. par. 1. & consil. 216. col. 2. par. 2. Ruinus. consil. 217. col. 3. lib. 2. A. Cravetta de antiquit. temp. par. 1. §. circa primam, num. 56. A Tiraquellus in l. si unquam, in verb. donatione largitus, num. 14. C. de revocand. donat.* idque etiamsi Princeps utatur verbo, *Indulgemus*, vel simili: ut ait Bart. *in d. l. qui se patris, col. antepen.* Quibus annumerant etiam illa privilegia, quæ ob merita dantur, Tiraquell. *ibid. Cravetta ibid. n. 54. Gozad. consil. 5. n. 11. & num. 23. consf. 101. num. 8. & plures alii, quæ isti, ut & C. Tapia in l. fin. ff. de constit. Princip. par. 2. cap. 9. n. 6. allegant.* Certe privilegium remuneratorium cuicunque datum esse irrevocabile, ait Joan. Andr. *in c. novit ille, quem allegat ibi Felin. de judic. per text. in. l. si pater, §. 1. ff. de don.* ubi Bart. dicit, quod donatio remuneratoria est irrevocabilis & non insinuatur. Quod sequuntur etiam Tiraqu. *in d. l. & verbo. Ripa in ead. l. Baldus in l. si cum mihi. ff. de dolo, Jason in l. ex hoc jure, n. 5. ff. de justit. & jure, Afflictus in cap. 1. n. 24. de natura feudi, & plures, quos allegat Eman. Soarez in thesauro recept. sentent. in verbo donatio, n. 233. & seqq.* In his igitur idem * jus, quod de contractibus statuendum, docent Bald. *in d. l. qui se patris, col. 3. Bart. in l. 2. n. 6. ff. de jure immunit. & in l. quod semel. ff. de decret. ab ord. fac. Alex. consf. 192. lib. 2. Felin. & Aret. in d. cap. novit ille, Ruinus, consf. 196. n. 8. lib. 1. Alb. Brunnus consf. 114. n. 257.* Nam * licet eodem jure censeri privilegia non subditis data, velint Andr. *Aretin. Felin. in d. c. novit ille, per text. in c. 1. de probat. Cardin. consil. 147. col. ult. Innocent. in c. in nostra de injur. Alex. in d. consf. 101. col. 1. & 2. & alii:* ego tamen his nunquam assentiar. Etenim si maxime (quo illi argumento moventur) privilegia talia non magis, quam quæ per

1

2

3

Xx contra-

contractum fiunt revocari posse verum sit; de quo tamen infra dicendum: non ideo sequitur, talia privilegia omnia ob hoc unum contractus titulo æstimari. Et non multum differre, quæ non subditis dantur privilegia, ab aliis, ostendam infra lib... cap... num...
4 Nam * si vera dicere volumus, nunquam datur privilegium, nisi subdito. Cui enim privilegium datur, à jure communi eximentis eximitur: & ideo illius juri subjectus fuerit oportet. Itaque quandocunque etiam alienæ Reipub. civibus aut subditis Principes privilegia tribuunt, non faciunt hoc, nisi illis casibus aut temporibus, quibus jurisdictioni eorum & imperio subjiciuntur. His ita positis, privilegia talia contractus naturam habentia Principem non perinde ut cætera imminuere aut tollere posse
5 sequitur. Legibus * enim pactorum, conventionum, contractuum, Principem æque ut alium quemque obligari, sentiunt communiter Abbas, *Decius, Felinus, Imola, And. de Butr. Beroi. & Dd. in cap. 1. de probat. Cynus, Bart. Bald. Paul. de Castro, Fulgos. & Dd. in d. l. digna vox, Bald. & Dd. in cap. 1. de natura feudi, in usibus feud. Bald. Alvarot. Præpos. & Matth. de Afflict. in c. 1. §. notandum, de his, qui feuda dare pos. Bald. & Jas. in l. 1. ff. de pact. Grammat. decis. 65. n. 26. & seq. Bald. in c. 1. §. si quis, n. 1. de pace Constantiæ, Felin. in c. ex epistola, de probat. Jo. de Anna. in c. fin. ne prælati vices suas, Jason. in l. 1. ff. de constit. Princ. & in l. si pecuniam, in princ. n. 12. ff. de condict. ob causam, Bald. in auth. omnes peregrini, C. communia de success. Bar. in d. l. 2. n. 2. ff. de jure immu. Bar. Jas. & Decius in l. civitas, 27. ff. si certum petat. Everard. cons. 73. num. 4. Ant. Gabriel. Rom. in tractat. regul. lib. 3. tit. de jure quæsito, non toll. Paul. de Castro cons. 317. Zasius consil. 1. n. 20. vol. 2. ff. Giaccharus, cons. 2. de moneta March. n. 27. latissime, P. Ant. de Petra in tract. de potest. Princ. in 2. dubit. principali, per tot. plures alii, quos recensent, tum hic, tum Felin. in d. c. 1. de probat. col. 2. & L. Schraderus in tract. feud. part. 10. sect. 1. n. 59.* Qui omnes pariter, Principem contractu, pacto, conventione, tam adversus subditum, quam extraneum, non secus ac priva-

privatum obligari, affirmant. Id quod plurimis, ut mox * audietur, rationibus atque argumentis firmatur: inter quæ illud 6
primum & præcipuum, quod pacta & conventiones * jure atque 7
æquitate naturali nituntur, *l. 1. in princ. ff. de pactis*, cum nihil
tam * congruum sit fidei humanæ, quam ea, quæ inter aliquos 8
placuerunt, servari, *ibid. & l. exempto, 11. in prin. ff. de acti. empti & vend. l. 1. & 2. C. de pact. inter empt. & vend. l. circa 19. C. de locato.* Et sicut initio libera potestas unicuique est, habendi vel non habendi contractus: ita renuntiare semel constitutæ obligationi, adversario non consentiente nemo potest, *l. 5. C. de obligat.* Fidem igitur servare jus naturale jubet, cui Principes subjectos sæpius est dictum & probatum. Equidem * juris gentium esse con- 9
tractus & conventiones plerasque affirmat *l. juris gentium, 7. ab init. ff. de pactis, Angel. in §. eadem ratione, Instit. quibus mod. test. infirm.* Sed id de speciebus istarum est accipiendum. Ipsum * 10
enim genus summa juris naturalis regula constat, quæ honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere, & ita fidem promissam omnes sine discrimine servare, jubet; Emptionem igitur, venditionem, & simileis contractus, jus gentium invenit: ut vero quæ inter contrahentes fide mutua acta sunt, serventur, ratio naturalis æquum esse justumque docet, *fac. l. 3. C. de rescin. vend.* Apte igitur ad ea, quæ dixi, Seneca *lib. 3. de benefic. cap. 15.* utinam, inquit, nulla stipulatio emptorem venditori obligaret, nec pacta conventaque impressis signis custodirentur, fides potius illa servaret, & æquum colens animus. Sed necessaria optimis prætulerunt, & cogere fidem, quam spectare maluerunt. O turpem humani generis fraudis ac nequitiæ publicæ confessionem! annulis nostris plus, quam animis creditur. Obligationem nimirum jure naturali constare, modum seu speciem obligationis moribus hominum introductam putat. Qua ratione & servus Domino naturaliter obligatur, *l. si quod Dominus, 64. ff. de condict. indeb.*
Hanc * ob causam & hosti fidem servandam, sapientissimus & 11

optimus quisque ſemper judicavit. Idem Seneca: Etiam hoſti, inquit, eſt æquus, qui habet in conſilio fidem. Et Lacedæmonius ille, percontanti cur Ephori quotidie de contractibus & conventis jus dicerent? Ut inter hoſtes, inquit, mutuam fidem inveniamus. id quod & Auguſt. docuit *in c. noli, 23. q. 1.* Fides, inquiens, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur; quanto magis amico, pro quo pugnatur?
12 Hinc Cicero *li. 1. Offic.* fundamentum * ait eſſe juſtitiæ fidem, id eſt, dictorum conventorumque conſtantiam & veritatem: fidemque inde, quia fiat, quod eſt dictum appellatam credit. Et Numa Pompilius Rex Rom. fidei ſolenne inſtituit, ejusque flamines manu ad digitos usque involuta rem divinam facere juſſit, ſignificanteis, fidem tutandam, ſedemque ejus etiam in dextris ſacratam eſſe: ut Livius *lib. 1. annal.* ſcribit. Qui idem *lib. 6.* fidei ab-
13 rogatione omnem humanam tolli ſocietatem veriſſime ait. Et * tria eſſe, quæ Rom. fecerint rerum Dominos, ſanum conſilium, privatam paupertatem, & fidem, ait Mart. *in tit. de Prin. concluſ. 258. & in tit. de conſ. Prin. in 2. concluſ.* Quare cum fides ſancta atque venerabilis omni humano generi ſemper fuerit, & adhuc eſſe debeat: multo major Principi cura ejus eſſe debebit. Quod
14 intelligens * prudentiſſimus, & non fide minus quam rerum geſtarum gloria clariſſimus Imp. Carolus V. omnibus terris exulan-
15 tem fidem apud Imp. hoſpitium invenire debere dixit. Veritas * itaque in ore Principis firmior eſſe debet, quam in cæteris, ſecundum Bald. *in c. 1. §. fi. qui feu. dare poſſunt. Zaſius conſ. 15. col. ult. n. 142. vol. 1. conſ. 1. n. 19. vol. 2.* Adeo ut verbum ſimplex Principis majoris ponderis atque fidei, quam juramentum mercatoris, eſſe velit *Jo. Bapt. Caccialupus in repet. l. omnes populi. 9. n. 107. ff. de juſtit. & jure.* Et Alfonſum illum laudatiſſimum Aragoniæ Regem in ore habuiſſe ſcribit. Ant. Panor. tantum valere ad fidem debere Principum verbum ſimplex, quantum privati jusjurandum.
16 Quomodo * etiam Tiberius Cæſ. apud Corn. Tacitum *lib. 4. annal.* Cæteris, ait, mortalibus in eo ſtare conſilia, quid ſibi conducere putent:

putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Quas ob res Dd. Principem * habere volunt 17
unam linguam, & unum calamum: & immobilem esse, tanquam lapidem angularem & polum in cœlo, jubet Bald. *in cons. pridie enim, 327. n. 4. vol. 1. Angel. in l. officium, n. 2. in fi. ff. de rei vend. Boss. in tract. crim. tit. de Principe, num. 18. & seq.* Hinc etiam * 18
contractus Principis bonæ fidei censeri, etiamsi alioquin stricti juris fuerint, ait Bald. *in §. sententiæ quoque ver. si qua vero, de pace Constantiæ*, quem referunt & sequuntur plerique Dd. velut Alex. *in addit. ad Bart. l. Cæsar. 15. ff. de publ. & in l. juris gentium, §. sed cum nuda, circa fin. ff. de pact. Cynus in l. digna vox, C. de legibus, Felin. & Dec. in cap. 1. de probat. Jas. in l. civitas, 27. n. 8. & in l. cum fundus, col. 2. ff. si certum petatur, & in l. si post tres, col. 8. ff. si quis caut. §. actionum, & ibi Gomez. n. 2. Benincas, n. 171. Instit. de action. Beroius in cap. 1. n. 152. de constit. Cravetta cons. 95. n. 9. consil. 241. n. 19. Decianus cons. 97. n. 22. vol. 2. Zasius cons. 1. n. 20. vol. 2. Everard. in Top. in loco, à plenitudine potes, limit. 2. Boss. in pract. tit. de confessis per tort. n. 10. P. Anton. de Petra in d. tract. dubit. secunda princ. n. 66. & 74. & plurimi alii, quos allegat L. Schrad. de feud. par. 10. sect. 1. n. 50. sect. 4. n. 194. sect. 9. n. 20.* Bona autem fides pro naturali æquitate accipitur passim, ut in *l. Lucius, 24. sub fin. & l. bona fides, 31. ff. depositi, l. si mandavero, 22. §. Julianus, ff. mandati, l. si quis absentis, ff. de oblig. & act. l. 2. §. 2. ff. de precar. l. quæro, 54. ff. locati.* Contra- 19
ctus * igitur, pacta, conventiones, ita fide postulante, Princeps servare debet, nec quenquam auctoritate sua circumscribere, *l. 1. C. de his, qui ven. ætat. impetr. l. penul. C. de omni agro deserto, Lib. XI.* aut pati, ut contractus ex bona fide ortus ad perfidiam retrahatur, *l. si quis vel pecunias, 11. C. depositi.* Quibus adde, Principem * in contractibus considerari ut privatam personam: ut ju- 20
dicat Felinus *in c. 1. col. 2. de probat. per. l. 2. §. 1. ff. ne quid in loco publico, allegans etiam Bart. in l. in fraudem, §. neque ff. de jure fisci, & alii, quos allegat L. Schrad. d. par. 10. sect. 1. n. 47.* & ideo jure

 quo-

quoque privatorum uti, secundum Bald. *& Jason. in l. ex imperfect. 3. C. de testamento, Bald. c. 1. §. fin. n. 3. de nova for. fidel. Felin. & Dec. in d. c. 1. de proba. Jason. in l. quoties, 15. n. 10. C. de rei vend. Castren. in l. rescripta, n. 3. ver. si ut privatus, C. de precibus Imp. offerend. Roman. consil. 352. n. 16. per d. c. 1. de probat. & c. 1. de natura feudi, Socin. jun. cons. 76. n. 3. lib. 1. Rol. à Valle, consil. 66. n. 37. lib. 2. Et fac. l. Cæsar, 15. ff. de public. l. 3. C. de rescin.*
21 *vend. c. 1. de natura feudi.* Quod * tamen, salvo judicio illorum, mihi minime ita dicendum esse videtur. Ut enim jure communi & eodem cum privatis in contractibus Principem uti debere ajo, sic in contractibus omnibus ut privatum considerari nego. Complures
22 * enim contractus Principem, ut Principem & caput Reipublicæ, non ut privatum, coire, non est dubium: nec ullius magis interest, quam eorum, cum quibus contrahitur, Principem publice & ut personam publicam secum contraxisse. Privatorum enim
23 contractus non utique ad successores transeunt: at * publici, & qui ratione dignitatis, publicaque fide initi sunt, omnino: ut ostensum infra *cap. 11. num. 4.* Id quodque affirmat expresse text. *in l. ult. ibi, jure igitur perpetuo publici contractus, &c. C. de loca præd. civil. Lib. XI. & in l. ult. C. de re judic.* Quid? quod
24 * imperialeis contractus legis vicem obtinere ait *l. penult. ubi Bart. Baldus, Salic. & Dd. C. de donat. inter virum & uxorem, l. bene à Zenone, 3. C. de quadrien. præscript. Bart. in l. civitas, ff. si certum pet. fac. l. Cæsar, & ibi Bart. ff. de publicanis.* Leges autem ferre, non est privatæ personæ. Ideoque quando contrahit Imperator, legem fert: itaque ut publica persona sub publica fide contrahit. Nec est, quod his ipsis everti sententiam nostram verearis. Ob hoc enim ipsum, quia ut publica persona contraxit Imperator, fidem tanto magis servare debet, quanto magis convenit, publice justitiam fidemque colere,
25 quam privatim. Neque * enim perire debet publica fides, *d. l. ult. C. de re judic.* Non etiam objici potest, leges in manu esse Principis, & ideo contractus quoque, ut leges, in ejusdem

dem esse arbitrio. Nego enim omnes leges in manu ejus esse,
ut hactenus satis confirmatum. Plurimas * enim Princeps, 26
etiam ut Princeps, servare tenetur: ut supra monstravi, quas
inter contractuum quoque leges numerandas, quæ nunc ma-
xime dicimus, confirmat. Quibus * consentit plurimum *l. 1.* 27
C. de fund. rei privatæ, Libr. XI. ubi possessiones à fisco suo com-
paratas, nullo jure retrahere se posse Imp. Constantinus fa-
tetur. Princeps enim si contrahit, quanquam non semper ad
Remp. ejus contractus primo pertineant, omnia tamen istius-
modi publicæ auctoritatis & potestatis velamine muniuntur:
quo * magis justitiam & fidem publicam colere debet, quam 28
quisquam privatus, & magis abstinere ab illicitis, quam alii:
ut not. Bart. *in l. Imperatorem, 22. ff. de hered. instit.* Unde &
Livia Augusto apud Dion. *lib. 55.* loquens: Tuum est, inquit,
non * modo ab injustitia, sed ab opinione quoque ejus abesse: 29
quorum alterum in privato, alterum in Principe requiritur.
Non igitur necesse est, * Principem tanquam privatam perso- 30
nam considerare, ut cum privatis æquali jure uti debere con-
vincatur. Non enim sequitur; Princeps est, non privatus ho-
mo: ergo non utetur eodem cum privatis jure. Ut enim non
sequitur; Princeps est, ergo homo non est, mortalis non est,
rationalis non est: ita neque sequitur; Princeps est, ergo ju-
re & ratione naturali non obligatur, &c. Illud potius sequi-
tur; * Princeps quia Princeps Reipublicæ, ideo omnium Pa- 31
ter, Rector & Magister est: & ea re omnibus justitia, fide,
pietate, præcellere atque præire debet: & tanto plus rationi
virtutique obtemperare, quam privatus aliquis, quanto ad
plures exemplum & quidquid in utranque partem ille statuit,
pertingit. Recte igitur * Principem ex contractu suo arctius, 32
efficacius, & magis obligari quam privatum, ait L. Schraderus
in tract. feud. par. 10. sect. 1. n. 48. Licet enim ex pacto nudo
privati regulariter actio non oriatur, *l. juris gentium, 7. §. sed
cum nulla, ubi Dd. ff. de pactis.* pactum tamen * nudum Principis 33
ad

ad producendam actionem efficax esse dicit, *secundum Mart. Laudens. in tractat. de confœd. Princ. quæst. 46. Bald. in cap. 1. col. ult. de pactis Jas. in d. l. juris gentium, d. §. num. 23.* Licet item stipulatio alteri facta regulariter non valeat, *l. stipulatio ista, 38.*
34 *§. alteri, ubi Jason. & Dd. ff. de verborum obligat.* talem * tamen stipulationem valere, Principe quid permittente, *Curt. jun. in tract. feud. parte 2. partis 2. princ. num. 65. Jason. in l. si unus, §. ante omnia. num. 6. ff. de pactis.* Licet denique obligatio descendens ex contractu privati non sit semper præcisa, *l. si quis*
35 *ab alio, 13. §. fin. & ibi Bar. & Dd.* in * Principe tamen semper præcisam esse, *Bal. in cap... num. 2. de natura feudi. Felinus in d. cap. 1. de probatio.* Legibus igitur contractuum pactorumque non minus quam quisquam privatus Princeps obligatur. In-
36 terpretari * enim beneficia sua Principes solent, non contractus; quorum interpretatio ex jure, ex bono & æquo petenda est: ut ait glossa *in l. ex facto, 43. in ver. interpretatio, ff. de*
37 *vulgar. & pup. substi.* Hinc enim * donationem quoque, quamvis proprie illa contractus non sit, *l. Labeo, §. contractum, ff. de verb. signific.* non minus quam contractum vim legis habere, ait Bart. *in l. 1. §. 4. num. 4 ff. de offic. præf. urbi.* & revocare non posse, textus est expressus, *in l. hi quibus, 6. C. de fund. pat. Lib. XI.* docentque Luc. de Penna *in l. fi. n. 57. & num. 74. C. de locat. præd. Lib. XI. Bald. in consil. 323. in pr. par. 1. & in l. 2. not. 3. ubi Fulgos. & Castrens. C. de legibus, Jo. de Anan. cons. 81. n. 30. ver. præterea, Castren. in l. fin. C. de transact. &c. quos allegat & sequitur P. Anto. de Petra in d. tract. 2. dubit. princ. n. 138.*

38 Beneficium * enim Imperatoris plenissime interpretari, *l. pen. ff. de constit. Princ.* nec fraudi nobis esse debet, *l. ex facto, 43. in princ. ff. de vulg. & pupil. substit. fac. l. Paulus, 8. ff. de stipul. prat. l. ad res, 56. ff. de ædil. edict. l. 3. §. duæ autem, in fin. ff. de Carbon. edicto.* Concessum quippe à Principe bene-
39 ficium * decet esse mansurum, *cap. decet, de reg. juris, lib. 6.* nec imperialis majestatis proprium est auferre concessa *auth. de referend.*

referend. palatii. Quod ergo in donationibus obtinet; multo magis in contractibus, quorum validius est vinculum, obtinebit. Accedit, quod nemini Princeps jus remve suam debet auferre: ut supra demonstravi. Auferre autem potest, qui contractu stare non tenetur. Illud vero super * omnia specia- 40
tim in ipsum Principem redundabit incommodum, quod ut abrogatione fidei societas inter homines tollitur, sic & ipsi legibus contractuum soluto omne commercium inter homines consortiumque præcidetur: & fiet omnium exul, qui est omnium præsul, ut Baldus loquitur *in l. Princeps, ff. de legibus, Rom. in consil. quæritur primo, 352. Felin. in d. c. 1. col. 2. de probat. Decius consil. 286. n. 5. & seq. P. Ant. de Petra in d. dubit. 2. num. 66. &c.* Id quod committi non debet, *l. quod si minor, 24. §. 1. ff. de minoribus.* Maxima enim * & quovis exilio gravior est pœ- 41
na, inter homines versari, & hominum carere commercio, *l. 3. C. de Apostatis.* Nam & vicissim, ex natura correlativorum, illum quoque, cum quo contractum est, rescindere contractum posse, colligit Bald. *in d. l. Princeps & fac. optime l. ratas, 7. C. de rescin. vend. l. ult. C. de indicta viduit. toll. cum similibus.* Quæ omnia gravia sunt & minime admittenda incommoda, atque absurda. Quorum * non ignari atque impru- 42
dentes optimi Principes, qui se etiam, quibus soluti fuerant legibus, sponte subjecerunt: passim hoc facto legibusque suis approbarunt. Sic enim quod quis ex contractu cum Principe jus accepit, Principem tamen, neque ipsi, neque posteris aut successoribus ejus, neque cuilibet ad quem res ea quolibet titulo pervenit, etiamsi magno commodo facere posset, ablaturum, ait Constantinus Imp. *in d. l. ultim. Cod. de locat. præd. Lib. XI. item in d. l. 1. Cod. de fund. rei privat. Lib. XI.* Vniversas à fisco comparatas possessiones, nullo jure possessoribus auferri posse ait, sed propria firmitate possessas, etiam ad posteros suos Dominii perpetui durabilitate demissuros. Ita ab contractu jure perfecto alterutro invito recedi, bonam fidem

non pati, eoque jure etiam fiscum suum uti, ajunt Impp. *in l. 3. Cod. de rescind. vendit, & in l. ratas 7. ibidem.* Sic quidquid à Principe aut ejus antecessoribus quocunque contractus genere comparaverit aliquis, inconcusse possessorum, & ad posteros transmissurum, ait *l. hi quibus, 6. Cod. de fund. patrim. Lib. XI. idem l. Cæsar. 65. ff. de publica. ubi Dd. capit. 1. & ibidem, Dd. de natura feudi.* & passim aliæ leges & jura nobis liquidissime confirmant. Principem igitur contractibus suis, pactis, promissis, æque ac alium quemvis obligari constat.

43 Sicque & quæ * sine contractu, collata sunt privilegia, & quæ cum contractu, omnia cum causa auferri debent: majore tamen, imo gravissima ex causa ista. Hæc

44 enim jure contractuum censenda, ac ideo iisdem ex causis, quibus contractus solvi atque finiri debent. Nam * & Princeps contractus revocare potest, secundum naturam contractus, ut placet Baldo *in d. l. qui se patris, col. pen. per l. fundi, C. de fund. patrim. Lib. XI.* Ideo conductores rerum fiscalium non solventes constitutis temporibus, expelli possunt, *l. vectigalia, §. non solutis, ff. de publican.* quia id est ex natura contractus, *l. quaro, §. inter locatorem, ff. locati. Et fac. l. cotem. §. agri, cum gloss. & inde not. Paul. Castrens. ff. de publi. l. quod semel, ubi Bart. ff. de decret. ab ord. fac. Bald. in l. pen. C. de donat. inter virum & uxorem, Socin. sen. cons. 4. n. 10. par. 3. Abb. cap. pen. de clericis non resid. Felin. in cap. novit ille, n. 8. 9. de indiciis.* Utilitati itaque

45 publicæ & similibus causis, cedere & ista & alia privilegia & omnia jura privatorum, tenendum. Unde * sine quidem causa nullum, cum causa tamen justa & gravi omnia privilegia Principem tollere posse, concludo.

CA-

CAPUT IX.

Causam, ob quam jus alienum Princeps aufert, gravem, justam, & æqualem esse debere; & hujus æstimationem Principis judicio & auctoritati dandam, concluditur.

BREVIARIUM.

1. *Ratio seu causa auferendi ablationi & damno æqualis esto.*
2. *Nec sufficit hic levis & quæcunque occasio vel prætextus.*
3. *Cum causa tamen justa & gravi Princeps hæc omnia potest.*
4. *Causæ approbatio & æstimatio est in potestate Principis.*
5. *In dubiis, obscuris, aut certe non ita expressis Principis judicium atque auctoritas valent.*
6. *Multa fieri æquum est, quæ nisi superior cogat vel jubeat, nunquam fiunt.*
7. *Privatis horum æstimationem permittere inutile est.*
8. *Hæc præcipua potestatis Principalis pars est & effectus, ut incerta & legis egentia cum auctoritate definiat.*
9. *In Principis facto ratio præsumi debet, etsi non appareat.*
10. *Quid agendum, si quid injustum Princeps decernit?*

UNUM, * quod semel atque iterum dixi, in fine demum repetere non dubitabo, ut ratio causa auferendi ablationi si- 1
ve damno æqualis ac sufficiens inveniatur. Neque * enim 2
sine injustitiæ crimine atque infamia, levi & non digna de causa grave civibus suis damnum Princeps inferre potest: ut recte Baldum miretur Menochius *remed. 8. de recuperand. poss. n. 60.* qui ad justificandum beneplacitum Principis sufficere solam occasionem, etsi levem, ait *in capit. Ecclesia S. Mariæ, col. pen. de constit.* Cujus generis est etiam illud Abbatis, omnem rationem naturalem, quæ movet Principem ad ita faciendum, sufficere dicentis

in cap. fin. col. 2. de consuetud. Quod non esse ita tamen, antea dicta satis commonstrant. *Et fac. l. ult. ff. qui test. fac. possunt, l. 2. ibi, non facile, ff. de natalibus restit.* Achabem Regem Israelitarum condemnatum supra audivimus ob vineam Nabotho ademptam, quamvis illam ob propinquitatem palatii sibi peropportune Rex sitam diceret, similemque aut meliorem fundum daturum promitteret. Quin omnia scelera & peccata malorum Principum aliquo prætextu & juris specie subnixa videri, notissimum est. Nec eo magis & præterita nobis approbata sunt, & futura ex-
3 cusari possunt. Quod * si vero justum habeat Princeps & sufficientem causam, quidvis horum & jure & bona cum conscientia ad-
4 versus Deum & homines statuere potest. Qua ratione * iterum maxima & summa Principi potestas datur. Licet enim ipsa causa non sit in arbitrio Principis, ita nimirum, ut quidquid statuat, ob hoc ipsum causam & rationem habere credatur: est tamen in Principis potestate, ipsius causæ æstimatio approbatioque. Equi-
5 dem * ut in manifesta & notoria iniquitate nullam esse Principis potestatem vel auctoritatem, hactenus dicta sufficienter ostendunt: ita in dubiis, obscuris, aut certe non ita expressis, Princi-
6 pis judicium atque auctoritas valet. Nam * & justissimæ causæ, nisi Principis vis accedat atque potestas, nihil operantur: & multa fieri æquum est, quæ nisi superior potestas cogat vel jubeat, nunquam fient. Itaque in illis quoque Principis judicio & con-
7 scientiæ pleraque permittuntur. Quod quidem * si privatis & singulis permitteretur, nunquam quod justum esset æquumque, fieret, sed id solum, quod cuilibet utile aut aptum videretur. Hac de causa Principis auctoritas est introducta, qui quid fieri deberet
8 & statuere & imperare posset. Hæc * enim præcipua potestatis principalis & pars est, & effectus, ut incerta & legis egentia cum auctoritate definiat. Nam quid justum, quid injustum, quid fieri debeat, quid omitti, quisque prudens (ut inter homines) docere potest. Jubere autem & cum effectu ista promulgare, solius
9 est Principis proprium. Itaque * de his Principe statuente, etiam-

si

ſi rationem non reddat, nec omnibus illa conſpiciatur, optima tamen præſumere oportet: ipſumque, ut per ſe multarum rerum prudentem, & hominum prudentiſſimorum conſilio fultum, omnia ſecundum juſtitiam agere velle, & ibi cauſam rationemque videre, ubi plerique cæcutiunt, pro certo habere decet. Maxima enim ineſt hujus generis rebus obſcuritas, nec raro æquiſſimum certe neceſſarium & inevitabile eſt, quod plerisque de vulgo iniquiſſimum videtur. Itaque M. Terent. apud Corn. Tacit. *lib. 6. annal.* ad Tiberium Cæſar. Non eſt noſtrum, inquit, æſtimare, quem ſupra cæteros, & quibus de cauſis extollas. Tibi ſummum rerum judicium Dii dedere: nobis obſequii gloria relicta eſt. Quod ſi etiam * vel errore aliquo vel malo conſilio, vel calore alicujus 10
affectus, vel ſimili caſu, Princeps injuſtum aliquid deſignet, & hunc aliumve contra jus fasque lædat: etiam hic modeſte à civibus agi velim, nec Principis vel judicium vel auctoritatem elevari. Auctoritatis enim & dignitatis ſui Principis conſervandæ cauſa vitam quoque bonos cives & ſanguinem quandoque profundere videmus: quid non ergo de jure tuo & rebus parumper cedere, quam Principi populi tui maledicere, manumque in Chriſtum Dominum mittere malis? Cum præſertim plurimæ ſint viæ, quibus & jus tuum & rem recuperare, non imminuta Principis majeſtate & poteſtate, facillime poſſis. Hic æquus ante omnia animus ſit neceſſe eſt, quem iniqua omnia fronte erecta ferre decet. Proximum & conjunctum illi, preces ſunt ad Regem & Dominum Regum omnium. Hunc ora, ut Principis tui animum mitigare, & in alteram partem vertere & ad agnitionem erroris ſui adducere velit. Interim vel errori, vel iræ Principis ſpatium dato. Quod enim ratio nequit, ſæpe ſanavit mora: ut ille ait. Aliquam etiam, ſed prudenter ſequendam, viam ille monſtravit, qui à Principe male informato vel conſulto ad eundem melius ſentientem auſcultantemque appellavit. Quin ſi omnia inania ſint, ſequentis alicujus Principis tempus operiri, ab eoque medicinam petere li-

cebit. Hæc igitur & similia injuriarum remedia erunt: violenta omnia facessant.

CAPUT X.

An jus speciale in commune Princeps convertere possit? quæritur.

BREVIARIUM.

1. Quæstioni per distinctionem respondeo.
2. Malignitas est, quod tibi contigisse lataris, id alteri sine tuo incommodo obvenire indignari.
3. Ubi omnes eandem prærogativam habent, nullus habet.

1 EX his & illa * quæstio pendet, an jus speciale quorundam universis id concedendo Princeps vulgare, atque ad nihilum ita redigere, possit? ut fit in *l. 2. C. de quadrien. præscript. l. unica, in princ. C. de caduc. toll. l. ult. in princ. C. de jure delib. l. in orbe 17. ff. de statu hom. §. extraneis, 5. Instit. de hered. qualit. & differ.* Ego distinguendum puto. Sunt enim privilegia quædam, quorum jus etiamsi ad alios transferatur, non tamen propter ea prioribus aufertur: ut in *d. l. in orbe, 17.* cum jus Romanæ civitatis ad omnes, qui sunt in orbe Romano, transfertur, non tamen minus & priores manent cives, & jus integrum servant. Ita jus adeundi hereditatem cum beneficio inventarii à militibus ad omnes extendit Imp. *in d. l. ult. Cod. de jure delib.* nec eo facto quidquam militibus ademit: non enim minus postea his quam prius adire licet. Tali casu indifferenter & sine respectu tertii privilegium speciale in jus commune converti posse, affirmo. Quæ enim malignitas, * quod
2 tibi contingere lætatus es, quodque alteri sine tuo detrimento obtin-

obtingere poteſt, id aliis invidere ? *fac. l. 1. in pr. ff. quod quisque juris, &c.* Nam ut plura ac majora cæteris cupere quam nobiſmet ipſis nulla lege jubemur, ſic æquo eos nobiſcum proſequi amore æterni Regis ſeveriſſimo mandato obligamur. Alia vero ſunt privilegia, quæ cum ad jus commune reducuntur, effectum omnem fructumque eorum priores amittunt. Talia ſunt quæ fœminis circa dotes, quæ minoribus, quæ creditoribus competunt, & pleraque alia privilegia : quæ ſi omnibus competunt, nulli competunt. Veluti, ſi privilegium fœminarum, quo in repetitione dotis omnibus creditoribus anteferuntur, omnibus largiaris creditoribus, & fœminas jure ſuo iniquiſſime privari, & jus ipſum evaneſcere, palam eſt. Quod enim * omnibus eandem prærogativam tribuit jus, nulli tribuit, 3
cum ubi omnes in uno ordine collocantur, neminem vel primum eſſe vel poſtremum, certum ſit. Hujus itaque generis privilegia priora regula ſemper æſtimanda ſunt, qua privilegium nullum ſine cauſa aboleri poſſe, dixi. Ac ſiquidem cauſa certa & ſufficiens jus illud, quod ad paucos pertinebat, omnibus largiri ſuadet, non injuria majori cauſæ privilegium cedit : ſin minus, nunquam ſine magna cauſa jus eripi dico.

CAPUT XI.

Principem anteceſſoris contractibus, legibus, privilegiis ligari, demonſtratur.

BREVIARIUM CAPITIS.

1. *Contractus Principis ad ſucceſſorem ab anteceſſore pergere, negatur.*
2. *Affirmatur.*
3. *Sed ex parte tantum à quibusdam.*

4. Qui-

4. *Quidam enim de his tantum contractibus, quos ratione officii sui fecit Princeps, loquuntur, num. 51.*
5. *Imperium enim perpetuum est, licet Imperatores mutentur. num. 47.*
6. *Publicam fidem successores praestare tenentur. num. 52.*
7. *Quidam vero tunc id affirmant, cum Reip. commodo contractum est.*
8. *Alieno damno nemo locupletari debet.*
9. *Onus sentiat qui commodum sentit, num. 27. & num. 29.*
10. *Alii tunc id affirmant, cum de re modici praejudicii agitur.*
11. *Alii, cum pactum habet in se justitiam naturalem, &c.*
12. *Alii in his, qui jure hereditario succedunt, non item in his, qui jure electionis.*
13. *Ego universe leges, & contractus successorem perinde ut ipsum contrahentem obligare dico, num. 54. & num. 61.*
14. *Itaque qui contractus contrahentem non obligaverant, neque successorem obligabunt.*
16. *Quod legibus probatur, num. 21.*
17. *Et aliis argumentis.*
18. *Principes fidem, & quae jure naturali nituntur, conservare magis quam violare debet.*
19. *Acta legitime inter privatos Princeps rescindere non debet.*
20. *Par in parem imperium non habet.*
22. *Imperiales contractus legis vicem obtinent.*
23. *Principes leges antecessorum corrigunt, mutant, abrogant, num. 43. & numer. 56. & num. 62.*
24. *Imperatores ita legis suas ferunt, ut etiam post mortem suam illas valere velint.*
25. *Si successor in Principatu non obligatur, nec ille huic obligabitur, qui cum antecessore contraxit.*
26. *Legatum Principi relictum successori debetur, num. 55.*
28. *Ab Imp. omnis avaritia abesto.*
30. *Exemplum.*
31. *Fidem Principis post mortem illius tota Resp. & ita successor quoque religiose tueri debent.*
32. *Qui contrahunt cum Principe, ut cum Principe contrahunt.*
33. *Auctoritate principali nemo decipi debet.*
34. *Principes amari à suis, & praesidio eis esse velint.*
35. *Fidem iidem antecessorum tuendo suam stabiliunt.*

36. In-

36. Incommoda, quæ Principem contractus antecessoris non servantem sequuntur.
37. Qui, quæ secum contracta sunt, servata cupit, idem cum alio contracta servet.
38. Exempla Principum, qui acta, promissa antecessorum servarunt, injurias item eorum sunt ulti. n. 40.
39. Regi tuenda maxime Regum est fides.
51. Acta illegitima antecessorum Principes servare non tenentur.
42. Leges & constitutiones antecessoris Princeps ut suas servare debet.
44. Idem de privilegiis statuendum, hactenus dicta probant.
45. Plurima enim contractus rationem habent.
46. Universa autem ratione imperii & sub fide publica conferuntur.
48. Cujus rei species eadem, res quoque eadem haberi debet.
49. Reges Franciæ non moriuntur.
50. Imperator ratione officii sempiternus est.
53. Donatio Principis vim legis habet.
57. Donationes suas Princeps ad posteros transmitti vult.
58. Exempla.
59. Nervæ Imp. edictum præclarum.
60. Privilegia etiam sine confirmatione rata esse possunt.

NON minus illi quæstioni hactenus dicta respondent, an contractus, leges, privilegia, ab antecessore suo introducta, Princeps servare, rataque agnoscere teneatur? Ego quoniam diversa nonnihil est horum natura, de unoquoque separatim sententiam meam indicabo: quamvis ex quolibet genere pro reliquis plerunque liceat argumentari. Equidem * Baldus *in l. 1. in princ. ff. de constit. Princ.* contractum Principis ad successorem transire negat, cum hic non habeat ab illo causam, per *l. ex vectigalis, ff. de pign. & l. si quis donum; ff. locati.* nisi faciat ea quæ de natura sunt vel consuetudine sui officii, sicut est infeudare, *auth. ut nulli judices, &c.* §. *& hoc vero jubemus; authent. constit. quæ de dignitat. §. illud.* Sic in *l. digna vox*, neminem ait posse imponere legem successori dignitatis, vel officii, vel Imperii, quia par in parem non habeat imperium. Hoc jure Ludovicus XII. Franciæ Rex, repetentibus 1

tormenta bellica, quæ Carolus VIII. commodato acceperat, respondit, se Caroli heredem non esse. Et Franciscus II. Helvetiis patris debita reposcentibus, negavit se ad patris debita persolvenda teneri, quoniam non hereditario jure, sed legibus regni coronam acceperit. *Jacoit*, inquit, *que nous ne soyons denu au payement des debtes creées par feu nostre treshonoré sieur & pere : pource que nous n' avons apprehendé ceste couronne comme son heritier : mais par la loy & coustume generalement observée en ce royaume depuis la premiere institution d' iceluy, laquelle ne nous oblige seulement qu' à l' observation des traittez faits & passez par nos predecesseurs ioys, auec les autres princes & republiques pour le bien & utilite de ceste couronne : Toutesfois desirant descharger la conscience de nostre dit sieur & pere, nous nous sommes resolus d acquitter celles qui se trouveront
2 loyaument deves, &c.* Hæc isti. At vero contrarium, * quod nimirum contractus & obligationes antecessoris sui Princeps conservare ac præstare teneatur, tuentur idem ille Baldus *in capit. fin. circa fin. de re judic. & in l. qui se patris, colum. penultim. verb. hoc scias, Cod. unde liberi, & in d. l. digna vox, & cons. 333. in princip. parte, 1. Bartol. in l. omnes, quæstion. 3. princip. ff. de justit. & jure, Felinus in capit. 1. de probat. in princip. Beroius consil. 165. numer. 126. libr. 1. Jason. consil. 10. numer. 1. vol. 3. consil. 86. num. 8. vol. 3. consil. 1. colum. 3. in fin. vol. 1. Socinus in consil. 4. in princip. vol. 3. consil. 1. numer. 69. vol. 4. cons. 60. num. 5. & seq. vol. 3. Castrensis cons. visis, 229. num. 1. in fine part. 1. Cravetta consil. 241. vol. 2. Roman. cons. 327. numer. 3. & seq. & cons. 345. numer. 8. & seq. Lu. de Penna in l. fin. numer. 68. Cod. de locatione præd. civil. Lib. XI.* & complures alii, quorum magnam partem allegat *P. Anton. de Petra in tractat. de potest. Princip. capit. 17. numer. 36. & seq. & in secund. dubitat. princ. numer. 179. & seqq.* communem hanc esse utriusque juris interpretum sententiam affirmans. De
3 quibus tamen * illud prætermittere non debui, non simpliciter
4 nec universe hoc omnes istos sentire. Quidam * enim de his tantum contractibus & obligationibus loquuntur, quas ratione officii sui

cii sui & dignitatis Princeps contraxit: ut Baldus *in d l. 1. in prin.*
ff. de constit. Princ. & in l. more, quæstion. 3. ff. de jurisdict. & Fe-
linus in d. cap. 1. de probat. Jason. cons. 10. num. 2. vol. 3. capit. Ab-
bate sane, §. sed ad hoc, de re judic. lib. 6. Abbas Joan. Andr. & Dd.
in d. cap. 1. de probatio. & ibidem Decius, numer. 7. per text. in ca-
pit. quoniam Abbas, cum ibi not. de offic. de leg. Cynus & communiter
Dd. in l. digna vox, Cod. de legibus, fac. l. Cæsar, 15. ff. de public.
& cap. si gratiose, ubi Ancharan. de rescript. libr. 6. Quo quidem
casu istos utique teneri non est dubium. Imperium * enim per- 5
petuum est, *d. cap. si gratiosi*, ac licet proconsules aut officiales
mutentur, unus est tamen proconsulatus, unum officium, *l. me-*
minisse, 10. & ibi Bart. ff. de offic. procons. Quamvis enim judicum
unus, aut alter, aut omnes omnino mutentur, tamen & rem ean-
dem & judicium idem, quod ante fuisset, permanere, ait Alfe-
nus *in l. proponebatur, 76. ff. de judic.* Publicam * igitur fidem 6
successores præstare tenentur *l. ultim. Cod. de re judic. l. mortuo, 61.*
Cod. sententiam rescindi non posse. Quidam * rursus tunc demum 7
ista vera censent. cum Reipub. commodo contractum est, alle-
gantes Bald. *in titul. de pace Constantiæ, in verbo successorum & in*
l. penultim. ff. de bonis qua lib. & in capit. 1. in princ. de natura feu-
di, text. in capit. 1. de probat. Quod ratione naturali firmari ne-
mo non videt. Alieno quippe damno * nemo locupletari debet, 8
l. cum hi, 8. §. si quis, 22. ff. de transact. l. item si, 14. §. aliquando,
ff. quod metus causa, l. itaque, 28. ff. de dolo. l. plene, 38. ff. de he-
red. petit. l. idemque 10. §. 3. ff. mandati, l. jure, 6. in fine, ff. de
jure dot. l. si sequens, ff. de Senat. Silaniano. & onus * sentire debet, 9
qui commodum sensit, *l. si igitur, 55. ff. pro socio, l. ult. §. pen. C.*
de leg. hered. l. ne lucrum, 5. C. de cur. fur. l. unica, §. pro secundo,
4. C. de cad. toll. l. 3. §. ult. ff. ad Treb. l. 1. §. ult. ff. de aqua plu.
arc. Juris denique principia sunt, alterum non lædere, suum cui-
que tribuere. Quidam vero circa ea, quæ sunt * modici præjudi- 10
cii, obligari successores affirmant: ut docet idem Ant. de Petra
in d. dubit. 2. n. 193. & cap. 15. n. 8. allegans *Corsetum in tract.*

de potest. Regia, *q. 3. & 75. Oldrad. consil. 94. n. 23. & seq. Bar. in l. prohibere*, §. *ult. ff. quod vi aut clam. Jason. in consil. 227. colum.*
11 *6. vol. 2. &c.* Quo pertinet, quod ait * Cynus (Baldo *in d. l. digna vox*, allegante) quod si pactum habeat in se justitiam naturalem & æquitatem, pactum esse servandum, si Imp faciat pacem vel capitulum subditis, propter generale & publicum bonum, & quod ista non debeant infringi per successorem, nisi ex parte subditorum fraus vel dolus intervenisset. Et ideo pacta, quæ fierent hodie cum Regibus Francorum vel Angliæ, porrigi ad successores ait Baldus, quæ nimirum fiunt nomine gentis, &c. Ita in his qui
12 jure * hereditario succedunt, veram esse illam sententiam, ait Everardus *in locis legal. loco à plenitudine potest*: eos vero, qui jure electionis succedunt, quales sunt Papa & Imp. non teneri pactis & contractibus antecessorum, quoniam ab his causam non habeant. Ex quibus apparet, non universe, sed certis tantummodo casibus successores Principum de istorum sententia teneri. Ego
13 breviter, unoque * verbo, ut leges, ita contractus Principis, successorem perinde ut ipsum contrahentem obligare, ajo. Quem
14 * enim contractum antecessor solvere potuit, poterit & successor. Quod si etiam nova superveniat causa, ob quam antecessor potuisset rumpere pacta, idem licebit successori. Multo vero magis, si ab initio irritus, aut invalidus, aut certe mancus aliqua parte
15 fuit contractus, talis etiam sub successore reputabitur. Unum * moneo, si qua privatum patrimonium Princeps habuerit, privatos illius contractus successorem in patrimonio præstare æquius esse, quam successorem in Principatu. Quod si vero privatum nihil reliquerit antecessor, tam privatos illius quam publicos contractus, modo legitimi sint ac validi, successorem servare debere ajo.

16 Id verum esse * probant primum *l. hi quibus*, *6. C. de fund. patri. Libr. XI.* quæ fundos à Principe aut hujus antecessore donatos, inconcusse possideri & ad posteros transmitti, ait. Ita possessiones à *fisco* comparatas, nullo à se jure retrahi, sed pro-

propria firmitate possessas, etiam ad posteros perpetuo transmitti, docet Constantinus Imp. *in l. 1. C. de fundis rei privatæ.* Et jus ex contractu cum Principe quæsitum, nec à possessore, nec à posteris ejus, aut aliis ad quos illud quolibet titulo pervenerit, esse retrahendum, affirmant Impp. *in l. ult. C. de locat. præd. civil.* Quibus consentiunt aperte *l. bene à Zenone, C. de quadri. præscript. l. ult. in fine, C. in quibus caus. coloni cans. Lib. XI. cap. 1. & ibi Dd. de probat. cap. Abbate sane, §. sed ad hoc, de re judic. lib. 6.* Quæ omnes leges textusque tam privatos Principum quam publicos contractus perpetuos: & ita successorum quoque tempore firmos esse, demonstrant. Princeps * enim 17
nemini jus remve suam auferre debet: ut paulo ante ostendi. Ex contractu autem, pacto, promisso, donatione, privilegio, res nobis jusque adquiritur. Princeps igitur jus nobis nostrum auferre nequit: & ita tam antecessoris quam suis contractibus ligatur. Deinde pacta & conventiones jure atque æquitate naturali nituntur, *l. 1. in prin. ff. de pactis.* Nihil enim tam congruum est fidei humanæ, quam ut ea, quæ inter contrahentes acta sunt, serventur, *d. l. 1. & l. exempto, 11. in prin. ff. de action. empt. & vend. l. circa, 19. C. de locato. l. 1. & 2. C. de action. empt. & vend.* Princeps * igitur bonam fidem conser- 18
vare magis quam violare debet. Nam & inter privatos * trans- 19
actionibus legitimis finitas causas vel lites Imperiali rescripto resuscitari non oportere, ait *l. 16. C. de transaction.* & donationem recte factam auctoritate rescripti imperialis rescindi non debere, ait *l. 5. C. de revocand. donat. & l. 9. C. de donat. ante nupt.* Quod cum ita sit, multo minus, quæ cum antecessore suo sunt acta, rescindere ille potest. Par * enim in parem impe- 20
rium non habet. Liceat nimirum in istos invertere, quo maxime nituntur, argumentum. Princeps, inquiunt, non ligatur contractibus antecessorum, quia par in parem, & ita antecessor in successorem, imperium non habet. Refero igitur, Principem non posse rescindere aut labefactare pacta, contra-

ctus, acta antecessoris, qui par in parem imperium non habet. Habet autem imperium in alterum, qui ejus acta rescin-
21 dit & irrita facit. Confirmat * hoc Justinianus Imp. *in l. ult. C. de legibus.* ubi nihil se ait lege illa derogare veteris juris conditoribus, quia & eis hoc majestas imperialis permiserit. Ac-
22 cedit, quod imperiales contractus * legis vicem obtinent, *l. penult. ubi Bart. Bald. Salic. & D. C. de donat. inter virum & uxor. l. bene à Zenone, C. de quadr. praescript.* Ergo cum contrahit Imp. legem ferre creditur. At leges ratione jurisdictionis & imperii feruntur: & quæ horum ratione geruntur, successores quoque ligare, modo est dictum. Principis ergo contractus, ut leges, successores obligant. Quamvis enim & leges ille in potestate habere dicatur, id tamen non de omnibus nec simpliciter esse verum, jam sæpe ostensum est. Et illud subinde ad animum est revocandum, non absolute nos Principem antecessoris sui legibus & contractibus subjicere, sed hactenus, quatenus antecessor fuit obligatus; quatenus item ipse successor, à se, non illo, perpetrato contractu, obligatus fuisset.
23 Hinc ut suas proprias * ita antecessoris interdum leges Principes corrigunt, mutant, abrogant, ut *in l. 1. §. 1. C. de vet. jur. enucl. l. filius familias, 26. ff. de lib. & posth. hered. instit. l. ult. in fin. C. quando & quibus quarta pars bon. deb. authent. de Samaritanis, §. 1. in fine, &c.* quod nunquam illi facerent, nisi & suo
24 tempore leges illas vim habuisse crederent. Et passim * leges ferre ita Imperatores legimus, ut etiam post mortem suam
25 eas & apud posteros valere velint. Quid? quod, si * Princeps antecessoris sui contractu non obligatur ei, qui cum illo contraxit, hunc vicissim qui cum antecessore contraxit, successori non teneri sequetur, *per l. ratas, 7. Cod. de rescind. vend. & l. ultim. Cod. de indicta vid. toll. Bald. in l. Princeps, ff. de legibus,* idque æquitas summa & ratio naturalis evincit. Nemini igitur amplius, quam ipsi Principi illud nocebit; plerunque enim æqua conditione, sæpe etiam cum lucro & commodo Princi-

pes

pes contrahunt. Hoc totum succeſſor amittet, ſi non perti-
nent ad ipſum acta anteceſſoris. Quod ſi in his quæ e re ſua
& commodo viderint eſſe, anteceſſorum contractus ſecum
factos videri volunt; quomodo * in *l. quod Principi, 56. de leg. 2.* 26
legatum Principi relictum ſucceſſori deberi dicitur: æqua lan-
ce etiam reliquos contractus quoſcunque ſecum factos iſti re-
putare debent. Onus enim * ſentiat, qui commodum. Quan- 27
quam in contractibus æquum plerumque jus intercedit, & par
pro pari refertur. Sive enim vendat Princeps, ſive emat, ſive
aliter contrahat, æquum pro re ſua invicem capit. Non * po- 28
teſt igitur ſine maxima avaritiæ, πλεονεξίας & injuſtitiæ opinio-
ne contractum anteceſſoris ſui repudiare. In Imperatore au-
tem avaritiam acerbiſſimum eſſe malum, recte dixit egregius
ille Imp. Anton. Philoſophus. Quomodo & Pertinax, aucto-
re Julio Capitolino: Sanctius eſt inquit, inopem Remp. obti-
nere, quam ad divitiarum cumulum per diſcrimina atque de-
decoris veſtigia pervenire. Itaque ab Imp. omnem etiam ſu-
ſpicionem avaritiæ abeſſe debere, ait Imp. *in auth. de nupt. §. ſi
qui vero prioribus, in pri. l. 1. ff. de interdict. & relega.* & ut Bal-
dus ait *in l. unica §. cum autem, Cod. de caducis toll.* Imperator
debet ſe imperialiter habere, & magnifice, & glorioſe, & ab
eo omnis avaritia debet eſſe remota. Unde recte Tiberius
Cæſar apud Tacitum libr. 4. annal: cæteris mortalibus in eo
ſtare conſilia ait, quid ſibi conducere putent: Principum di-
verſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam diri-
genda. Quæ illo pertinent * omnia, ut non tantum ſi quod 29
commodum ex anteceſſoris contractu acceſſit Reipubl. vel
Principi, eum ſervandum Princeps exiſtimet, ſed etiam ſi cum
damno nonnullo aut moleſtia in eo ſit permanendum. Ver-
bi cauſa, * ſi Princeps æs alienum relinquat etiam privatum, 30
nec patrimonium, quo creditoribus ſatisfiat, compareat, ſuc-
ceſſorem id exſolvere debere ajo. Quanquam enim obten-
dere poſſit, ſe id æs alienum non feciſſe, & illius heredem non
eſſe,

esse, nec ab illo causam habere: fides tamen publica & dignitas Principis honorque hoc omnino postulant atque requirunt. Neque enim de præfecti alicujus aut inferioris Magistra-
31 tus, sed de summi Principis contractu agitur; cujus fidem, * famam, dignitatem, non vivi tantum, sed etiam mortui, tota Respublica, & ita successor etiam quivis, quam studiosissi-
32 me & religiosissime tueri & conservare debent. Neque * hic differentia est introducenda, privatus fuerit ille an publicus contractus? Non enim fere qui cum Principe contrahunt, in illud inquirunt, ac ne licet quidem plerunque: sed simpliciter Principem ipsum respiciunt, & in dubio magis ut cum Principe,
33 quam ut cum privata persona contrahere videntur. Hos * igitur circumscribi ac decipi auctoritate Principali minime decet, *l. 1. Cod. de his qui veniam, at. l. penultim. Cod. de omni agro deser. Lib. XI.* nec illud admittere honestum est tutumve, ut periculosius sit duriusque cum Principe, quam quovis privato contrahere: cum ut omnis virtutis decorisque, sic & fidei æquitatisque Principem exemplum & regulam deceat esse. Si beneficio Principali decipi nemo debet, quanto minus contractu? Omnino igitur fidem ac famam sui Principis Respub. tueri debet. Alioquin quis cum Principe contrahere, quis promissis illius & verbis fidem habere poterit, si morte illius quæcunque secum acta contractaque scierit, in præsens periculum vocatum
34 iri meminerit? Certe cum boni * Principes amari à suis ac diligi, ut à liberis parentes, velle debeant, à se beneficia & commoda omnis generis, non injurias, sperari, ad se omnes tanquam ad asylum & tutissimum portum confugere, non ut à tristi & periculoso scopulo refugere: quis non istorum: universos & singulos secum negotia habenteis, non tantum se vivo, sed & mortuo sua causa lædi damnoque affici nolit? quis non ipsa morte tristius ducat, se unum esse in omni Republica, cum quo omnes contrahere negotiarique aversentur,
35 aut certe inviti gementesque contrahant? Ipsius certe * cujus-

libet

libet maxime Principis refert, ut anteceſſoris ſui acta, pacta,
contractus promiſſa, beneficia, religioſe quoad ejus fieri po-
terit, conſervet. Nam ut ille de Cæſare Pompeji ſtatuas cu-
rante dixit, Cæſarem Pompeji ſtatuas erigendo ſuas firmare:
ita Princeps quisque fidem anteceſſoris tuendo ſuam ſtabilit.
Quæ * enim de amore civium, de odio rurſus publico & aver- 36
ſatione generis humani, jam attigimus: ea confeſtim talem
Principem, in utram ſe oſtenderit partem, ſequentur. Acta
anteceſſoris, pacta, promiſſa, contractus ſervabit, rataque eſſe
tanquam ab ſe profecta jubebit: ingens protinus omnium a-
mor favorque exorietur, omnes de illo optima ſperabunt, &
qui alienam fidem tanta pietate proſequatur, ſuam multo re-
ligioſius conſervaturum, indubie pollicebuntur. In contra-
rium, ſi illa omnia proculcando, ſeque anteceſſoris heredem
eſſe, negando, quæ ille per contractum legitimum ſeu res, ſeu
jura in alios atque alios contulerat, repetere, quæve adhuc
præſtanda ſunt ex conventione negare, cœperit: non hic de
odio publico (ad pauciores enim damnum, ad omnes exem-
plum pertinget) non de alienatione peſtifera animorum ultra
ingeram, unum tantum illud privatum ipſius Principis propri-
umque incommodum ante oculos ejus ſtatuam. Homo enim
eſt, hominum commercio carere non poteſt. Id quomodo
ſperare poterit, qui ut omnes nihil æqui tutive ab ipſo ſperare
auſint, effecerit? Volens non fere quisquam contrahet, ſem-
per enim ut rem ſuam jusque amittant vereri cogentur: &
quod ab iſto anteceſſor, hoc ipſum ab ſucceſſore ſuo paſſu-
rum pro certo timebunt. At inviti & nolentes contrahent,
& imperio aut neceſſitate compellentur. Hic ego non inſiſtam
oſtendere, quantum ſit bonum, à ſubditis, adde etiam reliquis,
Principem amari, & quanto melius atque ſalubrius volentibus
& lubentibus, quam invitis & reluctantibus imperare; hoc e-
nim ante me multi ſapientes viri perſecuti ſunt: & boni Prin-
cipes, de quibus præcipue ago, optime intelligunt. Illud

37 Christianum * tantum in mentem revocabo, quod Alexandro Severo quamvis non Christiano tantum placuit: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Qui ergo quæ secum contracta sunt, rigide servata cupit, idem alterius contractus pari reverentia tueatur. Sane quidem optimus & prudentissimus quisque Principum acta, contractus, promissa antecessorum, vel paulum æqua & legitima, quoad potuit, tutatus est semper, adeo ut etiam injurias eorum acerrime plerunque persequerentur.
38 Hinc * tot exempla passim extant eorum, qui antecessorum suorum; quamvis inimicissimorum quandoque percussores severissime punierunt. Nec imprudenter; suum enim eo modo imperium firmarunt. Itaque Corn. Tacitus *lib. 1. histor.* sceleris in Principem commissi ultorem esse dicit, quisquis successit. Isque ibi, plures quam centum viginti libellos præmia exposcentium ob notabilem aliquam adversus Galbam Imp. operam, Vitellium invenisse scribit: Omnesque conquiri & interfici jussisse, non honore Galbæ, sed tradito Principibus more, munimentum ad præsens in posterum, ultionem. Recte
39 nimirum * apud Senecam Oedipus:

Regi tuenda, inquit, *maxime Regum est salus.*

Quod non inepte nec minus bene ita effari licet:

Regi tuenda maximè Regum est fides.

40 Itaque * in aliis quoque, & hoc inprimis genere antecessores suos plerique prudentiores coluerunt. Apud eundem Tacitum *lib. 1. annal.* legimus, nefas habitum Tiberio infringere dicta Augusti. Imo *lib. 4. ibidem*, omnia se facta dictaque Augusti vice legis observare Tiberius ait, quod de ipso affirmat etiam Strabo *lib. 6. Geograph. In fine.* Adrianus Cæsar, cum ei triumphum Senatus, qui Trajano debitus erat, detulisset, recusavit ipsi, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit: ut optimus Imp. ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem: ut Spartianus in vita scribit. Hunc secutus Antonius Pius, his quos Adrianus damnaverat, in Senatu indulgentias

gentias

gentias petiit, dicens, etiam ipsum Adrianum hoc fuisse facturum, teste Capitolino in vita. Ita, quod huc maxime pertinet exemplum, Pertinax Imp. donativa & congiaria, quæ Commodus promiserat, solvit: ut id Capitol. scribit. Quæ omnia contractus, pacta, promissa, & acta legitima antecessorum suorum Principes religiose tueri, & justum & tutum esse clarissime ostendunt.

41 Dico * legitima; nam si quæ contra leges & jura imperii vel aliter contraxerunt, his successores obligari nego, cum ne ipsi quidem, qui contraxerunt, obligentur. Ita enim donationes immodicas Neronis Galba successor revocavit, cum ingenti omnium gaudio quod tam pauperes forent quibus donasset Nero, quam quibus abstulisset: ut Tacitus *lib. 1. histor.* scribit. Non enim fiat aliquid, an male fiat, nihil interest, *l. quotiens, 6. ff. qui satisd. cog. l. de ætate, 11. §. nihil, 7. ff. de interro. action. l. non erit, 5. §. pen. ff. de jurejurand. l. 3. §. 1. ff. commodati; l. eleganter, 24. ff. de pignor. action. l. 2. ff. de auctor. & consen. tut. l. 4. §. penult. ff. de re judic. l. filius, 14. §. 1. ff. de fals.* & non datum habetur, quod is dedit, qui non potuit de jure dare, *ca. quod autem, de jure patronatus.* De Contractibus & obligationibus hactenus.

42 Sed & * de legibus, constitutionibusque Principum idem hoc pleraque hactenus dicta demonstrant. Quæ enim de natura vel consuetudine officii sui Princeps facit, successorem ligare ex Baldo supra *num. 4.* dictum est: imo omnia quæ ratione officii & dignitatis statuit Princeps, ita habenda, ex plurium sententia dictum est hoc cap. num. 31. & 51. Leges autem, si quidquam aliud ad officium & imperium Principis spectant. Itaque Princeps non præsentibus tantum, sed omnibus secuturis temporibus leges imponere potest, *auth. de hered. & falc. §. his igitur, in fin.* Et nihil se ait lege sua derogare veteris juris conditoribus Justinianus Imp. *in l. ult. C. de legibus*, quia & eis hoc majestas imperialis permiserit. Hinc * ut suas proprias 43

 quan-

quandoque, ita anteceſſorum leges quandoque corrigunt, mutant, abrogant, ut in *l. 1. §. 1. C. de vet. jur. enucl. l. filius familias, 26. ff. de lib. & poſth. hered. inſtit. l. ult. in fi. C. quando & quibus 4. pars bon. deb. auth. de Samaritanis, §. 1. in fi.* quod nunquam facerent, niſi & ſuo tempore leges illas vim habuiſſe crederent. Et paſſim leges ita ferre Imperatores videmus, ut etiam poſt mortem ſuam eas & apud poſteros valere velint. Unde Juſtiniani & cæterorum Principum legibus etiam hodie vivimus.

44 De privilegiis vero * idem penitus ſtatuendum, eadem ar-
45 gumenta probant. Plurima * enim horum contractus rationem habeant; & ideo idem de his quod de illis judicandum.
46 Sed & reliquorum eadem conditio eſt. Omnia * enim privilegia, quocunque modo, modò debito, collata, ratione imperii & juriſdictionis, adeoque ſub fide publica conferuntur, *fac. l. ult. C. de re jud. l. mortuo, 60. ff. de judiciis; l. fi. ibi. jure igitur perpetuo publ. contractus, C. de loc. præd. civil. Lib. XI. &c.* idque docet ipſa privilegiorum natura. Sunt enim jus, ſunt leges, etſi privatæ aut ſpeciales. Jura autem & leges condere ſo-
47 lius eſt imperii proprium. Id vero * perpetuum eſt, *c. ſi gratioſe, de reſcript. lib. 6.* Nam licet proconſules mutentur, unus tamen eſt proconſulatus, ut ait *l. meminiſſe, 10. ff. de officio procon.* & licet officiales mutentur, unum eſt tamen officium, ut *Bar. ibid.* Quamvis item judicum unus aut alter, aut omnino omnes mutentur, tamen & rem eandem & judicium idem, quod antea fuiſſet, permanere, ait Alfenus *in l. proponebatur,*
48 *76. ff. de judic.* cujus enim * rei ſpecies eadem conſiſtit, res quoque eadem eſſe exiſtimari debet: ut idem ibid. concludit.
49 Hinc * Reges ſuos non mori: Franci proverbio dicunt. Et
50 Imperatorem ratione officii ſui * poſſe dici ſempiternum, ait Bart. *in l. 2. C. de Fabri:* cui conſentit Bald. *de novo C. compon. in*
51 *4. gloſſ.* Itaque * univerſe quæ Princeps ſtatuit ſub nomine ſedis ſeu dignitatis, morte ejus non tolli, aperte docet *d. cap. ſi gratioſe, & ibi P. Ancharan. & Bald. in l. more, quæſt. 3. ff. de juriſdict.*

risdict. Panor. in c. 1. de probat. Cyn. Jo. And. & communiter Dd. in l. digna vox, C. de legibus. publicam autem * fidem successo- 52
res præstare tenentur, *d. l. ult. C. de re judicata, l. mortuo, 60. ff. de jud. l. 1. C. sentent. rescindi non poss.* & expresse, donationem
* Principis habere vim legis, quæ duret etiam post mortem 53
conditoris, affirmat Bart. *in l. 1. §. 4. num. 4. ff. de officio præfecti urbi.* Quandoquidem * igitur privilegia post mortem con- 54
ditoris manent, & publica fide nituntur, quæ perpetua & non interrupta in successoribus continuatur; ad successorem illa eodem jure quo antecessorem obligaverant, proficisci ajo. Eodem jure, inquam; nam quia par in parem imperium non habet, nequaquam arctiore vinculo, quam se ipsum, successorem quisquam constringere potest. Interim, ut commoda, ut onera Imperii, ab antecessore una cum imperio ad successorem non immerito devolvuntur, *l. cum à matre 14. C. de rei vend. l. pen. C. de restit. mil. l. 2. C. si in fraud. patr. l. 3. C. de rebus alien. non alien. text. in c. licet, de voto,* Sic * & legatum uni 55
Imperatori factum adquiritur successori, si ante diem primus moriatur, *l. quod Principi, 56. de legat. 2.* Ita * ut dictum, cor- 56
rigunt sæpe numero, mutant, vel abrogant privilegia antecessorum, *fac. l. unica, Cod. de nund.* quod nunquam facerent, nisi suo quoque tempore valida judicarent; nam quod per se nullum est, nec correctione nec abrogatione opus habet. Ea quæ à patre geruntur, non debent à filiis ad irritum revocari; præsertim cum nec pater agens in rebus humanis fuerit conquestus, ait *l. penult. Cod. de restit. mil.* & confirmat *l. ultim. Cod. de revocand. donat.* Hinc * donationes suas Princeps ad poste- 57
ros transmitti vult inconcusse, *l. hi quibus, 6. Cod. de fund. patrimon. Lib. XI.* Igitur & privilegia, quamvis nuda liberalitate concessa. Nam & ex donatione jus quæritur nobis, & privilegia jus esse ab initio ostendi. Jus vero nostrum Principem, nobis auferre non debere vel posse, paulo ante satis probatum est. Huc pertinent & illa argumenta, quæ Principem

 amo-

amore civium conciliando & suo imperio firmando deditum, contractus, acta, promissa, donationes antecessorum servare
58 supra suaserunt. Sic * enim Rex Judæorum Salomo Simehin virum pessimum, læsæque Majestatis reum, tamen quoniam à patre Regis vitæ incolumitas ei promissa fuerat, occidere noluit, nisi novo delicto superveniente. Et Gibeonitis à Josua Judæisque promissam incolumitatem, posteros quoque inviolatam servare debuisse, documento est Saulis calamitas: qui cum aliquot post sæculis illorum posteros violasset, in suis id
59 posteris luit. Maxime tamen * hæc omnia illustrat atque confirmat edictum D. Nervæ, quod extat inter epistolas Plinii *lib. 10. capit. 62.* Quædam sine dubio, Quirites, ipsa felicitas temporum edicit, nec spectandus est in iis Princeps, quibus illum intelligi satis est: cum hoc sibi quisque civium meorum spondere possit, me securitatem omnium meæ quieti prætulisse, ut & libenter nova beneficia conferrem, & ante me concessa servarem. Ne tamen aliquam gaudiis publicis adferat hæsitationem, vel eorum qui impetraverunt diffidentia, vel ejus memoria, qui præstitit, necessarium pariter credidi ac lætum, obviam dubitantibus indulgentiam meam mittere. Nolo existimet quisquam, quæ alio Principe vel publice vel privatim consecutus, ideo saltem à me rescindi, ut potius mihi debeat, si illa certa & rata fecero. Nec gratulatio ullius instauratis eget precibus: & qui non habent, me, quem fortuna imperii vultu meliore respexit, novis beneficiis vacare patiantur, & ea demum sciant roganda esse, quæ non habent. Hæc D. Nerva Imp. omnes pene hactenus dictæ sententiæ partes egregie confirmantia edixit. Cujus generis plura infra *cap. ult.* dicentur. Quæ quidem privilegia à Principe data ab successore quoque ejus perinde servanda, manifeste probant: refutantque simul tam cupiditates nonnullorum, quam assentationes, qui privilegia omnia morte concedentis finiri, & nisi de integro ab successore
60 confirmentur, nulla esse atque inania ferunt. Ego vero * ista, etiam
61 sine confirmatione rata esse, audacter affirmo: ita tamen, * ut

eandem

eandem circa hæc poteſtatem quisque Princeps obtineat, quam primo habuit auctor. Unde quisque * iisdem de cauſis anteceſſoris ſui privilegia augere, mutare, abolere poteſt, de quibus ſua. 62
Sic enim Galba Cæſar Neronis liberalitates revocavit, Suetonio auctore *in Galba, cap. 15.* & conceſſum à Claudio judicibus beneficium, ne hyeme initioque anni ad judicandum evocarentur, eripuit, *ibid. cap. 14.* Tiberius Cæſar abolevit jus vetus moremque aſilorum: plurimis item civitatibus & privatis veteres immunitates, & jus metallorum ac vectigalium ademit: eodem teſte *in Tyberio, ca. 37. &c. 49.* Sic Paulum IV. Pontif. omnia Judæis privilegia abrogaſſe, quibus à ſuperioribus Pontificibus donati, immanes & intolerabiles divitias per fas & nefas congeſſerant: ſcribit in illius vita Onuphrius Panvinius. Et Papa Bonifacius VIII. ex certis cauſis rationabilibus, privilegia ab Cæleſtino V. conceſſa, viribus vacuavit: ut loquitur extravag. *Sancta Romana, de religioſis domibus.* Ita Judæis datas immunitates reſcindit *l. juſſio, 5. Cod. de judæis & cælicolis, &c.* Quas vero ob cauſas & quibus legibus ſua quisque mutare ac tollere poſſit, in præcedentibus dictum eſt, nec pauca ſecutura docebunt.

CAPUT XII.

Privilegium ex ſola iniquitate vel ſimili cauſa abrogari nego, niſi expreſſa vel tacita Principis auctoritas accedat.

BREVIARIUM.

1. *Non eſt privatis permittendum, quod per Magiſtratum publicum fieri poteſt.*
2. *Bannitus à Magiſtratu captus à prifatos non occidendus.*
3. *In bello qui rem prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur.*

4. Ali-

4. *Alium præter Principem de jure privilegii pronunciare, non est consultum.*
5. *Judicis in hoc genere potestas. & num. 7.*
6. *Princeps permittere videtur, quod jus permittit.*

ILLUD in fine hujus partis, quod & supra attigi, monendum duxi: sicut sola æquitas vel similis causa privilegium non introducit, sed superioris auctoritas jussusque accedat oportet: ita semper in omni privilegiorum abolitione aut suspensione officium legitimum atque auctorem adesse debere, Bartol. in *l. omnes populi, 9. n. 33. ff. de justit. & jur.* Privilegia igitur ex sola iniquitate vel simili causa abrogari nego, nisi abrogatio illa fiat per ex-
1 pressam vel tacitam Principis auctoritatem; nihil enim * privatis est permittendum, quod per Magistratum publicum fieri potest,
2 *l. non est, ff. de regul. jur.* Unde * bannitus à Magistratu jam captus, à privato impune non occiditur, secundum Dd. quos allegat Me-
3 nochius *de arbitr. judic. quæst. 90. num. 53. & seq.* & * in bello, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, etiamsi res bene gesserit, *l. 3. §. in bello, 15. ff. de re*
4 *milit.* Nec * etiam cuiquam de jure aut injuria privilegii pronun-
5 tiare, præter Principem, consultum est. Judicis * tamen legitimi hoc loco aliqua potestas est: sed is secundum jurisdictionis suæ modum, secundumque jus ac leges, & sic quasi ex ore Principis,
6 sententiam pronuntiare debet. Nam * ut permittere Princeps videtur, quod jus permittit, *glos. in l. legatam, 4. ff. de administr. rerum ad civit. pertin.* ita & prohibere irritumque pronuntiare. Ap-
7 pellari * nihilominus à judice tali superiorem & auctorem privilegii, noti ac certi juris esse puto.

Quæ de officio, vi, auctoritate, potestate conditoris privilegii in abrogatione aut suspensione ejus dicta sunto.

CA-

CAPUT XIII.

An morte privilegiarii privilegia finem accipiant? quæritur.

BREVIARIUM.

1. *Causa tres in privilegiario, unde privilegia interire solent.*
2. *Mors privilegia personalia extinguit, realia non item.*
3. *Mors alia naturalis, alia civilis.*
4. *Mors civilis eadem est, cum capitis diminutione maxima & media.*
5. *Deportatos & aqua atque igni interdictos, & omnes quorum bona publicantur, mortuorum loco habemus.*
6. *Servitus & monachismus mortalitati comparantur.*
7. *Deportatio, relegatio, & similia pœnarum antiqua genera, an cum nostris comparari possint?*
8. *Bannitus hodie idem cum illo, cui aqua & igni interdictum.*
9. *A relegatione ad bannum argumentari licet.*
10. *Banni forma sunt varia, & ideo æstimatio quoque ejus varia.*
11. *Bannitus omnia bona amittit, & pro mortuo habetur.*
12. *Itaque & jura omnia & privilegia.*
13. *Aliud censendum de bannitis ab Imperio R. aliud de his, quos inferior aliquis proscripsit.*
14. *Bannum modo deportationi, modo relegationi comparatur.*
15. *Bannum aliquando levis plane pœna est.*
16. *Banni & similium pœnarum effectus ex sententia judicis cognoscendi sunt.*
17. *Omnes condemnationes, quæ jura civitatis & bona eripiunt, privilegia quoque una tollunt.*
18. *Mors civilis clericorum degradatio vocatur.*
19. *Missio militum.*
20. *Qui nomine eximitur, etiam fructu carebit.*
21. *Quæ naturali morte amissa sunt privilegia, nunquam recuperantur; aliter quæ civili.*

ALTERUM, in quo causæ abrogandi ac suspendendi privilegia residere atque hærere solent, ipsum cujus est privilegium esse dixi. Causæ * hæ sunt: Mors: renuntiatio: delictum. Hæc ab ipso privilegiario pendent, & privilegia vel penitus extinguunt, vel certo in casu intermittere cogunt; de quibus nunc ordine dicendum.

1

2 Mors * igitur quæ omnia solvit, *auth. de non elig. secun. nub.* §. *illud*, *auth. de nuptiis*, §. *deinceps*, *20.* si quando & privilegiarium, ut hominem, occupat, privilegia omnia quæ ejus personæ cohærent, extinguit, *l. in omnibus*, *68. ff. de reg. jur. l. 3. §. fin. ff. quibus mod. usufr. amit. l. 3. & l. seq. §. 3. ff. de censibus*, *glos. in l. sed milites*, *8.* §. *ult. ff. de excus. c. privilegium*, *de regul. jur. Lib. VI.* Nam quæ rei seu causæ privilegia, rem sequuntur, & quamdiu hæc superstes manet, ipsa quoque immutata persistunt, licet sæpius personæ mutentur. De quibus cum supra libr. 2. cap. 4. numer. 46. & seqq. copiose dixerim, illô lectorem remitto.

3 Illa hujus loci propria est quæstio: cum mors * alia naturalis sit, alia civilis, *l. si quis*, *56. ff. soluto matrim. l. 1. §. 1. ff. de Senat. Maced. Instit. quibus mod. jus pat. pot. solvatur*, *glos. in l. 4. in pri. ff. si quis cautionibus*, *& in l. pupillus*, *239. in princ. ff. de verb. signif.* atque hæc illi æquetur, *l. si decesserit*, *4. ff. qui satisdare cog. l. 1. §. pen. ff. de bon. poss. contra tab. l. si quis*, *11.* §. *final. ff. de testam. tut. Bald. in auth. si qua mulier*, *Cod. de Episcopis*, *gloss. in cap. placuit*, *16. quæstion. 1.* utrumne utroque mortis genere privilegia finiantur? Ac de naturali quidem certa res est. De civili non-

4 nihil ambigi potest. Mors hæc * eadem est cum capitis diminutione maxima & media, *l. verum est*, *63.* §. *ultim. ff. pro socio.*

5 Itaque * deportatos, & aqua atque igni interdictos, & omnes quorum bona publicantur, mortuorum loco habemus, *d. l. 1. §. pen. ff. de bon. poss. cont. tab. l. 4. §. si deportatus*, *ff. de bon. lib. l. actione*, *65.* §. *publicatione*, *ff. pro socio*, *l. Gallus*, *29.* §. *& quid si*,

6 *ff. de lib. & posth.* Ita servitus * mortalitati comparatur, *l. antepen. ff. de*

ff. de regul. jur. & monachatus, *gloss. in l. cum prætor. 12. §. fin. ff. de judic. & in auth. de nuptiis*, §. *per occasionem, 6. & in l. Pædius*, §. *fin. ff. de arbit.* Verum enimvero cum * aquæ & ignis interdictio, deportatio, relegatio, servitus, & similia antiquarum pœnarum genera, nostris moribus jam pridem sublata sint, ut docet Jul. Clarus *libr. 5. sent.* §. *fin. quæst. 67. num. 6. & seqq.* consideratio horum ad Grammaticos potius seu Theoricos, quam Jureconsultos, spectare videtur. In qua sententia Clarum eund. *ibid. quæst. 71. n. 12.* esse apparet, cum ex illis legibus juris antiqui, quæ de deportatione, relegatione, & similibus loquuntur, nihil ad nostra tempora applicari aut trahi tuto posse affirmat. Sed cum nostris moribus alia in istorum locum successerint genera pœnarum, veluti, proscriptio, quam bannum recentiores Latini, Germani die Acht appellant, ad triremes aut opus aliquod, vel ad carceres perpetuos damnatio, & similia: an hæc cum antiquioribus illis aliquo modo conveniant? an item per hæc mors civilis, ac proinde juris quoque civilis ac privilegiorum privatio inferantur? non immerito quæritur. Itaque licet antiqua illa sublata, bannumque adeo nostrum nec deportationi nec relegationi æquari posse Clarus *d. loco* affirmet, & cæteris quoque Dd. non liquere ostendat: aliquam tamen, imo magnam inter hæc omnia similitudinem esse, ipsa pœnarum genera intuentibus clarissime probant. Quod videtur etiam Bart. *in l. amissione*, §. *qui deficiunt, ff. de cap. minu. gloss. in* §. *relegati, Instit. quibus mod. jus pat. pot. solvatur, l. ad cognitionem, 13. ff. ex quibus caus. in poss. eatur, And. Gailius lib. 2. de pace pub. cap. 1. num. 16. & seqq.* Qui quidem * 8
bannitum hodie eund. esse docet cum illis, quibus aqua & igni fuit olim interdictum (einen in die Acht thun / einem Wasser und Waidt verbieten / oder von Gemeinschafft Wassers und Feuers bannen) Aquæ vero & ignis interdictionem idem esse, quod deportationem. Imo cum * pœna banni sit aliquanto gravior rele- 9
gatione, teste eod. *ibid. n. 24.* non male à minore ad majus argumentabimur. Causa * autem dissimilitudinis hæc est, quod 10

 ban-

bannum & omnia ista supplicia non eodem semper modo formaque constituuntur, sed pro ratione delicti & arbitrio judicis, jam durius, jam mollius, jam in hunc, jam in alium modum concipiuntur. Id cum in singularibus expressum casibus occurrit, manifesta res est: nec quale sit, quidve importet, disceptatione opus habet. Hoc autem loco, quia de casu dubio & legibus non satis definito agimus, ad illud quod verisimilius est, quod æquitati, quod communi aut meliori opinioni congruit magis, respicien-
11 dum. Nostris igitur * moribus bannitum omnia bona amittere, ac pro mortuo haberi, notant Dd. *in l. 1. C. de hered. instit. & alibi.* ut allegant sequunturque *Gail. lib. 2. observat. pract. observ. 86. n. 9. & lib. 2. de pace publ. cap. 1. num. 18. & seq. cap. 11. num. 12. P. Ant. de Petra in tract. de potest. Princ. cap. 16. nu. 13.* Ideo-
12 que & jura * omnia & privilegia amittit, teste eod. Gailio *lib. 1. obs. 1. n. 38. argum. l. si qui reus, 5. ff. de judic. & inprimis de pace pub. lib. 2. cap. 12. num. 3. & Mynsingero observat. 90. cent. 1.* Ubi
13 * non est prætereunda distinctio Bartoli *in d. l. amissione, d. §.* quod aliud sit censendum in bannito ab Imp. Rom. aliud in bannito ab singulari aliquo Principe aut civitate. Ab Imperio enim banniti jus omne civile, eoque & privilegia omnia amittunt, desinuntque esse cives Romani & hostium numero habentur, *Bart. in d. l. A. Gailius in d. lib. 2. de pace pub. ca. 1. num. 21. & seq. cap. 12. num. 3. Jo. Mynsing. cent. 3. obs. 52. Menochius de arbitr. lib. 1. q. 90. num. 2. M. Anton. peregrin. lib. 3. de jure fisci, tit. 7. num. 25.* Cujus exemplum habes in Clement. *pastoralis, de senten. & re judic.* ubi ita scribitur: Imperator Regem affirmans propter præmissa læsæ majestatis criminis reum esse, in eum peremptorie & sufficienter citatum, sed comparere contumaciter recusantem, tanquam rebellem, proditorem, & hostem Imperii, ac reum criminis supra dicti, privationis omnium dignitatum quocunque comprehensarum titulo, & quibus se intitulabat Rex ipse, auctoritatum quoque, honorum, jurium, & jurisdictionum, tam perpetuorum quam temporalium, & si quando veniret in suam & Im-

Imperii fortiam, capitis sententiam promulgavit, &c. Sed quos
vel Princeps inferior vel civitas proscribit, illius tantum provin-
ciæ, vel civitatis jura peculiaria, minime autem jus commune,
amittunt, *Bart. d. loco, Gail. eleganter lib. 1. de pace pub. cap. 6.*
num. 11. & seq. Peregrin. ibid. num. 9. & seqq. & num. 27. & ea
re privilegia quoque, quæ à jure communi & superiore Principe
habent, æque retinent. Nam licet illi jura Principis & potestatem
legis condendæ habeant forte, tamen ultra eorum territoria ista
non extenduntur, quia jurisdictio eorum territorio limitatur,
Gail. ibid. num. 12. Sed & hæc in commune tantum, & de his,
qui solito more banniuntur, accipienda sunt. Sæpe enim, maxi-
me in Italia, levioris omnino ponderis bannum ferri solet. Qua-
re * modo deportationi, modo relegationi comparatur: ut re- 14
ctissime loquitur glossa *in* §. *relegati, Instit. quibus modis jus patr.*
pot. solvatur. Nec * raro ita comparata est proscriptio talis aut 15
damnatio, ut nec civitatem, nec bona, nec ulla jura, aut certe
non omnia hæc, nec in perpetuum, adimat. Sic enim bannitum,
qui ex forma banni vel legis dispositione impune offendi non po-
test, retinere jura non tantum communia, sed & propria illius
civitatis vel provinciæ, à qua exulat, sive ad tempus, sive perpe-
tuo exul sit, ad exemplum relegati: ait M. Anton. Peregrinus *lib.*
3. de jure fisci, tit. 7. numer. 5. per l. relegati, & l. quidem sunt, ff.
de pœnis, l. 3. & l. relegati, ff. de interdict. & releg. Sic mitius esse
bannum ob contumaciam, quam quod delicti causa injectum est,
affirmat Gailius *libr. 2. de pace, capit. 6.* Quomodo & illa pœna,
qua per Germaniam sæpe homicidium non voluntarium, aut
aliud delictum punitur, ut nimirum talis annos aliquot adversus
Turcam propriis sumptibus militare cogatur, nihil aut parum de
jure auferre videtur. Summa, * hæc omnia ab judicis sententia 16
pendent: ex qua cognita atque expensa, quantum damnato ad-
emptum, quantum relictum videatur, pronuntiandum. Itaque
& Abbas Siculus *in cap. cum sis, de convers. con.* quæstionem il-
lam, utrum mors civilis naturali æquiparetur? post diversas alio-

rum opiniones recitatas sic definit, ut ubi mors civilis operatur eundem effectum quem naturalis, nec mors naturalis sequens aliquid est additura ad mortem civilem: quod tunc appellatione mortis mors etiam civilis intelligatur, &c. Universe tamen hac
17 regula judicandum: Omnes * pœnas seu condemnationes, quæ jura civitatis & bona damnato eripiunt, privilegia quoque una tollere; quid autem eripiatur, ex formula sententiæ cognoscendum. Veluti, Banni Imperialis formula hæc est: Setzen ihn aus dem Frieden in Unfrieden/ und erlauben sein Leib/ Haab/ und Gut/ gedachtem N. und allermänniglichen: hoc est, ut Majestatis & sacra Imperii pace ac tutela exclusus, à prædicto actore vel quibuscunque aliis, tam in persona, quam rebus impune offendi ac molestari possit. Hæc verba satis, opinor, ostendunt, nihil omnino juris damnato relictum. Perinde in aliis quoque casibus & exemplis statuendum.

18 Ita * mors civilis clericorum (ut ex alio genere exemplum afferamus) quæ illos & nomine & privilegiis clericorum spoliat, degradatio vocatur. Qua ipso actu clericus affectus, ut alius ex laicis ab civili judice judicatur: ut docet Imp. *in authent. ut clerici apud prop. Episcopos, & in authent. de sanctissimis Episcopis, §. si quis contra, capit. 2. de pœnis, lib. 6. cap. novimus, de verb. signific. Joan. And. in cap. cum non ab homine, de judic. Steph. Aufrerius iu tract. de potestate secul. in Ecclesiast. regula 1. limit. 4.* Hinc enim degradatus, tanquam exutus privilegio clericali, seculari foro per consequentiam applicari dicitur, *in d. cap. novimus.* Et verba degradationis, quæ habentur in *d. cap. 2.* ita sonant: Degradamus, spoliamus & exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio clericali.

19 Huc pertinet * & missio militum *l. sed & milites, 8. §. 1. ff. de excus. tut.* & omnes illi casus, quibus nomen aliquis seu officium, cujus titulo acceperat privilegium, amittit: nam qui
20 nomine * eximitur, etiam fructu carebit, *l. à nullo, 4. C. de feriis.*

Quæ

Quæ de altero genere mortis, quod civile est, dicta volui: quod tamen * ab altero hactenus discernitur, quod quæ 21
naturali morte semel amissa sunt privilegia, nunquam recuperantur; quoniam nemo unquam naturaliter mortuus ad vitam naturali modo redire solet: quæ vero civiliter amissa sunt, remissione banni, restitutione in integrum, & jure postliminii recuperari possunt; de quo vide Gailium *lib. 2. de pace pub. cap. 18. & lib. 2. obs. practic. cap. 61. num. 14. Jo. Mynsing. obser. cent. 5. cap. 11. Menoch. de arbitr. lib. 1. quæst. 92. num. 8. & fac. l. cum loca. 36. ff. de religios. & sumpt. fun.*

CAPUT XIV.

An civitates, Ecclesiæ, Provinciæ, Collegia &c. pro mortuis haberi, eoque nomine privilegia amittere soleant? disputatur,

BREVIARIUM.

1. *Prædicta, ut singulas personas, mori & privilegia amittere, doceo.*
2. *Differentia inter urbem & civitatem.*
3. *Urbs potest esse sine civitate, & civitas sine urbe.*
4. *Differentia inter provinciam & regionem, & similia.*
5. *Ecclesiæ duplex significatio.*
6. *Quædam privilegia sunt civitatum, quædam urbium, quædam utriusque.*
7. *Quodque horum sua privilegia secum exitio dat.*
8. *Quando civitas, quando urbs interire dicatur, descriptum.*
9. *His quoque duplex mors imminet.*
10. *Aliquando enim naturali morte absumuntur.*
11. *Quo loco nihil interest, à quo hanc patiantur?*
12. *Aliquando vero civili morte afficiuntur.*
13. *Hic, à quo mors ista pervenerit? interest.*

PRIUS-

PRIUSQUAM ad ulteriora progrediamur, illa hoc loco agitanda quæstio est, cum ut singulares homines, sic civitates, universæque provinciæ, ecclesiæ item, castra, collegia, sua habeant privilegia: utrum hæc quoque pro mortuis
1 haberi, & ita privilegiis privari possint? Hic ego, * ut singulas personas, sic & universitates ejusmodi vel loca mori & privilegia sua morte amittere; dico *fac. l. usufructus, 21. & ibi Dd. ff. quibus mod. usufruct. amittatur, cum simil.* Semper autem in his differentia servanda est inter civitatem & urbem, regionem & provinciam, ecclesiæ, castri, vel collegii ædificium, & universitatem. Quamvis enim persæpe inter se vocabula ista con-
2 fundantur, alterumque pro altero ponatur: revera * tamen horum non levis est differentia. Urbs enim ab urbe, id est, curvatura aratri, quod in urbe condenda adhiberi solet, dicta *l. pupillus, 239. §. urbs, ff. de verb. signific.* nihil aliud est, quam locus ipse & domicilia mœnibus iisdem conclusa, *d. l. pupillus, & apud Cicer. pro Sestio. c. si civitas, de sent. excom. lib. 6.* At civitas est collectio ipsa civium, eodem jure & legibus sociata, *Cicero in som. Scipion. & pro Sestio, l. 1. Cod. de bonis vacan.* Ita-
3 que & * urbs potest esse sine civitate, & civitas sine urbe. Exempli causa, capta atque incensa à Gallis urbe Roma, civitas tamen omnis partim in Capitolio, partim Vejis, incolumis ac libera conservata, urbem paulo post recuperavit: ut ex annalibus T. Livii apparet. Ita Athenarum civitas relicta, & non multo post à Persis capta eversaque urbe, in navibus conservata, victis Persis, urbem instauravit: ut Herodotus & alii rerum Græcarum scriptores testantur. Sic Nicias Atheniensium Imp. copias suas in Sicilia, longissimo ab urbe Athenarum spatio, ad pugnam contra Syracusanos adhortans: Reputate, inquit, quod jam in his navibus futuræ sint terrestres Atheniensium navalesque copiæ, & reliqua civitas, & magnum nomen Athenarum: ut Thucyd. lib. 7. de bello Pelopon. scribit. Et idem

idem non multo post Nicias, eodem auctore, in postrema ad suos oratione: ἄνδρες, inquit, πόλις καὶ οὐ τείχη, viri civitas sunt, non mœnia. In quam sententiam Pompejus quoque Remp. in parietibus esse negavit. Ex quibus, urbe aliqua capta, incensa, eversa, civitatem nihilominus liberam integramque persistere posse apparet. Contra Capua capta, civibus in servitutem redactis, & jure omni publico erepto, urbem integram reliquerunt Romani, ut idem Livius *lib. 26. annal.* scribit. Unde Regis Macedoniæ legatus apud eundem *lib. 31.* Capua, inquit, sepulchrum ac monumentum Campani populi, elato atque extorri ejecto ipso populo, superest urbs trunca, sine Senatu, sine Plebe, sine Magistratibus, relicta crudelius habitanda quam si deleta foret. Quod postea purgans legatus Romanus: Cæteris, ait, ita oppidum, ita agros ademimus, ut agrum locumque ad habitandum daremus, urbem innoxiam stare incolumem pateremur, ut qui hodie videat eam, nullum oppugnatæ, captæve ibi vestigium inveniat. Hic urbe incolumi civitatem eversam ac deletam audis. Ex quibus satis, quod inter urbem ac civitatem discrimen sit, quam item alterum ab altero non cogitatione tantum, sed reipsa separari possit, intelligitur.

Quam * differentiam inter provinciam quoque, quæ ho- 4
mines, & regionem, quæ solum & agrum notat, & cætera,
servandam ratio suadet. Ita * enim Ecclesia non tantum de 5
hominum congregatione, sed de loco etiam parietibus circundato & consecrato accipitur, *gloss. fin. in fi. l. sicut, 7. ff. quod cujus univers. nom. &c.* Secundum hæc igitur privilegia quoque discernenda scito: quædam * enim sunt civitatum privile- 6
gia, ut in *d. l. 1. C. de bonis vac.* quædam urbium & locorum: ut cum Hierosolymitanæ Ecclesiæ, præter alias urbes Deum dedisse privilegium, ut ex illa resurgeret secundum carnem; ait authent. *ut Ecclesia S. resurrectio. alienare, &c.* quod sane privilegium urbi ipsi & loco, qui ideo ut sacer & venerabilis adorari

orari solet, ita adhæret, ut quamvis tota gente Judæorum excisa, maneat ejus veneratio. Quædam vero sunt privilegia utrique generi propria. Veluti, Asianorum privilegium necessitatem proconsuli imponebat, applicandi per mare, & inter metropoles Ephesum primam attingendi, *l. observare, 4. §. ingressurum, ff. de officio proconʃ. & legati.* Cui sane privilegia non sine & hominibus Asianis & terra Asia satisfieri poterat.

7 Horum unumquodque * morti seu naturali seu civili destructum, privilegia quoque sibi cohærentia extinguit: ita, ut si quod privilegium sit civitatis, urbe etiam destructa retineatur; privilegium vero urbis quamvis deleta civitate maneat superstes, &c.

8 Quando * vero urbs, quando civitas, interire dicantur? videndum. A. Gailius *lib. 2. observat. pract. cap. 61. num. 3. per ibi alleg.* civitas, inquit, ad aratrum superioris auctoritate cum causæ cognitione ob delictum damnata, aut perpetuo bannita, mori dicitur. Et mox *num. 7.* civitatem à Tyranno vel prædonibus destructam, intellectu quodam sine ullo corpore materiali vivere, & ejus animam sine corpore extare, ait allegans Bald. *in Margarita, in verbo civitas*, cui adjunge Angel. *de Cla-*
9 *vasio in summa.* Ego * vero ut aliis, sic hisce duplicem mor-
10 tem evenire statuo, naturalem & civilem. Ac * naturalem quidem eam voco, qua urbs vel civitas funditus deletur ad nihilumque redigitur, adeo ut vel partes, ex quibus constabat, nullæ omnino supersint; vel ita separatæ ac disjectæ, ut nusquam rei totius vestigium aut momentum ullum ostendi possit. Hujus paulo ante exempla habes. Ita cum omnes ex collegio, ne uno quidem relicto, moriuntur, collegium dissolvitur, *l. sicut municipum, 7. §. fin. & ibi gloss. ff. quod cujusque Uni-*
11 *versitatis, &c* Distinctio * vero inter eam destructionem, quæ fit à potestate legitima, & quæ à Tyranno vel prædone: siquidem de morte naturali quæratur, mihi, salvo aliorum judicio, non necessaria videtur. Nam uti tam illum hominem, qui à latro-

latrone vel Tyranno, quam qui à Magiſtratu aut in lectulo finem vitæ ſuſcepit, mortuum, & vere mortuum affirmare poſſum: ſic & civitatem. Res enim facti eſt, non juris. Nec mihi quis unquam perſuadebit, eum, qui ex rerum natura ſublatus, & ad nihilum redactus eſt (niſi forte per gloriam, & in hominum memoria: quod huc non pertinet) vivere. Nihil quippe his reclamat *l. hereditas, ff. de petit. hered.* ubi hereditas etiam ſine ullo corpore intellectum habere dicitur. Hereditas enim jus eſt. Jus autem accidens eſt, quod animo & concipere & retinere poſſumus: Quale eſt creditum quoque & æs alienum, atque ſimilia. Hæc vero de quibus quæritur, corpora ſunt & ſubſtantiæ, quorum proprium eſt, ſenſibus comprehendi poſſe; certumque judicium interitus ſumitur, quando nusquam apparent nec apprehendi poſſunt. Itaque *d. l. hereditas, & ſimiles*, eo magis pertinent, ubi ſalvo privilegiario inſtrumentum privilegii periit: ibi tunc privilegii jus retineri, & confirmationem impetrari (ut *cap. ult.* oſtendam) æquum eſt. Hæc igitur ad nihilum redacta, pro nihilo ſunt habenda. Ita Carthago non ab ſuperiore cum cauſæ cognitione, ſed ab hoſtibus ſuis deleta, mortem paſſa dicitur *in d. l. ſi uſusfructus, 21. ff. quibus modis uſusfruct. amitt.* Ita quæ chasmate cum urbe & territorio abſorpta eſt civitas, & periiſſe, & jura omnia amiſiſſe creditur, ut ait Bart. *in d. l. ejus qui, §. Celſus.* Eccleſia tamen, quamvis omnibus ex collegio mortuis, jura ſua retinet: quia privilegium non collegio tantum, ſed loco quoque tributum cenſetur, *gloſſ. fin. in l. ſicut, 7. ff. quod cujusque Univerſitatis, &c. & conſentit Bart. in l. ſodales, 4. ff. de collegiis.* Et hæc quidem in eo genere mortis, quod naturale dicimus, obtinere credendum. Alterum * mortis genus ci- 12
vile eſt, & juris quadam fictione conſtat: quando videlicet proſcribitur, damnatur, capitur, aut in ſervitutem redigitur, *Gail. d. loco, num. 3. Bart. in l. hoſtes, 24. ff. de captivis, & fac. tot. tit. ille.* Ita civitates Tuſciæ ab Henrico Imp. condemnatas,

omnibusque privilegiis & juribus privatas, ac capite deminutas, ait Bart. *in d. l. ejus qui, 27. §. Celsus, ff. ad municipalem.* In
13 his * vero quæ, ut dixi, juris potius dispositione, quam facto nituntur, distinctio prædicta recte servatur. Nam ille demum & captus rite, & pro mortuo habendus, qui ab hoste captus est, *d. l. hostes, 24.* Hostes autem sunt, quibus bellum publice populus Rom. decrevit, vel ipsi populo Rom. *d. l.* Et bellum proprie, quod Rom. imperium movet, vel contra id ab altero movetur: ut ait Abbas *in capit. sicut & infra, de jurejurand.* Quod vero à latronibus aut per civilem dissensionem factum est, nihil operatur, *l. si quis ingenuam, 21. & d. l. hostes, 24. ff. de capti.* Idem de proscriptionibus, captivitate, & similibus existimandum. Illa enim tantum & mortem & privilegiorum amissionem inferre credenda, quæ ab legitima potestate profecta constat. Hic ergo primus est amissionis privilegiorum in hoc genere modus, ab morte ejus, cujus fuerat privilegium, proveniens.

CAPUT XV.

Renuntiatione expressa vel tacita privilegia amitti tollique, monstratur.

BREVIARIUM.

1. *Unusquisque favori suo, & quæ pro ipso sunt introducta, renuntiare potest.*
2. *Idque vel expresse.*
3. *Vel tacite, facto contrario vel non facto.*
4. *Quo facto quis renuntiare dicatur, ostensum.*
5. *Exempla.*
6. *Qui semel usus est privilegio stricte, non potest eodem uti large.*
7. *Non renuntiat privilegio, qui cum protestatione contra privilegium agit.*

8. Nisi

8. *Nisi non sit opus protestatione.*
9. *Aut aperta sunt conjectura, talem non voluisse privilegium à se abdicare.*
10. *Voluntaria facta nihil derogant juri.*
11. *De protestationibus.*
12. *Privilegium cum clausula annullativa & prohibente retinetur cum actu contrario.*
13. *Quando de superioris intentione constat, inferioris contraventio nihil operatur.*
14. *Privilegio unico actu contrario & perfecto tolli probatur. num. 19.*
15. *Distinctiones glossa de hac quastione repudiantur.*
16. *Et alia distinctio.*
17. *Persona singulares non possunt per contraventionem renuntiare privilegio vel universitatis.*
18. *Alienatio prohibita de consensu omnium, quorum interest, fieri potest.*
20. *Directe contra privilegium actum esse oportet, ut ei renuntiatum censeatur. num. 25.*
21. *Idque cum effectu factum esse necesse est.*
22. *Qua consuetudine inducta sunt privilegia, unico actu non intereunt.*
23. *Nisi quinque casibus*, secundum Felin.
24. *Qui facto renuntiat, illi tantum parti renuntiasse creditur, contra quam egit.*
26. *Quomodo non facto renuntiatum censeatur, declaratur.*
27. *Quod annorum non usu privilegium abrogetur, disquiritur.*
28. *Meum quod est, tuum non est; quod vero meum non est, non protinus tuum est.*
29. *Differentia inter rescriptum & privilegium.*
30. *Privilegium non utendo amittit, qui munus, cui privilegium adhaeret, per alium exercet.*
31. *Privilegium non amittitur non usu, si nunquam fuit utendi occasio.*
32. *Jus quod non potest exerceri nisi morte, non amittitur per non usum.*
33. *Ut & illud, cujus exercendi facultas libera impetrantis voluntati relicta est.*
34. *Privilegium quod certo tempore intra quod & illo uti conveniat, finitum est, aliam legem non admittit.*

ALIUS modus renunciatio est, cum quis privilegio jurique ad se pertinenti, expresse vel tacite, sua voluntate renunciat, eoque vel in perpetuum, vel certo in casu non usurum profitetur. Quod fieri & solet & potest: cum unusquisque
1 * favori suo, & his quæ pro ipso sunt introducta, renunciari possit, *l. si judex, 41. ff. de minoribus, l. filio, 17. ff. de injusto rup. irr. fact. test. l. potest, 71. ff. ad leg. falcid. l. pactum, 46. ff. de pactis, l. emptorem, 9. C. locati, l. si quis in conscribendo, 50. C. de Episc. & cler. l. si quis in conscribendo, 29. ubi Bart. Bald. Decius & Dd. C. de pactis, l. 1. l. 2. ff. de judiciis, l. fin. in fi. C. de tempor. appellat. l. 2. C. ut in possess. legat. l. fin. §. pen. ff. ad Vellejan. l. ille, 13. §. pen. ff. ad Trebell. A. Gail. lib. 1. observat. pract. cap. 40. lib. 2. cap. 27. &c.* In quam sententiam Cicero *act. 3. in Verrem.* Quod mihi lex mea causa dat, inquit, eo mihi non uti non licebit? Expresse renunciari dixi, vel tacite. Expressa * renunciatio verbis fit
2 maxime, vel per literas, aut similem expressam animi notam, qua privilegio suo aperte & in specie uti se non velle, aliquis profitetur, *l. 1. ff. si quis in jus vocat. non ierit. l. si fidejussor, 7. in princ. ff. qui satisdare cog. l. 3. ff. de pact. l. 4. §. quæsitum ff. si quis cautionibus, &c. l. accusationem, 6. ff. de his qui accus. non possunt.* Tacita * renunciatio, facto fit contrario, *l. cum furiosus, 39. §. 1. ff.*
3 *ff. de judic. l. pen. §. fin. ff. de vacat. & excus. munerum, l. de lege, 6. §. fin. ff. de lege commisso, l. 1. §. 1. ff. de feriis, l. nihil, 12. & ibi gloss. ff. de inoffic. testament. l. commissoria, 54. Cod. de pactis inter empt. & vendit.* vel non facto, *d. l. de lege, 6. d. §. ibi, si venditor legem dictam non exercuisset, &c.*

Facto * actuve contrario privilegio renunciatur, si quis illius,
4 quod beneficio privilegii ipsi indultum fuerat, contrarium admittit, *d. l. si filius, ff. de minor. d. l. cum furiosus, §. 1. ff. de judic. l. filio. 48. §. 1. ff. de ritu nupt. l. 2. C. de jure domin. impetr. l. 3. & l. privilegio, 27. C. de decurion. Lib. X. c. ult. ibi, cum facto abjicerent privilegium clericale, c. si de terra, de privileg. c. cum accessissent, de constit.* Contraveniens enim privilegio dato ad aliquid non

non faciendum, videtur ipsi renuntiare, *capit. privilegium, 11. q. 3. Bart. in l. 1. C. de his qui sponte, Lib. XII. & in l. 2. ff. de veteranis, P. Anchar. consf. 255. sub fin. Joan. Andr. in reg. accessorium, de regul. jur. lib. 6. in Mercur.* concludens, * quod Doctor privi- 5
legiatus ut non teneatur disputare, si disputat, videtur renuntiare privilegio. Sic qui privilegium habet, non solvendi decimas, & nihilominus solvit, privilegio renuntiare videtur, *cap. accedentibus, & c. si de terra, de privileg.* Ita qui privilegium habet, ut non conveniatur, nisi in quantum facere potest, solutum repetere nequit *l. quod nomin. 8. & l. seq. ff. de condict. indeb.* Et deponens amittit privilegium depositi, si accipiat usuras, *l. qui nominibus, 44. §. 1. & ibi glos. ff. de adminisi. & peric. tut.* Ita qui legationis causa venit aliquo, & ibi contrahit, privilegium sui fori amittit, *d. l. cum furiosus, 39.* §. *1. ff. de judic.* Ita circa rem rusticam occupati, messium vindemiarumque tempore in forum compellendi non sunt, *l. 1. in princ. ff. de feriis.* adeo, ut sententia absentibus illis ipso jure nulla sit, *ibid.* si tamen hi sponte venerint, & sponte litigaverint, sententia valebit, *ibid.* §. *1.* Ita milites civileis curas arripienteis privilegiis omnibus denudari jubet *l. militares. 16. Cod. de re militar. Libr. XII.* Sic Dominus in servi contractibus privilegium habet, ut in debitis ex peculio solvendis omnibus creditoribus præferatur. Tamen si scierit, servum in peculiari merce negotiari, velut extraneus creditor in tributum vocatur, *l. 1. in prin. ff. de tribut. actione.* Ita creditorem, qui sua auctoritate ingredi potest, & adipisci possessionem, adeundo judicem renuntiare suo favori, censent Bald. *in l. 2. num. 29. C. de servit. & aqua. & in l. aden. num. 13. C. locati, & in l. 1. n. 1. in fine. Cod. de execut. rei judic. Negusan. de pign. 4. par. n. 15. Ruinus consf. 57. n. 3. consf. 127. num. 12. Lib. 4.* Ita perit privilegium dotis & tutelæ, si post divortium dos in stipulationem deducatur, vel post pubertatem actio tutelæ movetur, si id specialiter & voluntarie actum est, *l. aliam causam, 29. & ibi gloss. ff. de novat.* Quibus adjungi * potest & illud, quod tradit Angelus *in l. usum* 6
aquæ

aquæ, *Cod. de aquaductu*, cum qui semel usus est privilegio stricte, non posse eodem uti large, &c. Idem de similibus judicium esto.

7 Hoc interim * tenendum, si is, qui actum privilegio contrarium perpetraverit, se id citra præjudicium sui privilegii facere protestetur, privilegium retinere, *l. 1. & ibi Bart. Jo de Platea & Dd. & l. 2. C. de his qui sponte mu. publ. sub. Lib. X. Bart. in l. non solum, §. more, ff. de novi op. nunt. Socin. in consil. viso privil. 296. col. 2. ver. quarta ista, vol 2. Rebuffus de decim. q. 13. n. 113. Abbas in c. cum accessissent, de constit. L. Roman. cons. pro decis. 252. in fin.* quod si non fiat, privilegio renuntiatum videri, *d. l. pen. §.*
8 *fin. ff. de vacat. mun.* nisi forte non * sit opus protestatione: ut in privilegiis ad excipiendum affirmat *gloss. in c. privilegia, l. in ver.*
9 *temporibus, 25. q. 2.* Cum item * apertæ sunt conjecturæ, talem non renuntiasse privilegio suo, sed jure tantum communi uti voluisse, reservato nihilominus in subsidium jure speciali, renuntiatum non videtur, *text. express. in l. 3. ff. de test. mil. l. Clodius, antepen. ff. de adquir. vel omit. hered. l. quia autem, 6. ff. si quis omiss. causa testa. l. si quis stipulatus, 112. l. eum qui, 138. §. 1. ff. de verb. oblig. l. homine, 18. ff. de optione vel elect. leg. ult. C. de codi-*
10 *cillis*, voluntaria * enim facta nihil derogant juri, *l. voluntarie, 12.*
11 *C. de excus. tut. l. quisquis, 6. in fi. C. de postul.* Quomodo * autem, quando, ubi, cui, à quo, in quem finem, &c. fieri debeat quævis protestatio? vide Felinum *in c. cum M. Ferrariensis, colum.*
12 *17. & seq. de constit.* Retinetur quoque * cum actu contrario privilegium, si clausulam habeat annullativam, ut loquuntur, prohibentem, aut irritantem, &c. quo casu neque contraventione neque præscriptione amittitur, *Archidia. in c. cum de beneficio, n. 2. de præb. lib. 6. Felin. in d. c. cum accessissent, col. 16. limit. 4. de constit. &c. si diligenti, fall. 2. corol. 4. de foro compet. Bald. in l. si solennibus, in fine, Cod. de fide instr. Rota decis. 293. incip. Item not.*
13 *gloss. in antiquis*, quando * enim de superioris intentione constat, inferioris contraventio nihil operatur, *c. dilecto, ubi gloss. in verbo clausu-*

clausula de prabend. Felin. & Dd. dd. locis. Sed hæc ad illa pertinent, quibus renuntiari nequit, ut postea dicemus.

Quæritur * hic necessario, unicus actus renuntiationem privilegii introducat, an plures requirantur? Varie autem circa hanc quæstionem distinguit glossa *in ca. cum accessissent, in verbo contravenerint, de constit.* Ego omissis illis, privilegia actu unico contrario & consummato amitti tollique ajo, argumento *d. c. cum accessissent, & c. seq. c. pro illorum, de præb. l. commiss. 4. C. de pact. inter empt. & vend. l. 2. C. de jure dom. impet. l. 2. C. de his qui propter met. jud. non appell. Bos. in tit. de Princ. n. 320. & fac. pleraque supra dd. ll.* Sciendum quippe est, nos hic de actu solum contrario ipsius privilegiati loqui: glossa * vero admiscet contrarios actus præscribentis vel tertii cujusdam: qui tamen proprie loquendo non inducunt privilegii renuntiationem, sed negligentia privilegio suo certo spatio non utentis renuntiationis tacitæ locum occupat, de quo genere postea dicendum. Ita seorsum unumquodque considerandum ac definiendum, nec alterum altero commiscendum. Qua de causa nec illa mihi distinctio glossæ placet, quod privilegia onerosa unico actu perdantur; aut favorabilia non item. Nam præterquam quod contra doctrinam Accursii *in l. sed licet, 12. ff. de offic. præs.* hæc neque lege neque ratione ulla probat: certum est, privilegia pleraque favorem potius quam onus continere: quorum tamen plurima unico actu labefactari prædictis exemplis & legibus probatur. Ita nec illa glossæ distinctio stare potest, aperta quidem & expedita, sed minus vera, quod personalia privilegia unico actu intereant, realia non intereant, quod his versibus comprehendit:

Privatam legem tollit contrarius actus,
Si personalis sit: si patet esse realis,
Tunc non perdetur, nisi præscripsisse probetur.

Nec enim dubium est, multa hujus generis unico actu rescindi. Exempli causa, collegio ordinive cui aut Ecclesiæ data privilegia, realia esse ipsa glossa fatetur: iisdem vero unico actu re-

nuntiari, ostendunt *d. c. cum accessissent*, *cum c. seq.* & *d. c. pro il-*
16 *lorum*, *de præbend.* & *similia.* Eadem jura * distinctionem A. Gailii, quam ponit *libr. 2. observat. pract. cap. 60. num. 10.* & *seqq.* refutant, privilegia privatæ concessa personæ actu contrario perire, communitati vero vel Ecclesiæ data non perire. Nam & Ecclesiis data privilegia actu unico quandoque perire dd. capitula docent. Et quæ allegat *cap. si de terra*, & *cap. accedentibus*, *de privileg.* non tam de facto contrario, quam negligentia & non usu privilegiarii loquuntur, eundemque causam amissi privilegii constituunt: ut & glossa *in d. c. accedentibus*, satis aperte docet. Quam
17 enim subjungit rationem, quod personæ singulares non possint per contraventionem renuntiare privilegio Ecclesiæ vel communitatis: id ego & verum esse, & nihil ad rem præsentem facere dico. Alterius enim juri neminem renuntiare posse, in sequentibus docebitur: at suo posse, non negatur. Aliud autem est jus privatum, aliud commune seu publicum, unde juri publico & communi nemo privatus renuntiare potest. Sed enim ut juri suo & privato privatus recte renuntiat, sic juri communi collegium totum, universitas seu communitas renuntiare potest, ut sæpius *d. c. cum accessissent*, & *c. seq. de cap. pro illorum* ostendunt. Aliena-
18 tio * enim licet prohibeatur, de consensu tamen omnium, in quorum causa prohibita est, fieri potest, *l. nihil*, *120. §. 1. de legat. 1. l. cum pater*, *77. §. libertis*, *27. de leg. 2. l. quoties*, *11. C. de fideicom.* Stat ergo sententia, privilegia unico actu contrario pri-
19 vilegiarii renuntiari. Et huc * facit notabilis doctrina Antonii (*refert Felin. in d. c. cum accessissent*, *col. 15.*) *in d. cap. accedentibus*, *in 2. col. ver. per prædicta*, *de privileg.* ubi dicit, quod quando actus repugnans privilegio est incompassibilis cum ipso privilegio, nec in eo potest cadere alia præsumptio quam renuntiationis: tunc semper per contraventionem etiam unico actu factam renuntiatum judicatur. Ex quibus potest intelligi etiam dictum Bartoli *in l. fin. ff. de constit. Princip.* quod sequitur *Alexand. in cons. ex themate*, *193. vol. 2. col. 3.* & *cons. visis*; *109. in fine*,

vol.

vol. 3. & conſ. ponderatis, 33. vol. 1. Boſſius in tit. de Principe, n. 320. privilegium quod operatur effectum ſuum uno momento, tolli etiam unico actu: ſecus ſi effectum habeat ſucceſſivum, *per l. voluntariæ, C. de excuſat. tut.* In ſumma, * directe atque expreſ- 20
ſe contra privilegium ventum eſſe oportet, ut ei renunciatum cenſeatur, *ut d. loco* Felinus oſtendit. Quin * & illud ex eodem 21
Felino diſcendum, ad talem renunciationem requiri, ut actus contrarius privilegio ſit ſortitus effectum: ex ſolo autem conatu neminem renunciaſſe videri. In civilibus enim conatus non accipitur pro effectu, *per Bald. & gloſſ. in l. ſi conſtiterit, C. finium regund.* Omnium vero maxime hic ad animum revocanda eſt illa cautio Felin. *in d. c. cum acceſſiſſent, col. 17.* ubi hoc omne in iis tantum privilegiis locum habere ait, quæ ex unico actu momentaneo, velut ex ſtatuto, lege, vel privilegii conceſſione, nata ſunt: ea * vero quæ conſuetudine ſunt introducta, ſicut non uno ſunt 22
inducta actu, ita non niſi multiplici contraventione tolli, *arg. c. 1. de regul. jur. cum ſimil. Innoc. in cap. accedentibus, de privileg. Hoſti. in c. ad audientiam, in gloſ. 2. de cler. non reſident. gloſſ. in l. nemo, §. temporalis, ff. de regul. jur. quam ſequitur Bald. in c. cum acceſſiſſet, & c. 1. §. notandum, circa med. qui feud. da. poſſ. & in l. 1. poſt prin. ver. pone, quod ſunt late, & in l. 2. ad fin. ver. deinde quærit, C. quæ ſit longa conſuetud. & in c. 1. in princ. ver. adde, quod conſuetudo, de feu. cog. Abb. in cap. ult. col. 12. ver. ſed quæro, de conſuetud.* Quinque * tamen caſus notat idem Felinus, in quibus 23
unico actu conſuetudinem tolli cenſet. Primo; cum illi, quos inter eſt inducta conſuetudo, faciunt collegialiter & ſcienter actum contra conſuetudinem, id quod ſentit etiam Abbas *in d. cap. pro illorum, in 2. col. ver. in conſuetudine eſt magnum dubium, de præb.* Secundo; cum unicus ille actus non eſt momentaneus, ſed continuus: quia, ſi durat tanto tempore ſcientibus illis de populo, quanto fuit inducta conſuetudo, dicitur ſublata. Ita ſentit. *Jo. And. in c. in fine de conſuet. P. Anchar. in conſ. in Chriſti, 153.* Tertius caſus eſt in conſuetudine, quæ non requirit præſcriptionem,

quia etiam secunda recens tollit priorem, secundum Bald. *in c. 1. §. notandum, in 2. col. qui feud. dare possunt, per text. eleg. in l. mella. §. 1. ff. de alim. & cib. leg.* Quartus casus est, ubi agitur possessorio: quia tunc consuetudo non præscripta derogat præscriptioni, sed prædicta procedunt, ubi agitur petitorio. Ita dicit Baldus *in c. 1. in princ. de feudi cog. allegat Joan. And. in c. cum Ecclesia, in gloss. 1. de electio. Frid. de Senis. in cons. super primo puncto, 234. in pen. col.* Quintus casus est, ubi consuetudo erat in fieri, sed nondum completa. Unus enim actus contrarius eam interrumpit, cum de tacito populi consensu appareat, *argum. l. nisi repugnantia, ff. de reg. juris, c. solicitudinem, in fine, de appellat.* Il-
24 lud denique * circa prædicta notandum, eum, qui venit contra privilegium suum, etsi non protestetur, non renuntiasse privilegio videri, nisi quoad illum tantum actum, & ab eo dependenteis, non etiam quoad alios actus de quibus loquitur privilegium. Ita sentiunt Bartol. *in l. 2. §. fin. ff. de decurionibus. Cynus, Salicetus, in l. voluntaria, C. de excusat. tut. Cardin. cons. 180.* Quibus addendum, quod secundum Felin. & Abbat. *in d. c. cum accessis-*
25 *sent*, tradit Æg. Boss. *in tit. de Principe, num. 320.* privilegio * renuntiatum non videri, nisi directo eidem contraveniatur. Directo contraveniri, quando concessum est unum tantum privilegium, & quis faciat actum contrarium privilegio. Quod si vero concessum est privilegium alicui generale, ut exemptus habeatur ab omnibus oneribus, vel à tribus aut quatuor, contraveniendo quoad unum, non contravenire aliquem directo, & ideo non amittere sua privilegia, *per l. voluntaria, Cod. de excusat. tutor.* ne in illo quidem actu, ut post Abbatem *in d. cap.* asserit Bossius *d. loco*, quod postremum ego non utique dederim; & contrarium modo audivimus. Quæ de illo tacitæ renuntiationis genere, quæ fit per actum contrarium privilegio, dicta sunto.

26 Alterum * tacitæ renuntiationis genus in non facto consistere dixi. Id eo fit, quod sicut leges & statuta tacito consensu per desuetudinem abrogantur, *l. de quibus 32. in fin. ff.*

de

de legibus, *§. quoniam vero in fi. ibi, quoniam non utendo perempta est, auth. quibus mod. naturales effic. sui, quibus adde Bar. in proœm. digest. §. & antea, & Dd. quos allegat Gail. lib. 2. observ. 60. n. 4.* ita & privilegia, *d. c. antecedentibus, ubi gloss. & fac. l. si ea, 7. C. de his qui accusare non poss.* Facile enim quodvis ad suam naturam revertitur, *l. si unus, 27. §. pact. ff. de pact.* Quanto * autem tempore privilegium non utendo amittatur? inde nonnihil dubitationis nasci videtur, quod leges aliæ decem, aliæ triginta: aliæ quadraginta annos constituere videntur. Sed mihi maxime simile veri videtur, privilegium regulariter decem annorum non usu amitti, *arg. l. 1. ubi Dd. ff. de nund. fac. gl. ult. in l. falso, C. de divers. rescr. & in c. 1. 25. q. 2. Felin. in d. c. cum accessissent, n. 25. & Pannor. ibid. n. 6. Bar. in l. licitatio, §. earum rerum, n. 3. ff. de publ. & vectigal. & in l. fi. ff. de Const. Prin. Jo. And. in c. 2. de immutat. Eccles. lib. 6. P. Anch. in cons. in q. 255. Boss. in tit. de Princ. n. 319.* Quæ autem plurium annorum mentionem faciunt leges, non de amissione privilegiorum, sed de præscriptione potius & jure tertii loquuntur. Atque ita absolute decennio amitti jus privilegii dico. Id quod maxime fit respectu conferentis & eorum, quibus illo privilegio derogabatur. Nam cum privilegiarius non utendo ad jus commune redigitur, unusquisque quod ei jure communi competit, assequitur. Non tamen protinus quod mihi decedit, tibi accedit. Pro derelicto enim habitum desinit quidem omittentis esse, non autem fit alterius, nisi possessum fuerit, *l. 2. in fi. ff. pro derelict.* Et meum * quod est, tuum non est, quod vero meum non est, non protinus tuum est, *l. si inter, 15. in fi. ff. de excep. rei judic.* Veluti, cum jus nundinarum decennio amitto, secundum *d. l. 1. ff. de nund.* ille quidem qui prius privilegium dederat, alteri id conferre (quod alias sine mea injuria facere nequisset) potest: nemo tamen ob id nundinis gaudebit: nisi quis specialiter impetraverit, aut legitimo tempore præscripserit. Ita post decennium quidem ego jus

27

28

meum amitto; tu vero post triginta demum aut quadraginta annos præscribis. Hinc jam jus commune locum habet, ut adversus quidem laicos annis triginta, *c. ad audientiam de præsc.* adversus Ecclesiasticos, quadraginta, *d. c. accedentib.* adversus Rom. vero Ecclesiam centum annis *d. c. ad audientiam*, præscribatur. Archidia. tamen, referente Felin. *in d. loco.* rationem *d. l. 1. ff. de nund.* eam esse dicit, quod qui nundinas impetrat, facit præjudicium multorum. Et eo impetrationem hanc, velut odiosam, breviore tempore amitti. Quod si vero hoc fiat cum præjudicio singularis tantum personæ, privilegium esse perpetuum, per *d. l. falso, C. de diver. rescr.* Sed hanc restrictionem negat omnino Felin. Nam lex ista loquitur tantum

29 de rescripto: cujus * natura est, ut non perdat vires suas per non usum, nisi data impetratione secundi, *per c. plerunque de rescr.* ubi Abb. sic. *in 3. not.* hanc differentiam colligit inter pri-

30 vilegium & rescriptum: Sed * & illum denique privilegium non utendo amittere, qui munus sive onus, cui privilegium illud adhæret, per alium exercet, *gloss. in l. ult. in pri. ff. de. excus.* ait.

31 Cæterum cum privilegium * non utendo amitti dico, negligentiam requiro, ita nimirum, ut cum quis potuisset vel debuisset uti, usus non sit. Quod si vero ideo intermisit, quia occasio nulla fuerat utendi, etiam si ultra hominum memoriam aut mille annos nunquam utatur, privilegium haud quaquam amittit; ut pluribus eleganter docent Felin. *in d. c. cum accessissent, col. 12. de constit. A. Gail. lib. 2. observat. pract. c. 60. n. 2. & deinc. & fac. l. sed si Attillicinus, ff. de serv. rust. præd. gl. in c. Abbate, in verbo ibidem, ante fin. de verb. signific. & ibi Ant. & Abb. prope fin.* non usu privilegii voluntario id tolli ajunt, non item non usu necessario seu inevitabili: quandoquidem qui nequeat uti, non sit in culpa vel mora. Idem affirmant *Jo. And. in c. Joan. in 4. col. ver. ubi ver. usus, de cler. conjug. & Bar. in l. filius. C. de decur. Lib. X.* ubi dicit, quod si aliqua civitas

vitas teneatur scribere exercitum, quando Princeps id facit, idque per centum annos Princeps intermisit, quia non opus habuit exercitu, aut quia suis copiis rem gerere potuit: Principem per hæc jus suum non amittere. Quod repetit Bart. *in l. cum scimus, post princ. C. de agricol. & cens. Lib. XI. & sequitur Lud. Roman. in rubr. Dig. de arbitris, in 21. col. ver. 12. fac. gloss. pen. in Clem. 1. de foro comp. gloss. 2. in c. plerunque, de rescri. Innoc. in c. dilectus, de cap. Monach. Angel. in cons. jam sunt octoginta anni. 191. sub fin. Specula. super rubr. de feud. Abbas in cap. ad audientiam, in ult. col. de rescript.* Ita jus quod * non potest ex- 32
erceri, nisi morte, non amitti per non usum, ait Bald. *in l. illud quoque, C. de S. Eccles.* Aliam * quoque regulæ hujusce 33
limitationem tradit idem Felinus ibid. ut intelligatur, quando est data simpliciter facultas aliquid faciendi: quando vero facultas est posita formaliter in expressa & libera voluntate ejus, cui fit concessio, illi nullo tempore præscribi, non ullo non usu amitti, ait; allegans *gloss. pen. in c. ut privilegia, in fin. de privileg.* Et vidisse se scribit, cum Imp. dedisset in suo privilegio cuidam Nobili facultatem faciendi molendinum, cum ista clausula: Ad libitum voluntatis tuæ; atque ipse per multos annos hac facultate non usus fuisset: ob id tamen jure suo non privatum, &c. Quibus adde Æg. Boss. *in d. tit. num. 319. circa fin. & C. Tapiam in l. fin. ff. de constit. Princ. part. 2. cap. 1. num. 13.*

Illud denique * monere debui, hæc omnia de his privi- 34
legiis dici, quibus non est terminus temporis vel modus adjectus. Quod si vero tempus certum, intra quod uti privilegio conveniat, additum inveniamus: ut *l. 1. & 2. C. de restit. milit.* illo tempore, sive longius decennio fuerit, sive brevius, standum ajo. In apertis enim conjectura non est opus, *l. continuus, 137. §. cum ita, 27. ff. de verborum oblig. l. ille aut ille, 25. de leg. 3. l. si quis, 79. de legat. 1.*

CA-

CAPUT XVI.

Nonnulla de renuntiationibus scitu necessaria hic attexuntur.

BREVIARIUM.

1. *Privilegio ille demum rite renuntiat, qui sciens, videns volensque renuntiat.*
2. *Juri, quod quis ad se pertinere ignorabat, nemo renuntiat.*
3. *Nulla est errantis voluntas.*
4. *Mulier Vellejano renuntiate nequit, quæ beneficium illius ignorat.*
5. *Generalis renuntiatio ad illos casus non pertingit, de quibus actum cogitatumque probabile non est. num. 39.*
6. *Imperfecta renuntiatio nihil valet. num. 42.*
7. *Parti privilegii renuntians, non renuntiat toti.*
8. *Vi metuve coactus invalide renuntiat.*
9. *De restitutionibus & similibus materiis aliunde discendum.*
10. *Juri suo quomodo quis renuntiare possit? doceo.*
11. *Jure enim, quod non est penitus, neque tantum, aut certe separabiliter meum, renuntiare non possum.*
12. *Nemo potest renuntiare juri suo in alterius præjudicium.*
13. *Exempla. num. 34.*
14. *Juri Divino aut naturali nemo renuntiare potest.*
15. *Veluti; feriis, asylo, defensioni, privilegio clericali.*
16. *Juri futuro an renuntiari possit? quæritur.*
17. *Juri publico non renuntiatur.*
18. *Dignitatis suæ privilegio nemo renuntiare potest.*
19. *Quando juri publico renunitari possit? ostensum.*
20. *Nemo potest facere, ut leges in suo testamento locum non habeant.*
21. *Nec potest quis renuntiare solennitatibus & formulis juris aut omnino constitutioni prohibenti. num 33.*
22. *Privilegio fori persona Ecclesiasticæ renuntiare nequeunt.*
23. *Quæ contra bonos mores fit renuntiatio, invalida est.*
24. *Minores privilegiis suis renuntiare non possunt.*

25. An

[illegible]. An Vellejano mulier renuntiare possit? quaritur. num. 27.
26. Major est minorum, quam fœminarum imbecillitas.
28. Alimentis an liceat renuntiare?
29. An doti?
30. An privilegiis exemptionis?
31. An beneficiis Macedoniani?
32. Legi disponenti super insinuatione renuntiari non potest.
35. Qui semel renuntiavit, renuntiationem revocare nequit.
36. Semel voluisse sat est.
37. Nisi protestatum sit.
38. Filia successioni paternæ renuntians, non perpetuo exclusa intelligitur.
40. Uni renuntians privilegio, non ideo aliis renuntiat.
41. Privilegio renuntians, non ideo juri communi renuntiat.

PRIUSQUAM finem hisce imponamus, nonnulla de renuntiationibus scitu hic pernecessaria attexere oportet. Acprimo, quod supra dictum, sua voluntate renuntiandum privilegio, ut valeat renuntiatio, hoc quoque loco repetitum dictumque volo. Privilegio enim * jurique omni efficienter is demum renun- 1
tiat, qui sciens, videns, volensque renuntiat. Juri enim, * quod 2
quis ad se pertinere ignorabat vel dubitabat, nemo renuntiat, *l. mater, 19. & ibi glos. in ver. competere, ff. de inofficioso test. l. de ætate, 11. §. ex causa, ff. de interrog. act. l. si cum te, 51. ff. de pactis, l. ult. ibi, ita tamen, si Dominus sciens, &c. C. de furtis, gl. in l. 2. §. 1. in ver. consensus, ff. de judic. c. lectæ, de renuntiat. l. cum Aquil. 5. & ibi Dd. ff. de transact. c. ad Apostolicam, de reg. Specul. in tit. de renunti. & conclus. §. 1. ver. cessat autem, Hosti. in summa, in tit. de fidejuss. §. & si quis, in ver. Idem est, & Jo. Ana. in c. 2. de pactis, lib. 6. Fr. Aretin. in cons. consultatio præmissa, 33. in 5. colum. Alex. & alii, in l. fin. §. fin. ff. ad Vellejan.* etiamsi interveniat juramentum, *Dd. in l. sciendum, ff. de verborum obligat.* Nulla * quip- 3
pe est errantis voluntas, *l. sed hoc ita, ff. de aqua pluv. arc. l. si per errorem, 15. ff. de jurisdict. l. cum testamentum, 8. l. sequent. Cod. de juris & fac. ignorant. l. si procurator, 35. ff. de adquir. rerum dom.*

l. 2. in princip. ff. de judic. l. etsi consensum, 15. ff. de contrahend. empt. l. 3. §. subtilius, 8. ff. de condict. causa data causa non sec. Un-
4 de * mulier renuntians Senatusconsulto Velle. si non de beneficio hujus certior antea facta fuerit, intercedendo vel renuntiando non obligatur, *Dd. in l. fin. §. fin. ff. ad Vellejan. Alex. & Dd. in d. l. sciendum, n. 33. Id. Al. in cons. super præmisso, 42. num. 5. vol. 1.* nec pupillus accipiendo usuras privilegium amittit, *l. qui nomini-*
5 *bus, 44. §. 1. ff. de adminis. & peric. tut.* Itaque * & generalis quæcunque renuntiatio ad eos casus nunquam extenditur, de quibus tum actum cogitatumque fuisse, probabile non est, *fac. l. ult. ff. qui satisd. cog. l. 4. §. quæsitum; ff. si quis cautio. l. fin. C. de non*
6 *num. pecun.* Quomodo * imperfectam quoque renuntiationem invalidam nullamque esse, argumento est *l. antepen. ff. de jurisd.*
7 *omn. judic.* & res ipsa probat. Ita si parti * uni privilegii renuntiatum sit, non protinus universo renuntiatum videri debet: negligentia enim in uno, non nocet in alio, *l. item si, in princ. ff. de alien. jud. mut. causa facta, l. translatis, in fin. ff. quemadmodum servitus amit. P. Anchar. in cap. si clericus pro quo, colum. ult. de præ-*
8 *bend. lib. 6.* Sic * item cum quis vi aliqua metuve coactus privilegio renuntiat, invalide renuntiasse censetur, *cap. ad audientiam, de iis quæ vi metusve causa fiunt, cap. ad aures, cap. Abbas & ibi Ant. de Butrio ibid.* Nam si maxime teneat renuntiatio, quoniam voluntas etiam coacta voluntas est, *l. si mulier, 11. §. pen. ff. quod metus causa gloss. in l. qui saccum, 77. ff. de furt. & in l. velle, 4. ff. de regulis juris*, restitui tamen repetenti privilegium debet, *d. l. si mulier, l. ait prætor, 7. §. 2. & ibi gloss. in verb. Imputandum, ff. de minor. l. fœdissimam, 20. C. ad leg. Jul. de adult. l. item, 14. §. qui vim. 12. & ibi gloss. ff. quod metus causa.* Nec item quivis metus, sed qui in constantem virum cadere potest, excusat, *d. capit. ad audientiam, l. metum, 6. & tot. tit. ff. quod metus causa*, & in summa talis, qualem ad restitutionis auxilium impetrandum jura requirunt, quod item in ignorantia seu errore servandum. Non enim juris ignorantia passim, sed facti, excusat, *tot. tit. Dig. & Cod. de*

de juris & facti ignorant. De * reſtitutionibus autem & ſimilibus 9
aliunde diſcendum. Nam ſi ego talia omnia perſequi ſigillatim atque accurate velim, in ingentem haud dubie, & oneroſam magis lectori quam profuturam magnitudinem præſens volumen excreſcet. Nec dubius mihi univerſi juris tradendi atque explicandi labor opusque forent, ſi id facere, & tales omnes quæſtiones atque materias conſectari vellem. Lectorem itaque tum in præſenti caſu, tum ſimilibus omnibus oratum volo, ut me quæ ad ipſum privilegiorum naturam cognitionemque pertinent, pro virili mea tradere atque explicare poſcat, reliqua abſcindere patiatur. Id tam ipſi quam mihi expeditum magis, & magis ad omnia profuturum, certum exploratumque habeo.

Sed * quoniam juri ſuo, atque ita privilegio, quemvis re- 10
nuntiare poſſe ſupra dictum, utrum id ſimpliciter ac ſine diſcrimine verum? merito hoc loco quæritur. Ego id affirmo: ſic tamen ut verbis ſimul accurate inſiſtam. Dico enim, ſuo juri & favori unumquemque renuntiare poſſe, ſed quatenus ſuus. Nam * 11
ſi quod jus non proprie, ſed ſecundario tantum & conſequenter meum eſt, ei renuntiare non poſſum. Si vero meum quidem eſt, non autem tantum meum, ſed alterius quoque ſimul, eidem quatenus meum eſt, renunciabo: ita ſcilicet, ut ſi ſine præjudicio alterius fieri poſſit, fiat, *l. juris gentium, 7. §. ſi paciſcar, l. in perſona, 30. in princ. l. inter debitorem, 42. juncta l. epiſtola, 52. §. pactum, ubi Bart. ff. de pactis, cap. cum veniſſent, de inſtitut.* ſin nequeat, non fiat, *l. de die, 14. ff. de pactis dotal. cap. cum tempore, de arbitr. cap. 2. de reſtit. in integ. c. cum olim, de privileg. lib. 6.* Tale enim jus, quod inſeparabiliter commune eſt, non vere meum dicere poſſum. Nec quisquam mutare * conſilium cum alterius detrimen- 12
to poteſt, aut juri renuntiare in præjudicium alterius, *gloſſ. in l. invitus, §. 1. ff. de regul. jur. Bart. Bald. & alii, in l. pen. C. de pact. Imola & Panorm. in c. ex conqueſtione, de reſtitut. ſpol.* etiamſi alter à renuntiante jus cauſamque habeat, *l. quod de bonis, §. fin. ff. ad leg. falcid. l. 2. & l. pen. cum ibi not. per gloſſ. Cod. ut in poſſ. legat. &c.*

Sane si privilegium sit concessum collegio, ut collegio per singulos ei renunciari haud posse, etiam ad commodum singulorum; sed ubi esset concessum universis & singulis, posse per singulos renunciari: ait Felin. *in c. cum omnes, de constitut. colum. 10. verb. in eadem glossa secutus Anton. suum, in capit. si diligenti, colum. 1.*
13 *de foro comp.* Rem * exemplis quibusdam notasse atque illustrasse juvabit.

14 Ac * primum erit, quod nemo potest renunciare juri Divino aut naturali, *l. jus sanguinis, de regul. jur. l. jus agnationis, 34. l. pen. ff. de pactis;* hæc enim immutabilia immobiliaque habentur, §. *antepen. Instit. de jure naturali, l. si id quod, 64. ff. de condict. indeb.* ideoque minime sunt in potestate & arbitrio singulo-
15 rum. Itaque * nemo potest renunciare feriis in Dei constitutis honorem, *gloss. in c. si ferialis, de feriis, l. fi. C. eod. Jason. ad l. 1. num. 4. ff. eod.* Nec consentire quis potest, ut in loco sacro capiatur: fieret enim injuria Deo, *c. frater. cap. minor, 17. q. 4.* Ita reus in criminalibus, non potest renunciare defensioni, quia jus est naturale, & nemo Dominus membrorum suorum, *l. liber homo, ff. ad leg. aquil. gloss. & Bart. in l. pactum inter heredem, ff. de pactis, Bart. Angel. & Imola in l. custodias, ff. de publ. judic. Bart. in l. Stichus, ff. de pecul. l. pulchro, Jo. And. in c. fin. de foro comp. Lib. VI. Imola in cap. lator. de pignor. Bald. & Salic. in l. fin. C. de negot. gest. Felin. in c. si diligenti, in prima fall. corol. 2. de foro compet.* Sic etiam clerici privilegiis renunciare non possunt, quæ non tam personarum honori, quam Dei Majestati, cujus sacris isti dies noctesque vacare debent, indulgentur, *l. non distinguemus, §. sacerdotio, ff. de arbitr. c. Cyprianus, c. mollitque cap. hi qui, 21. q. 3.*

16 Perinde juri * futuro, quoniam nondum nostrum est, nequit renunciari, *l. si ita sit scriptum, 45. §. 1. de legat. 2. l. is qui heres. 13. in princ. l. is potest, 18. ff. de adquir. vel omitt. hered. l. 1. §. decretalis, 7. ff. de success. edicto gloss. in l. pen. in ver. denegandam, ff. quibus lib. proclamare non licet, gloss. & Dd. in l. 1. C. de pactis, pluribus Vital. de Camban. in tract. clausularum, tit. de renuntia-*

nuntiatione jurium futurorum, nisi in judicio: ut volunt *gloss. & Bart. in l. 1. ff. de curat. bonis dand. & gloss. ult. in l. plurium, ff. de adquir. hered. Bart. & alii, in l. 1. & l. postquam, C. de pactis, &c. Socin. in reg. renuntiatio, 338.* Nec obstabit, quod supra dixi, ea quæ mox futura sunt, pro factis haberi. Illa enim de his tantum loquuntur, quæ sunt illico certoque futura: quibus renuntiari posse non nego. Hæc vero de iis loquuntur, quæ ita futura sunt, ut etiam non fieri possint.

Ob eandem * causam juri quoque publico renuntiare ne- 17
mo potest, *l. ita autem, 5. §. Julianus, 7. ff. de administr. & per. tut. l. jure nostro. 26. ff. de testam. tutela, l. 2. C. de condit. insert. l. 2. §. sed quia veremur, 4. C. de jurejurand. propter cal. dando, l. quod bonis, 15. §. 1. ibi, privatorum cautione legib. non est refragandum, ff. ad leg. falcid. l. jus publicum, 38. & ibi Bart. l. jurisgentium, 7. §. si paciscar, 14. l. si unus, 27. §. pacta quæ turpem, ff. de pactis, l. fin. in fi. ff. de suis & leg. hered. §. si autem in dotem, auth. de nuptiis, l. qui in potestate, 6. ff. qui test. fac. possunt, l. si adrogator, 22. ff. de adoption. l. testandi, 13. C. de testam. c. si diligenti, de foro comp.* Quo pertinent privilegia illa omnia, quæ Principem ipsum & Remp. ita attingunt, ut non possit his sine præjudicio illorum renuntiari, secundum Felin. & omnes *in d. c. cum accessissent, per text. in c. cum tempore, de arb. & in c. cum venissent, de instit. text. in cap. 2. ibi, non tam suum quam nostrum, de restit. in integrum, ca. cum olim, 2. circa med. ver. nos igitur, de privilegiis, Abbas in cap. significasti, in 5. col. ver. his tamen non obstantibus, de foro compet. & in c. cum dilectus, in 2. col. de relig. dom. in c. dilectus, prope fin. de Capellis mon. & in c. cum olim, in ult. col. de præscript. lat. Jo. And. in reg. scienti, de reg. jur. lib. 6. in Mercur.* ubi concludit, quod sententia lata contra exemptum circa exemptionem, non nocet superiori, cujus interest exemptum non esse alteri subjectum: & sequitur Abbas *in c. 1. in 8. col. ver. hoc puto procedere, de re judic.* Ob quæ *, dignitatis 18
quoque suæ privilegio nemo renuntiare potest: *l. 34. C. de decurioni-*

19 *rionibus Lib. X.* In quibus Bartoli * tamen distinctionem *in d. l. jus publicum, & Abbat. in c. ad Apostolicam, de regular.* observandam sequendamque opinor, ut ubicunque jus aliquod principaliter & directo respicit utilitatem publicam, à privatis mutari non possit: Sin vero directo & potissimum ad privatum tendat favorem, possitque sine præjudicio Reip. negligi, privatorum renuntiatione cedat. Cui consentit gloss. *in auth. ut sine prohibit. matres, &c. §. quia vero, in ver. Senatusconsulto.* cum juri, quod est publicum auctoritate & utilitate, renuntiari posse negat: juri vero quod est publicum auctoritate tantum, non etiam utilitate, si quidem sola renuntiari utilitas agatur, renuntiari posse.

20 Hinc nemo * potest cavere, ne leges in suo testamento
21 locum habeant, *l. nemo, 51. de legat. 1.* neque * renuntiare solennitatibus & formulis juris, *l. ita autem, §. Julianus, 7. ff. de administr. & peric. tut. l. contra juris, 28. in prin. ff. de pact. l. testanti, 13. C. de pact Bart. & Dd. in l. 1. C. eod. Felin. in c. si diligenti, fall. 2. de foro compet.* aut omnino constitutioni prohibenti, *Bald. in l. quos prohibet, ff. de postul. Cyn. in l. & mulier, C. ad Vellejan. & in l. 1. C. ne fidejuss. dot. dentur.*

22 Hinc * privilegio fori clerici personæque Ecclesiasticæ renuntiare non possunt, *d. c. si diligenti, & cap. significasti, ibid. cap. quod in dubiis, de renuntiat.* Hoc namque beneficium non est personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti collegio Ecclesiastico publice indultum, cui privatorum pactio derogare non potest, ut loquitur *d. cap. si diligenti.*

23 Ita * quæ contra bonos mores, (quorum si cujus alterius publica cura est, *l. illud convenire, 5. ff. de pactis dotal.*) fit renuntiatio, invalida est, *d. l. illud & l. alia causa, 14. in fin. ff. sol. matrim. l. si unus, 27. §. pacta quæ turpem, ff. de pactis.* Hac de causa maritus beneficio, ne conveniatur ultra quam facere potest, renuntiare prohibetur: quia contra bonos mores & receptam reverentiam, quæ maritis debetur id esse apparet,

paret, *d. l. alia causa.* Eidem tamen beneficio ex natura contractus orto, velut in societate, renuntiari potest, *Bartolus in d. l. alia causa, num. 5.*

Ita minores * licet privilegia in ipsorum tantum favorem 24
& animi imbecillitatem introducta, ac proinde ipsorum tantum esse videantur, tamen quoniam publica fide atque tutela curanda & adjuvanda est imbecillitas eorum, *argum. d. l. illud convenire, 5.* eis renuntiare non possunt, *Bart. in l. jus publicum 38. ff. de pactis, gloss. in l. si judex, 41. in verbo quia unicuique, ff. de minoribus, & in l. si intra, 6. in verbo renuntiatum, 5. Cod. de in integrum restit. Felin. in cap. si diligenti. fall. 4. corol. 2. de foro compet.* quia eadem facilitate ac imbecillitate induceretur minor ad renuntiandum qua ad contrahendum. Qua* ratione quidam neque 25
Vellejano mulierem, quamvis de jure edoctam, renuntiare posse confirmant: de quibus Card. Zabarel. *in d. cap. si diligenti, col. 2.* Sed id negandum penitus. Major *enim præsumitur imbecillitas mi- 26
norum, quam fœminarum, *l. verum, 11. §. 7. & l. seq. ff. de minor.* Unde & multis aliis favoribus cedit jus Vellejanum. Itaque fœminis suarum rerum libera administratio permittitur: minoribus non item. Horum enim tutor & curator supremus est Respubl. certis hanc semper curam suam personis injungens. Ita à præscriptione annorum triginta pupillaris quidem ætas, non tamen sexus fragilitas, eximitur, *l. 3. C. de præscript. 30. vel 40. anno.* Renuntiationem * denique Velle- 27
jani, à muliere, quæ rei totius cerrior facta est, interpositam, valere omnino firmamque esse, commune profitentur *Dec. n. 30. Alci. n. 43. in l. pen. C. de pact. Alex. n. 29. Jas. n. 31. Jo. Crot. n. 43. in l. sciendum, ff. de verb. oblig. & alii, quos allegat. Eman. Soarez. in thes. recept. sent. in verbo Vellejan. Et fac. l. ult. C. quando mun. tutelæ offic. fungi potest.*

Idem * sequendum in his, quibus alimenta relicta sunt, 28
l. cum hi, 8. in princ. ff. de transact. Anton. Abbas & Felinus in d. c. si diligenti, de foro comp. Imola in l. stipulatio hoc modo, col. 3. de verb

verb. oblig. Rom. in l. 1. ff. sol. matrim. Jo. Fabri. Instit. de patr. potest. Bald. in l. pactum, in fine, C. de collatio. Nam quia tales contenti modico præsenti facilius transigebant, quam ipsis utile erat, publica auctoritate interposita decretum est, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam prætore auctore facta. Quod tamen, siquidem vel renuntiatio vel transactio cedat in commodum eorum, qui hæc faciunt, cessare *d. l.* docet. Quod enim in favorem alicujus est introductum, non
29 debet illi damnum adferre. Ad alimenta * & dos pertinet,
auth. novissima, C. de inofficioso test. cui ibidem renuntiari nequit, *Rom. in l. 1. ff. sol. matrim. Fel. in d. l. si diligenti, fall. 1. corol. 5.*

30 Simili * ratione privilegia quoque exemptionum, & omnia alia, quæ non tantum renuntiantis, sed superioris quoque causam & favorem respiciunt, renuntiatione nunquam tolluntur, *cap. cum tempore, ubi Nicol. Abba. de arbitr. A. Gail. accurate lib. 1. observ. pract. c. 40.* Sane licet non quoad superiorem, quoad se tamen privilegio renuntiari posse, ait glossa *in d. cap. cum tempore, argumento cap. suborta, de sentent. & re judic. & cap. inter dilectos, de donat.* quibus consentiunt Felinus & Dd. *in cap. cum accessissent, de constit. per text. in d. c. cum tempore, & in cap. cum venissent de Instit. cap. 2. ibi, non tam suum quam nostrum, de restit. in integrum, c. cum olim 2. circa med vers. nos igitur, de privilegiis, Abbas in c. significasti, in 5. col. ver. his tamen non obstantibus, de foro compet. & in c. cum dilectus, in 2. col. de religios. dom. in c. dilectus, prope fin. de Capell. Monach. & in c. cum olim; col. ult. de præscript. late Jo. And. in regula scienti, de regul. juris, lib. 6. in Mercur.* Quod quidem in illo tantum casu judico admittendum, quo sine superioris præjudicio fieri potest: aliter nego: cum res inter alios acta, non debeat aliis præjudicium generare, *d. c. inter delictos.* Si tamen superioris accedat consensus, renuntiatio locum habebit, *cap. licet, de regul. cap. nihil, §. ecce, c. qualiter, c. quamvis, 7. q. 1.*

31 Ita privilegio, * quod filiusfamilias ex Senatusconsulto Macedoniano concessum est, ut non obligentur creditoribus suis ratione mutui, iidem renuntiare non possunt, *l. sed si paterfam. in*

in fine, ff. ad Macedon. Abbas & Card. Zabarel. in d. c. si diligenti, fo. comp. Hoc enim privilegium eis non tantum ipsorum datum est causa, quam odio creditorum pessimo exemplo fœnerantium, & favore parentum, quorum mortem hujuscemodi causis filii expectare aut etiam quærere docebantur, *l. 1. d. t.* Quomodo * & legi disponenti super insinuatione renunciari 32 posse, negat Baldus *in l. illud quoque, C. de S. Eccles. quæst. 5.* quia non est introducta in beneficium donationis, sed in odium accipientium clandestinas donationes, & ne quis prodige suis facultatibus utatur, *arg. l. Imperator, ff. ad Trebell.* & * legi statu- 33 enti solennitates in actibus hominum non potest renunciari, *l. nemo potest de legat. 1.*

Hæc * & plura alia hujus generis exempla inducit etiam 34 Felinus *in d. c. si diligenti*, quem, si vis, videre potes. Nec pauca vel contemnenda extant apud Vital. de Camban. *in tractatu clausularum, passim gloss. in auth. ut sine prohib. matres, §. quia vero in ver. Senatusconsulto, & in l. pactum, 46. in ver. cum liceat ff. de pactis.* & alios complures, qui de renunciatione scripserunt.

Hoc * postremo sciendum, quamvis privilegio suo nemo 35 renunciare cogatur, eum tamen qui semel renunciavit, nec privilegio in reliquum uti, nec revocare renunciationem posse, *l. 1. §. 3. ff. quibus appell. non licet, l. qui procuratorem, 57. §. 1. ff. de procurat. l. res, 22. §. fin. ff. de jure fisc. l. 1. C. de his, qui ven. ætat. impetr. l. si quis, 11. C. de rebus creditis, l. 3. C. de decurion. Lib. X. c. accepta, de restit. spoliat. c. quam periculosum, 7. q. 1.* Semel enim * voluisse sat est, *l. in diem, 9. §. 1. ff. de aqua pluv.* 36 *arcen. l. ei apud quem, 5. §. fin. ff. depositi, l. 1. §. prodest, 14. ff. quod legatorum, l. videamus, 17. ff. quod metus causa, l. de accessionibus, §. fin. ff. de divers. temp. præscript.* & quod semel repudiatum est, redintegrari minime conceditur, *l. fin. C. de condit. insertis. l. fin. C. de remiss. pign.* Nisi * tamen cum protestatione 37 vel tacita, vel expressa sit renunciatum. Omnis * enim renun- 38

 tiatio,

tiatio casus illos, de quibus actum cogitatumque probari ne-
39 quit, tacita protestatione excludit. Unde * filia successioni paternæ renuntians, non perpetuo exclusa intelligitur, sed tantum quoad masculi supersunt, in quorum favorem renuntiavit: ut pluribus docet A. Gail. *lib. 2. observ. pract. cap. 148.*
40 Quomodo & ille, * qui plura habet privilegia vel jura, uni renuntiando, reliquis non creditur renuntiasse, *fac. l. si domus, ubi Castr. ff. de servit. urb. præd. juncta l. stillicidii, ff. quemadmodum*
41 *serv. amitt.* Et ideo qui privilegio * renuntiat, juri communi renuntiasse non præsumitur, *text. opti. in l. miles, 11. §. sexaginta, ff. ad leg. Jul. de adulter. l. sed si quis, §. quæsitum, circa fin. ff.*
42 *si quis caution.* Illa * denique renuntiatio, quæ nondum perfecta nec acceptata est, revocari potest, *l. si convenerit, 18. ff. de jurisd. A. Tiraq. de jure primogen. quæst. 28. n. 1.*

CAPUT XVII.

Delictis privilegiarii privilegia excindi monstratur.

BREVIARIUM.

1. Delicto privilegia amittuntur.
2. Non tamen omni.
3. Quo igitur?
4. Ingrati primum animi crimine.
5. Sic privantur liberti.
6. Liberi item & parentes. num. 23.
7. Legitimati.
8. Hac de causa exemptus sub imperium revocatur, miles cingulo privatur, Doctor degradatur, clericus beneficio spoliatur, feudo vasallus.
9. Ratio, cur ingrati puniantur.
10. Ingrati crimen gravissimum.

11. Quis

11. Quis dicatur ingratus?
12. Ob quæ crimina ingratus privetur? num. 19.
13. Privilegia non dantur non subditis.
14. Alienum civem ratione contractuum in mea jurisdictione factorum obnoxium habeo.
15. Donatariis comparantur privilegiarii.
16. Privilegia quoq; cum contractu data donationis aliquid & beneficii continent.
17. Et ideo ingrati admittunt actionem.
18. Ille tantum amittit privilegium, qui adversus auctorem privilegii, non qui adversus alios fuit ingratus. num. 24.
20. Causa ob quas donationes revocentur.
21. Legum vel judicis voce ingratum declarari oportet.
22. Multum interest, inter libertatis & privilegii beneficium.
25. Distincte & ex suis causis omnia æstimare decet.
26. Virum heres ab ingrato læsi privilegium auferre, quamvis ipse non offensus, posit? quæritur.
27. Negatur.
28. Affirmatur.
29. Privilegium non ut à privato, sed pro imperio & publica auctoritate introducuntur.
30. Contumacia privilegiorum amissione punitur.
31. Privilegiarius privilegium allegare tenetur.
32. Defectio ac rebellio adversus Principem privilegia abolent.
33. Et universa quietis publicæ pacisq; violatio.
34. Exempla.
35. Hac de causa clerici privilegia amittunt.
36. Qui aliorum privilegia contemnunt, ut sui quoq; auctoris contemptores privilegiis indigni sunt.
37. Hæretici hac de causa omnibus privilegiis & juribus privantur.
38. Alia delicta nominantur, adversus finalem privilegii cujusq; causam admissa.
39. Inter quæ, abusus.
40. Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate.
41. Fraus adhibita privilegium eripit.
42. Debitor, qui fraude bona dilapidavit, cessionis beneficium non habet.
53. Qui post delictum admissum fraudulenter assumpsit clericatum, non utitur privilegio.

44. *Idem de marito.*
45. *Qui mentitur in eo, quod est causa beneficii, vel causam hujus negat, beneficium amittit.*
46. *Privilegium amittit, qui contra professionis, cujus occasione privilegium impetravit, leges & officium fecit, num. 48.*
47. *Exempla in clerico vidua, nobili, militibus, domestico Principis exempto, scholaribus.*
48. *Illius tantum morte, renuntiatione, delicto, privilegium perit, cujus primo & proprie privilegium fuit.*
50. *Privilegia Universitatum non cadunt facto singularium personarum.*

1 TERTIUM casum, quo privilegiarii causa privilegium amittitur, delictum esse dixi. Hoc * enim privilegia amitti, argumento sunt *l. sed si ex parte. §. quanquam ff. quod cum eo qui in alien. l. relegatorum. in fin. ff. de interdict. l. si ex causa, 9. §. si mulier, & l. auxilium, 37. in prin. ff. de minor. l. 1. §. 1. & ibi gloss. in ver. Erit data, ff. si familia furt. fecisse dic. gloss. in l. ult. in ver. Restitutionem. C. qui & adversus quos in integ. rest. non possunt, l. 1. ibi, omnem enim hujusmodi honorem reatus excludit. C. ubi Senat. vel clarissimi conveniantur, auth. de mandat. prin. §. 3. ibi, non permittas privilegiis aliquibus uti nocenteis c. unic. de testam. lib. 6. c. ita nos, 25. q. 2. c. hac quippe 3. q. 6.* Privilegia enim læsis succurrunt, non lædentibus, *authen. qua in provincia, C. ubi de crimin. agi oportet, cap. 7. auth. de mandatis Princ. l. si ex causa, §. 3. ff. de minor.* & bene meritis dantur, non male, *l. testamenta, 26. ff. de testam. milit.* Exemplum apud Corn. Tacitum *lib. 4. annal.* ubi Cyzicenis, ob incuriam cæremoniarum D. Augusti, & violentiam adversum cives Romanos, libertas adempta; quam bello Mithradatis meruerant. Qua causa & Galba Imp. tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres fuerat, veneno necasset, cruce affecit: implorantique leges, & civem R. se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter cæteras altiorem & dealbatam statui crucem jussit. Sueton. in Galba

cap.

cap. 9. Sed utrum omni delicto privilegia amittantur? quæritur. Hoc * nego, argumento *l. ex militari, 11. ff. de testamen.* 2
mil. si ex causa, §. 3. ibi, est enim delictum modicum, ff. de minorib.
His autem * solis delictis privilegia amitti dico, quæ contra 3
ipsum privilegium ejusque tenorem, & causas committuntur: quoniam eo quodvis modo & iisdem causis solvitur, quibus contractum est, *secundum jura vulgata.* Inter causas longe prima efficiens est, ille videlicet, qui privilegium, de quo agitur, condidit atque introduxit. Hic igitur delicto læsus atque offensus, privilegia eripere solet. Inter * quæ primum fere ingrati est animi cri- 4
men, ob quod privilegium suum conditorem revocare posse, docent *l. 1. l. ult. & auth. quod mater, C. de revoc. donat. l. 2. l. 3. C. de libert.* Unde * libertos ingratos in servitutem revocavit Clau- 5
dius Cæsar, Suetonio teste: & jubet *d. l. 2. C. de liber. cum l. 2. ff. de suspecto tut. vel cur.* Hinc * etiam tam jus, quam nomen seu fi- 6
lii seu patris ingratus amittit, *Bart. & Bald. in l. Divus, 5. ff. ad legem Pomp. de parricid. Jas. in l. jus civile, 6. n. 28. ff. de just. & jure, Angel. in l. jus familiarum, 8. C. de religios. & sumpt. fun. Ripa in l. fin. num. 7. C. de revocand. donat.* & privilegium, ne ultra quam facere potest, conveniatur, *Jas. in §. fin. col. 1. Instit. de action. Ripa in d. l. fi. num. 11.* & beneficium liberis primi matrimonii indultum, *l. hac edictali, 6. C. de secund. nupt.* Sic emancipati ingrati in patriam potestatem revocantur, *l. 1. C. de ingrat. lib. Spec. in tit. de natis ex lib. ven. ver. sed ut liberi Hyppol. de Marsil. sing. 413. Ripa in d. l. fin. num. 4.* & * legitimati ob eandem culpam ad pri- 7
stinum naturalitatis statum retrahuntur, *Bald. in cap. 1. §. filii nati. si de feudo defuncti contr. Roman sing. 225. Hyppol. sing. 413. Jas. in l. ex hoc jure, num. 54. ff. de just. & jure, & l. 3. §. idem erit, ff. de condict. causa da. caus. non secuta, & in l. ex facto, 43. in princ. num. 17. ff. de vulg. & pupill. substit. Felin. in cap. novit, col. 10. ver. quarto limita. de judiciis, Ripa in d. l. fin. col. 1.* Ob hanc * causam exemptionis quoque privilegium adimi potest *Ripa ibid. num. 11. & Felin. in d. c. novit,* miles cingulo privari, *l. 1. §. fin.* 8

 & ibi

& ibi gloss. ff. de obseq. à lib. patro. præstand Ripa in d. l. ult. col. 1. Doctor degradari, *Ripa ibid. num. 10. Felin. in c. ex literis, num. 5. de constit.* clericus beneficio spoliari, *cap. ult. & ibi Dd. de postul. Mat. Afflictus, c. 1. §. fin. num. 106. quibus mod. feud. amittantur,* & feudo vasallus, *Dd. quos allegat L. Schraderus in tract. feudorum, par. 9. cap. 9. num. 9. & 10. & A. Gailius lib. 2. observat. pract. cap.*
9 *157.* Nam * qui obsequiis liberalitatem patronorum provocaverunt, non sunt digni, qui eam retineant, cum cœperint obsequia negligere: cum magis in eos collata liberalitas ad obsequium eos inclinare deberet, quam ad insolentiam erigere, *l. 1. C. de revocand. donat.* Nec enim cuiquam licentia dari debet, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris, & ipsum iterum donatorem suasque res perdere, & præfatis malis ab ingrato donationis ac-
10 ceptore affici, ut ait *l. ult. C. de revocand. donat.* Nullum * quippe gravius est ingrati animi crimine: imo, ut Cicero pro Roscio Am. omnia hoc uno vitia complexa videntur. Itaque idem est ingratus, quod mus in pera, serpens in gremio, ignis in sinu, *cap. etsi Judæos, de Judæis.* Adeo enim adversus beneficia gratos esse convenit, ut verissime ingratum, qui beneficium sine usura reddit Seneca appellet. Merito ergo suo ingratus adversus privilegii
11 beneficium eodem privatur. Sed quis * dicatur ingratus, & unde æstimaret talem debeamus, scire oportet. Id quidem non tam ex Philosophorum libris ac definitionibus, quam ex communi sensu & hominum judicio discere possumus. Nam ut nullum hoc vitium est frequentius, ita nec notius. Itaque nec descriptione aut demonstratione ulla egere videtur. Sed tamen ob hanc ipsam vitii amplitudinem ac frequentiam, quomodo nostro in casu ingratus
12 debeat æstimari? statuendum. Dico * igitur privilegiis suis privari ingratum ob eadem crimina, quibus liberi & donatarii. Nam quod liberis parentes, hoc subjectis suis & civibus Magistratus &
13 Principes præstant. Quod si quis objiciat, * & non subditis privilegia tribui, is tales ratione privilegii & beneficii accepti perinde obnoxios esse sciat; eaque his tantum dari, qui aliquo casu no-
stræ

ſtræ jurisdictioni ſubjecti ſunt. Nam qui nullo modo vel tempore imperio noſtro ſunt obnoxii, ne privilegiis quidem noſtris opus habent. Unde * alienum civem in ſubjecta mihi civitate aut 14
finibus agentem, ratione contractuum ibidem factorum obnoxium habeo, *fac. optime l. 3. ff. de offic. præſid. l. 2. & ibi gloſſ. C. de interdict. l. ult. ff. de accuſat. l. 2. §. poſt aliquot, 22. ff. de orig. jur.* talique caſu & privilegia ipſi dare & juſta de cauſa auferre poſſum. Sic * & donatariis comparo privilegiarios, quoniam omne privi- 15
legium donatio quodammodo eſſe videtur, *fac. l. 2. C. de legibus.* Id quod * de cæteris forſitan privilegiis minus dubium eſt: de his 16
vero, quæ cum contractu dantur, ambigitur. Sed hæc quoque donationis aliquid & beneficii continere dico, *per tex. eleg. in l. 3. ibi, etenim ille, etſi non gratuitum, beneficium tamen præſtitit, ff. de obſeq. à lib patr. præſtand.* eaque * de cauſa ingrati admittere 17
actionem, *d. l. Titius, P. Caſtr. in l. digna vox, C. de legibus, Socin. conſ. 4. lib. 3. Ripa in d. l. fin. num. 11.* Nec repugnat *l. 1. C. de libertis*, ea quippe in illo caſu loquitur, quo libertas ab alio relicta, alterius eſt beneficium, non ejus, qui ingrati actionem intentat. Nam * illum tantum amittere privilegium dicimus, qui adverſus 18
auctorem privilegii, non qui adverſus alios fuit ingratus. Et ſane cauſas, * ob quas ab ingrato revocari donata poſſunt, tales æſti- 19
mo, ut ſi ulla de cauſa ob has privilegium ingrato auferri poſſit. Recenſet autem * has *l. fin. C. de revocand. donat. & cap. ultim. de* 20
donat. ſi injurias atroces in donatorem effundat; ſi jacturæ molem ex inſidiis ſuis ingerat, quæ non levem ſenſum ſubſtantiæ donatoris imponat; ſi vitæ periculum ei aliquod inferat; ſi quaſdam conventiones, ſive in ſcriptis donationi impoſitas, ſive ſine ſcriptis habitas, quas donationis acceptor ſpopondit, minime implere voluerit. Ob has igitur, & illas quas in caſu liberorum ingratorum enumerat *cap. aliud quoque auth. ut cum de appell. cogn.* cauſas, privilegiarios quoque ut ingratos accuſari & privilegiis poſſe privari, dico. Quibus tamen addi poſſunt aliæ cauſæ, his vel pares vel majores, per ea quæ tradit Alex. *conſ. 103. n. 15. lib. 1.*

&

& Jason. in l. 1. num. 13. C. de transact. non tamen leviores, *argum. d. l. ultim. ibi, quæ non levem sensum substantiæ donatoris imponat,*
21 *Cod. de revocand. donatio.* Imo nec * nostro arbitrio, sed legum aut judicis voce ingratum declarari oportet, *argum. l. donationes, 9. in fin. Cod. eod.* Nec obstant *l. 1. C. d. t. & l. 2. Cod. de libertis,* quæ etiam ob levem offensam libertum sub Imperium ditionemque
22 patroni redire cogunt. Multum * enim interest inter libertatis & privilegii beneficium. Illa inæstimabilis res est: & ideo beneficium quoque ejus levi causa corrumpitur (quemadmodum & ingrati actio heredibus manumissoris datur, *l. libertis, 3. Cod. de libertis,* quod in donatione non est) hic vero, ut liberi non quavis de causa exheredari aut jure paterno spoliari possunt, sic privilegiis quoque subditos non omni de causa posse privari dico: nisi tale forte in aliquem collatum privilegio beneficium fuerit, quod parem cum libertate æstimationem preciumque habeat. Notandum hoc
23 loco * tamen, eum tantum ex hac causa privilegio orbari, qui adversus conditorem privilegii fuit ingratus, non qui adversus alios, *fac. l. 1. Cod. de libertis.* Sicut nec domum amittit, nisi qui adversus conditorem fuit ingratus, nec ut ingratum exheredare pater filium potest, qui non adversus ipsum patrem fuit ingratus, *authent. non licet, Cod. de liber. præter.* Objiciat aliquis forte legem *final. Cod. de secund. nupt.* ubi ingrati liberi à beneficio legis repel-
24 luntur. Sed * illic privilegium liberi amittunt, quia adversus impulsivam & finalem privilegii causam (qui alius est amittendi privilegia modus, ut postea docebitur) commiserunt. Privilegia enim liberis dantur, ut obsequia cultumque parentibus debitum exhibeant: qui si per licentiam ac lasciviam injuriis suos genitores afficiant, ingratique existant, beneficio meritò privantur, *d. l. fin. & §. optime, 27. authent. de nuptiis,* imo nomen quoque non jus
25 tantum, liberorum amittunt, ut supra docui. Distinctè nimirum *
26 & ex suis causis omnia æstimare decet. Sed utrum heres * quoque antecessoris ab ingrato animo læsi injuriam vindicare, itaque privilegium isti quamvis ipse non offensus, possit auferre? quærendum.

rendum. Id * negandum videtur *per l. 1. & l. ultim. Cod. de revocand. donatio. l. omnimodo, in princ. Cod. de inoffic. testam. capit. fin. de donat.* Itaque sentit etiam C. Tapia *in l. fin. ff. de constit. Principum, part. 2. capit. 7. numer. 18. & seqq.* quo pertinet & glossa *in capit. 1. §. insuper, in verb. non succedit, de prohib. feudi alien.* quam sequitur Gailius *libr. 2. observat. practic. capit. 157. numer. ultim.* heredem Domini omissam adversus ingratum vasallum querelam instaurare posse negans. Sed * quidquid in feudis statuendum sit, in privilegiorum causa aliud censuerim; ingrato nimirum adversus antecessorem & ab successore auferri privilegia posse. Nam illæ modo dictæ leges in causis tantum privatis loquuntur, & illud quod antecessor silentio prætermisisse atque obliterasse videtur, successorem movere vetant. Privilegia vero * ad jus atque Imperium publicum spectant, & fide publica nituntur: Princeps item privilegia non ut privatus, sed publica auctoritate & pro Imperio introducit. Imperium autem fidesque publica, & omnia quæ horum auctoritate geruntur, perpetua sunt: ut supra *lib. 3. cap. 11. num. 51.* docui, unde & Principes, quatenus caput sunt Reipub. non mori, sed perpetuo manere dicuntur. Qua de causa antecessoris sui contractus, edicta, leges, successor ut propria conservare debet: & ita crimina quoque & peccata in illum admissa tanquam in se facta persequi & punire potest. Ob hæc qui adversus antecessorem ingratus fuit, adversus successorem quoque ingratus, & ita privilegio indignus, invenitur.

27 28 29

Sed alia quoque sunt delictorum genera (quamvis pene omnia hoc uno comprehendi videantur) quæ perinde privilegiis delinquentem reddunt indignum. Tale est * contumacia, *l. omne delict.* 30 *§. centum. ff. de re mil. l. releg. 4. ff. de pœnis, l. si plures, 38. ff. de adminift. & peric. tut. l. quid autem, 35. ff. de excus. l. fi. C. de requir. reis, gl. in l. unica, §. fin. in ver. meram pœnam, ff. si quis jus dicenti non obtem. Bar. ib. n. 9. Alex. n. 17. & communiter Dd. Fel. in c. ex literis, n. 22. de const. &c.* quod ideo privilegiorum amissione punitur, *l. 2. C. de priv. Schol. lib. 12. c. tuarum, de priv. Gail. de arrest.*

31 *rest. Imp. c. 10. n. 9. & seqq.* Privilegiatus enim * si citetur ab judice ordinario, comparere nihilominus & privilegium suum allegare tenetur, alioquin ut in contumacem sententia fertur, *c. si duob. de appel. l. 1. in pri. ff. de vac. & excus. mun. l. 2. C. de excus. vet. gl. in l. si quis, 7. ff. de jud. Bar. in l. 2. ff. si quis in jus voca. non ierit.* De quo plura apud Felin. *in cap. cum ordinem, n. 8. de rescr.* & Mynsing. *cent. 6. obs. 7. & alios.*

32 Inprimis * autem privilegium abolent defectio ac rebellio aperta adversus Principem & Magistratum legitimum, *Bald. de pace Constantiæ, verbo, Nos Romanorum, n. 8. Idem cum glos. in l. §. cum patronus, ff. de officio præf. urbi. Joh. de Platea in l. cum allegatis, 5. C. de re militari, num. 3. Afflict. decis. 14. num. 6. Menochius in caus. Finariensi, resp. 4. num. 5. A. Gail. de pace publ. lib. 2. cap. 9.*
33 *num. 27. & seq.* & * universe quieti publicæ pacisque fractio, *l. quicunque, 14. C. de Episcop. Gail. lib. 1. observ. pract. cap. 3. n. 4.*
34 *& de pace pub. lib. 1. cap. 4. num. 1. & cap. 11. num. 2.* Ita * Corn. Tacitus *lib. 12. annal.* redditur, inquit, Rhodiis libertas, adempta sæpe aut firmata, prout bellis externis meruerant, aut domi seditione deliquerant. Et Cyzicenis, in cives Ro. violentius quædam ausis, Tyberius Cæs. publice libertatem ademit, quam Mithridatico bello meruerant: ut Suetonius scribit. Inde si quis adversus constitutionem Imperii de religione (von dem Religions-Frieden) anno Christi 1555. in Comitiis Augustanis promulgatam, alium religionis intuitu in persona vel rebus, veluti in perceptione redditum, perturbat: is omnia fori sui privilegia amittit, & in Camera Imperiali immediate convenitur: ut patet ex Recessu Imperii Augustano. de anno LV. §. Wir befehlen. de quo pluribus
35 *A. Gail. lib. 2. obs. 2.* Ita * clericus contra Ecclesiam suam, contrave Episcopum, vel patronum advocans, beneficia amittit, *c. nos sanctorum, 15. q. 6. c. si Imperator, dist. 96.* Et in atrocissimis delictis contra Imperium, vel patriam, aut alias enormissime perpetratis, etiam sine degradatione executionem fieri in clericos, ait A. Gailius *lib. 1. de pace publ. cap. 1. num. 30. per text. in cap. 1. §. fin.*

§. fin. de homicid. lib. 6. & in d. c. perpendimus, & in c. cum non ab homine, de judic. Ancharan. in conſ. ex narratis in facto, 185. num. 5. Alex. in conſ. videretur fortaſſis, 166. num. 1. Vol. Hippolyt. in l. 1. num. 59. ff. ad leg. Corn. de ſicar. & in l. unius, §. cogniturum, nu. 66. cum. ſeq. ff. de quæſtionibus, &c. Quomodo & in caſu infractionis ſeu violationis ſalve guardiæ, ut loquuntur, judices Regios in regno Franciæ cognoſcere, & clericos pecunia mulctare conſueviſſe, ſcribit S. Aufrerius *in tract. de poteſtate ſecular. in Eccleſ. regula 1. fall. 12. arg. l. 2. C. ut nemo privatus, &c. ibi, miles vel clericus, & ibi, executoresque hujus legis omnes judices.* Et poſſe mulctari clericos per judicem ſecularem, volentes uſurpare jurisdictionem regiam, docet idem *ibid. fall. 15.* ut & Alf. Alvarez Guerrerus *in Speculo cap. 36. num. 5.* allegantes cap. *ex parte, de verb. ſignific. text. in c. dilecto, de ſent. excom. lib. 6. junct. not. per Innoc. in c. olim, de reſtit. ſpol. &c. dilectus, de pr.* Huc pertinet etiam, quod ſi quis pecunia, vel gratia humana, vel populari ſeu militari tumultu, ſine concordi & canonica electione Cardinalium Epiſcoporum fuerit Apoſtolicæ ſedi inthronizatus, hunc non Apoſtolicum ſed Apoſtaticum haberi, ac licere Cardinalibus Epiſcopis, cum religioſis & Deum timentibus clericis & laicis, invaſorem etiam cum anathemate & humano auxilio à ſede Apoſtolica repellere, & quem dignum judicaverint, præponere: ait cap. *ſi quis pecunia, diſt. 79. & gloſ. in cap. Principes, 23. q. 5.* Perinde & illi, qui * 36
aliorum privilegia contemnunt atque recipere detrectant, velut ſui quoque auctoris contemptores privilegiis privandi ſunt, *cap. dilecti, & ibi gloſſ. de privil.* Ac cum * longe ſit gravius æternam 37
quam temporalem offendere majeſtatem, *l. Gazares, Cod. de heret. l. Manichæos, 4. §. 1. ibid.* heretici vero Dei atque Eccleſiæ Catholicæ hoſtes habeantur, *l. 3. C. de Apoſtat. l. cum Salvatorum, 6. in prin. C. de ſumma Trinitat.* merito iſti omnibus divini humanique juris privilegiis ſpoliantur, *l. heretici, 20. §. 1. d. l. Manichæos, C. de heret. auth. de privil. dot. heret. non præſt.* Hinc enim ultimæ talium voluntates, ſive teſtamento, ſive codicillo, ſive quocun-

que alio genere relictæ, irritæ habentur, *d. l. Manichaos*, §. *ergo*, *& l. seq. ibid.* Et cum alia delicta morte finiantur, *l. 1. l. 2. Cod. si reus vel accu. mort. fu.* hic, ut in crimine Majestatis, memoriam accusare defuncti, & in mortem inquirere licet, *d. l. Manichaos*, *§. in mortem.* Loca item omnia juris Romani his interdicuntur, *l. Ariani. 5. C. de heret.* ab honoribus omnibus dignitatibusque tam civilibus quam militaribus arcentur, *l. Manichai, 12. l. quæ de Samaritis, 18. l. quoniam. 21. C. d. t.* Nec hereditatem, fideicommissum, vel legatum accipere possunt, *l. ult. ibid.* Ita dotis privilegia, quibus mulier creditoribus tempore prioribus anteponitur, nec non de tacitis hypothecis, & alia omnia mulieribus à lege data, hereticis clauduntur, *auth. licet, C. de heret. Bald. in rubr. C. de priv. debit. in 2. col.* Quod in Judæa quoque muliere esse Cyn. & Nic. *in l. 1. ff. solut. matri.* ajunt. Itaque Pontifices contra religionem excedentes, posse à seculari potestate percelli, fatentur Gelasius Papa *& glos. in capit. sicut, dist. 96. gloss. in c. Principes, 23. q. 5. & fac. c. si Papa, dist. 40. c. quo jure, dist. 8. c. nec liceat, dist. 17.* Cum quibus etiam schismaticos pacemque Ecclesiæ perturbanteis conjungit Pelagius Papa *in c. de Ligurib. & gl. in d. c. Princ. 23. q. 5.* His ergo & similibus delictis, adversus conditorem privilegii admissis, privilegia aboleri solent.

38 Sed & alia * sunt delicta, quæ non tam adversus auctorem privilegii, quam finalem hujus seu impulsivam causam,
39 ipsumque adeo tenorem privilegii pugnant. Inter * quæ primo numeratur abusus, *l. fi. & ibi gloss. C. de spectac. Lib. XI. l. Judaos, C. de Judæis, c. recolentes, c. si enim de statu Monach. c. sic-*
40 *ut, de privileg.* secundum regulam, quod privilegium * mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate, *c. tuarum, c. ut privilegia, c. cum & plantare, de privil. c. licet, de regular. c. privil. 11. q. 3. c. sic decet, 25. q. 2. l. qui sine usuris, 38. ff. de negot. gest. l. auxilium in fin. ff. de minor. l. Christianis, 6. C. de paga. gloss. ult. in l. Judaos, 11. C. de Judæis, & in l. judices, 12. C. de dignit. Lib. XII.* Itaque Augustum urbes quasdam fœderatas, sed

ſed ad exitium licentia præcipites, libertate privaſſe, ſcribit in illius vita Suetonius. Et qui inſignia dignitatis ad hoc exercent, ut injuriis exiſtiment adficiendos eos, qui officia cum poteſtate moderantur, eis indignationem ſuam minatur Princeps, *in l. 5. C. de offic. red. provinc.* Quomodo etiam in regno Franciæ, ſi Eccleſiaſtica poteſtas abutatur notorie ſua jurisdictione vel poteſtate, privilegium illius non obſervari, oſtendit Aufrerius *de poteſtate ſecul. in Eccleſ. regula 2. fall. 30.* Sub * abuſu & 41
fraus continetur, cum quis fraudulenter tenore ac ſpecie privilegii in alterius damnum contra propoſitum, verumque ejus finem abutitur. Quo caſu itidem privilegio carebit, qui illud fraudare conatus eſt, *l. omnes, 9. C. de metatis, libr. 12. l. Presbyteri, 8. C. de Epiſcopis, l. quia autem, 6. §. ſi patronus, 8. ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſta.* Ideoque debitor, * qui dedita opera omnia 42
ſua bona in fraudem creditorum dilapidavit, ceſſionis beneficium non habet, *l. fin. §. fin. & ibi gloſſ. & Bart. ff. quæ in fraud. cred. & idem Bart. in l. alia, §. eleganter, in fine, ff. ſol. Bald. in l. 1. col. 2. ver. quæro utrum ille, & col. ultim. ver. iſtam autem renuntiationem, C. qui bonis cedere pos. l. omnes, §. Lucius, ff. quæ in fraud. cred. pluribus M. Brunus de ceſſ. bon. quæſt. 5. quartæ princ. n. 5.* Et qui poſt * delictum admiſſum aſſumpſit clericatum, aut fa- 43
ctus eſt religioſus, ſiquidem fraudulenter id egit, haud quaquam privilegio in illa cauſa potiturum communiter cenſent Dd. ut ait Imola *in conſil. 119. n. 1. Didac. in pract. q. 32. poſt n. 4. ver. ſecunda concluſio. Placa lib. 1. delict. c. 35. n. 1. Aufrer. in d. tract. 6. regula 1. limit. 11. Jul. clarus lib. 5. recep. ſent. §. fin. q. 36. n. 43. & ſeq. Jaſon. in l. cum quædam, ff. de juriſd. om. jud. apud quos plura vide, & fac. l. ult. ff. de re milit. l. ſi marit. 15. §. 1. & 2. ff. ad leg. Corn. de adult. l. unica, C. de reis poſtul. Lib. X. l. 1. C. de his, qui ad Eccleſ. confug. l. officiales, 4. cum auth. ſeq. C. de Epiſc. Bart. in l. omnes, 43. C. de decur. Lib. X.* Sic maritus, * qui in 44
ſuis & uxoris bonis adminiſtrandis dolum commiſit, aut dolo deſiit eſſe ſolvendo, beneficio à lege privatur, quod docet idem

45 Brunus *de ceſſ. bon. q. 20. quartæ princ. num. 31.* Ita * qui mentitur in eo, quod eſt cauſa beneficii, cauſamve negat, beneficium amittit, *l. ſed hoc ita, 22. §. 1. & ibi Bart. ff. de re judic. & Bart. in l. ſi dubitet, 10. §. ita demum, 1. ff. de fidejuſſor. & in l. ſed alio jure, 2. §. ſi abſens, ff. ſi ex noxali cauſa agatur, Jo. de Platea. Inſtit. de action. §. ſed & ſi quis, num. 6. Angel. Aretin. Inſtit. de fidejuſſ. §. ſi plures, n. 5. Hippol. de Marſ. de fidejuſſ. n. 322. & aliquot ſeqq.*

46 Inprimis * vero & quidem merito privilegium ille amittit, qui contra profeſſionis ſuæ, quæ occaſionem privilegio dedit, leges & requiſita delinquit. Cauſa enim donandi non ſecuta, repetitio competit, *l. cum ancillam, 6. C. de condict. ob*
47 *cauſam dat.* Itaque * clericus habitu militari aut laico incedens, privilegium clericale amittit, *cap. in audientia, de ſentent. excommun.* Quod & ſtatuitur in clericum hæreticum, *cap. ad abolendam, de hered.* in deditum ebrietati vel aleæ *cap. 1. diſt. 35.* in divagantem & circa divina monaſteria deſidem; *l. ſi qua, 22. l. generaliter, 51. Cod. de Epiſcopis.* Ita privilegium certo ordini tributum propter vitæ ſeveritatem, perditur, ſi non ſervatur regula antiquitus inſtituta, ut not. Abbas Sic. *in cap. recolentis, de ſtatu Monachorum.* Ita in vidua requitur, ut pudice vivat, *l. fin. C. quando mulier tutor. officio fung.* quæ ſi impudice vixerit, perdit privilegia viduitatis, *Felinus in cap. paſtoralis, num. 7. de judiciis, & in c. ſignificantibus, num. 8. de officio jud. de leg. Govarru. in pract. quæſt. cap. 7. num. 1. pluribus L. Schraderus, de feud. parte 9. cap. 2. num. 11.* Ita dignitas & nobilitas vitæ turpitudine & flagitio amittuntur, *l. Senatores, 47. ff. de ritu nupt. l. judices, 12. C. de dignitat. Lib. XII.* ut & mercaturæ ſtudiis: de quo pluribus Guido Papæ *in deciſ. quæſt. 196. & 391 n. 1 & fac. l. 3. C. de commerc.* Ita miles ignominioſe miſſus, privilegia militum amiſit, *l. ex militari, 11. l. teſtamenta, 26. ff. de teſtam. mil. l. ſed & milites, 8. §. 1. ff. de excuſ. l. 3. C de veteran. Lib. XII.* Et domeſticus Principis, qui ſine licentia diu abfuit à curia, honore privatur, *l. 3. C. de domeſt. & proteſt. lib. 12.*

Sic

Sic privilegium datum, ne quis superiorem agnoscat, revocari potest, cum is justitiam non administrat, Abbas *in c. ex suscepto, num. 9. de foro compet. Socin. cons. 275. num. 9. lib. 2.* Et privilegia data scholaribus causa studiorum, non habent locum in falsis & otiosis, etiamsi matriculæ vel catalogo Academiæ sint inserti, *l. scriniarios, Cod. de testament. milit. Bartolus, Baldus & Jason. ibid. capit. cum ex eo, verb. studentes, de elect. lib. 6. capit. generaliter, 16. quæst. 1. Bald. in authen. habita, n. 2. C. ne filius pro patre, A. Gail. lib. 2. observat. cap. 118. num. 8. & seqq.* Et sic * universe omnes illos, qui officium suæ artis, professionis, seu 48
functionis negligunt, privilegio illius carere æquum est: ne sub prætextu concessi privilegii, vel flagitiorum crescat auctoritas, vel publica vacillet utilitas: ut loquitur *l. 2. C. de privil. schol. lib. 12.*

Atque hæc hactenus de secundo amissionis privilegiorum genere dicta sunto. Qua in parte (priusquam ad reliqua descendamus) hoc unum non est negligendum: privilegia facto privilegiarii hoc est, morte ejus, renunciatione, delicto, quidem amitti: semper tamen * cujus sit primo ac proprie privi- 49
legium, spectandum. Hujus enim solius facto privilegia amittuntur, & ad hunc omnia hactenus dicta referenda sunt. Hanc ob causam * Universitatibus concessa privilegia, non amittun- 50
tur facto singularium personarum, *Jason. in l. fin. num. 58. ff. de constit. Princ. Everardus consil. 75. num. 23. Natta cons. 160. num. 46. cap. cum tempore, de arbitr.* (nam & quod Universitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet Universitas, singuli debent, *l. sicut, 7. §. 1. ff. quod cujuscunque univers. nom. ag.*) nisi tales fuerint, quibus liberam atque omnem potestatem Universitas dederit, jusque adeo omne suum in eos transtulerit: ut in *l. jubemus, 14. in princ. C. de S. Eccles. c. Imperatorem, de juram. cal. cap. cum olim, de censibus, fac. l. item Magistri, 14. ff. de pactis, gloss. in l. delictum, de regulis juris, libr. 6.*

CAP.

CAPUT XVIII.

Quomodo natura quoque & conditio privilegii cujusque interitum ejus acceleret, describitur.

BREVIARIUM.

1. Privilegiorum interitum ipsorum natura accelerat.
2. Temporis aut alterius causa conditio privilegio adjecta finem illi adfert. num. 5.
3. Privilegium ad tempus concessum, expirat ipso jure, elapso tempore.
4. Exempla.
6. Privilegium datum ad agendum, durat quamdiu ipsa actio; ad excipiendum, est perpetuum.
7. Accessorium privilegium extinguitur cum Principali.
8. Per motum Principalis extinguitur officium adjutoris.
9. Certo numero hominum datum privilegium, his qui supra numerum sunt, non prodest.

1 TERTIUM * genus amissionis privilegiorum in ipsius privilegii natura aut conditione consistere dixi. Namque cum, ut supra *cap. 1. in princ. & cap. 6. num. 44.* hoc lib. & inprimis *cap. 5. libr. 2. num. 73.* dictum est, privilegium aliud infirmiore quam alterum causa nitatur, ac proinde sua natura imbecillius interitui obnoxium magis inveniatur: fit, ut natura quoque interdum & ratio privilegiorum nonnihil ad corruptionem eorum finemque adferat momenti; inprimis si cum alio validiore ac firmiore collidantur. De quo genere cum supra *d. cap.* sufficienter actum dictumque sit, hoc loco monuisse satis erit, privilegia ab interna quoque causa persæpe interire; ut quidem res omnes naturales nunquam ab exter-
nis

nis causis læderentur, nisi ad id sua natura aptæ pronæque essent.

Huc * pertinet quoque temporis aut alterius causæ conditio, privilegio ab initio adjecta, in eum finem, ut cessante illa conditione privilegium finem adquirat, *l. nemo, 14. C. de decurionibus, Lib. X. l. 1. in princ. ibi, sed ea concessio temporalis erat, ff. de test. mil. l. quoties, Cod. de precibus Imp. offerend. Abbas in c. cum accessissent, col. pen. de constit. Bald. in c. de causis, de officio delegat. Æg. Boss. in tit. de Principe, num. 317.* Privilegium enim * ad tempus 2
concessum, expirat ipso jure elapso tempore, *fac. l. epistola, 52. §. ult. ff. de pactis, Bald. in d. cap. de causis, C. Tapia in l. fin. ff. de constit. Princ. par. 2. cap. 5.* Ita * his, qui studiis liberalibus dant ope- 3
ram, usque ad vicesimum quintum ætatis annum immunitatem 4
à muneribus personalibus largitur *l. 1. C. qui ætate vel profess. se excusant.* horum ergo privilegium terminus præstitutus finit. Sic eum, cui advocationibus in quinquennium interdictum est, post quinquennium pro omnibus postulare non prohiberi, rescripsit Antoninus Imp. *in l. Imperator, 8. ff. de post.* Hanc * regulam tra- 5
dit etiam Felinus *in d. c. cum accessissent; col. 12. ver. prima regula est*, ubi à lege vel homine est expressum, quomodo privilegium finiat cursum suum, illo standum, per *l. quoties, C. de precibus Imp. offerend.* Hinc esse, quod datum ob certam causam privilegium illa cessante cesset, *c. suggestum, de clericis, c. generaliter, 16. quæst. 1.* Hinc, * quod privilegium datum ad agendum, durat 6
tanto tempore, quanto ipsa actio, *l. si eum, §. qui injuriam, ff. si quis cautionibus*, datum vero ad excipiendum, est perpetuum, *l. pure, §. fin. ff. de doli except.*

Idem, si alius privilegio terminus vel expresse vel implicite adjectus est, statuendum. Veluti, * si privilegium accessio sit aut 7
consequens alterius cujusdam principalis, hoc extincto, ipsum quoque extingui necesse est: nam quæ accessionum locum obtinent, extinguuntur, cum res principales fuerint peremptæ, *l. 2. ff. de peculio leg. l. si unus, 27. §. antepen. ff. de pactis.* Ita per mortem

 priu-

8 principalis expirat * coadjutoris officium, ut not. P. Ancharan *in c. grandi, de supplen. neglig. Prælat. post Jo. And. & Bart. in l. quæsi-*
9 *tum; & l. seq. ff. de tutel.* Ita certo * numero hominum datum privilegium, his qui super eum numerum sunt, non prodest; *argum. l. non plures, C. de S. Eccle.* nisi Princeps ex certa scientia adjiciat clausulam; Non obstante numeri definitione; ut not. Bald. *in d. l.* de quo genere meminit & Bossius *in tit. de Principe & privilegiis ejus; numer. 318.* Et tantum de his quoque traditum sufficiat.

CAPUT XIX.

Extrinsecus accidentibus causis privilegia perimi, monstratur.

BREVIARIUM.

1. *Non quolibet casu aut accidente privilegia supprimuntur.*
2. *Sed tamen concursu privilegii.*
3. *Item cum ex postfacto iniquum fit, & lædere enormius incipit privilegium.*
4. *Cessant privilegia in casu, de quo vel concedentem vel petentem cogitasse non est verisimile.*
5. *Ex causa superveniente aliquis contra factum proprium venire potest.*
6. *Privilegium, quo clericis matrimonia interdicuntur, abolendum judicavit Abb. Pan.*
7. *Cum privilegiatus succedit in locum non privilegiati, hujus ille jure, non suo, uti debet.*
8. *Magistratus extra provinciam suam jus suum amittit, & pro privato habetur.*

ULTIMUM modum amittendi privilegia, ab accidente aliquo extrinsecus superveniente contingere dixi. Quod vero aut quale sit accidens illud, certa regula aut definitione com-

comprehendi nequit. Illud tenendum, * non utique quolibet casu 1
aut obstaculo interveniente privilegia tolli, *l. cum procurator, 13. §. ult. ff. de novi op. nunt. l. verbis, 5. & ibi glos. in verb. irritum, ff. ad leg. falc.* sed tale esse accidens necesse est, quod legibus & ratione sufficere ad eversionem privilegii probari potest. Hoc * ut exemplis fiat notius, primum casum illum esse te- 2
nendum, cum plura privilegia concurrunt, quo casu id, quod est validius, alterum extinguere solet, ut *cap. 5. lib. 2.* docui. Ad hæc * cum summum atque potissimum privilegiorum finem æqui- 3
tatem esse supra demonstratum sit, inprimis illo casu labefactari privilegia æquum est, cum ex postfacto (sic loquuntur) iniqua fiunt, & lædere enormius incipiunt, *l. ex facto, 43. in princ. ff. de vulg. & pupil. subst. c. suggestum, & ibi Abbas & glos. de dec. gl. in c. rescripta, in ver. quod non lædat, 25. q. 2. Abbas in c. dilecti filii, not. 3. de dec. Fel. in c. novit ille, de jud. Jac. Menoch. in causa Finar. respon. 3. n. 17. & seq.* maxime si illis ipsis, quibus data sunt, exitiosa fiunt: quomodo Augustus Cæsar civitates quasdam fœderatas, sed licentia ad exitium præcipites, libertate privavit: ut Suetonius scribit. Nam quod favore alicujus constitutum est, non debet ad læsionem ejus produci. Cessant * enim privilegia in casu, 4
de quo vel petentem vel concedentem cogitasse, verisimile non est, *d. l. ex facto, in fine princip.* Nam ut ait Extravag. *quia in futurorum, de tormentis,* in futurorum eventibus sic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod conjectura probabili ex nunc interdum attenta consideratio utile pollicetur, reperiri damnosum quandoque contingat; nonnunquam quod consulte statuitur ex sanioris inspectione judicii, consultius revocatur. Ita ex * causa 5
superveniente aliquem contra factum proprium posse venire, scribit P. Ancharan. *in capit. nulli licere, de elect. libr. 6.* quia nimirum de jure futuro non videtur cogitatum: ut & de jure, quod quis se habere ignoravit. Ut enim Ezechias Rex serpentem æneum à Moyse factum confregit, quoniam idololatriam inducebat: ita & privilegia, quæ, propter utilitatem publicam concessa, damnosa

inveniuntur, auferenda sunt: ut scribit Æn. Silvius *lib. 1. epistolarum, 375.*
6 Et hac de * causa Abbas Panorm. *in cap. cum olim, de cler. conjugat.* privilegium, quo clericis matrimonia interdicuntur, abolendum censuit, ita scribens. Non solum credo, potestatem inesse Ecclesiæ hoc condendi (ut clerici ducant uxores sc.) sed credo pro bono & salute animarum, quod esset salubre statutum, ut volentes continere relinquerentur voluntati eorum; non volentes autem possint contrahere, quia experientia docente contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ; cum hodie non vivant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito coitu cum eorum gravissimo peccato; ubi cum propria uxore esset castitas, *d. cap. Nicæna.* Unde deberet Ecclesia facere sicut bonus medicus, ut si medicina experientia docente potius officit quam prodest, eam tollat. Et utinam idem esset in omnibus constitutionibus positivis, ut saltem obligarent quoad pœnam, & non quoad culpam. Nam ita creverunt statuta positiva, ut vix reperiantur aliqui, qui non corruperunt viam suam. Hæc Abbas ille.

7 Ita in * illo casu, quo privilegiatus aliquis succedit in locum non privilegiati, hujus ille jure, non suo, uti debet, *l. cum quidam, 17. §. 4. ff. de usuris, l. fiscus, 6. ff. de jure fisci, l. heres, 19. in prin. l. venditor, 49. ff. de judic. l. si intra, 8. & ibi gloss. ultim. C. de non num. pecun. l. sub prætextu, 4. C. de hered. act. l. Polla, 7. C. de his quibus ut indig. l. 2. C. de fisc. usur. Lib. X. l. unica, C. de impon. lucr. lib. eod. l. si divina, de annon. ibid.* sed tantum quoad præterita: nam in futuris suo jure uti potest, *d. l. fiscus, Bartol. in l. cum filiusfamilias, 40. §. in hac stipulatione, ubi distinguit, ff. de verb. oblig. Joh. de Platea, in d. l. 2. num. 3. Cod. de usu. fisc. Lib. X.*
8 *Everardus cons. 137. nu: 65.* In quem * modum Magistratus extra provinciam suam jus suum amittit, & pro privato habetur, *text. in l. 3. ff. de offic. præsid. l. final. ff. de jurisdict. l. pupillus, 239. §. territorium, ff. de verbor. significat. Clem. quamvis, de foro compet. Bartol. in l. si quis sit fugitivus, §. apud Labeonem, numer. 2. ff. de adil.*

ædil. edicto, Jason in l. plerique num. 13. ff. de in jus vocand. Guido Papa decis. 423. numer. 142.

CAPUT XX.

De confirmatione & renovatione privilegiorum.

BREVIARIUM.

1. *Quid sit confirmatio privilegiorum?*
2. *Cur necessaria? num. 5. & num. 7.*
3. *Cur ab Principe non deneganda aut negligenda?*
4. *Princeps privilegia confirmare nolens, injuriam facit.*
6. *Abundans cautela non nocet.*
8. *Nec regna parem, nec teda ferre sciunt.*
9. *Confirmationem privilegiorum subditos à novo Principe petere utile est.*
10. *Chrysostomus privilegiorum confirmationem impetrare solet.*
11. *Principes boni quidam privilegia confirmare in specie noluerunt.*
12. *Quid renovatio privilegiorum?*
13. *Renovatio privilegii confirmat idem.*
14. *Cujus sit confirmare & renovare privilegia?*
15. *Usus confirmationis renovationisq; & effectus.*
16. *Nihil novi juris ista tribuunt.*
17. *Confirmatio quævis ad tempus actus retrotrahitur.*
18. *Confirmatio etiam invalida justam dat præscribendi causam.*
19. *In confirmatione & renovatione privilegii eadem requiruntur, quæ in collatione & impetratione illius.*
20. *In his quoq; subreptio pro vitio habetur.*
21. *Et præjudicium tertii excipitur.*
22. *Lite pendente impetrata confirmatio quid valeat?*
23. *Privilegium illicita continens non confirmatur.*
24. *Reperta falsitate privilegii corruit ipso facto confirmatio.*
25. *Nec valet confirmatio, ubi confirmatum est nullum.*
26. *In confirmatione plerumq; privilegium quod confirmatur, de verbo ad verbum inseritur.*

 27. *Si*

27. *Si privilegium antiquitate aut alio casu ita corruptum, ut legi penitus nequeat, aut omnino amissum, renovari petatur, quid agendum? deliberatur.*
28. *An liceat Principi actum invalidum validum facere? quæritur.*
29. *Clausula, supplentes de plenitudine potestatis omnem defectum, &c.*
30. *Si concurrunt utriusq; generis actus, confirmatio ad validos tantum refertur.*

QUAM ipsa privilegiorum collatio, tam confirmatio, tam renovatio eorum, & frequens est & necessaria: ut non tantum quæ mox dicemus, sed quotidianus rerum usus testatur. Hæc duo cum differant nonnihil, in plerisque tamen eandem legem sortiuntur.

1 Est enim privilegiorum * confirmatio, cum Princeps privilegia, ab se, vel antecessore suo, aut quovis inferiore collata, sui auctoritate assensus approbat, rataque esse jubet, *fac. l. 12. in princ. C. de S. Eccles. l. si qua, 22. l. omnes, 32. §. 7. l. omnia privilegia, 34. C. de Episcopis, l. sancimus, 12. cum l. seq. l. laudabile, 23. in fine, l. antepen. C. de advocat. diver. judic. l. unica, in fin. C. de rei uxoriæ actione, l. neminem, 64. l. pen. C. de decur. Lib. X. l. ult. C. de decurial. urbis Romæ, lib. seq. l. hi quibus, 6. C. de fundis patrim. lib. eod. l. decurionibus, 3. C. de silentiar. lib. 12. c. pen.*
2 *& ibi gloss. dist. 100.* Nam quia * persæpe aliqui variis artibus privilegia nostra concutere atque infirmare nituntur, *d. l. hi quibus, 6. in verbo inconcusse, C. de fun. patr. d. l. ult. C. de decur. urb. Romæ, d. l. antepen. in fi. C. de advoc. diu. jud.* nec raro casus incidit, ob quem de privilegii firmitate dubitatur *fac. d. l. 3. C. d. silent.* illa inprimis causa, quod, ut supra ostensum, multi privilegia morte concedentis finiri, & nisi ab successore de integro promulgeantur, invalida censent: ea re ut tutius ac tranquillius liberalitate Principum unusquisque frui possit, *d. l. petitionem, 13. auth. de hered. & falc. ibi, viventibus præbere ex eis cautelam.* voluntatis principalis repetitio quædam & declaratio necessaria est, quæ illa, de quorum vi atque firmitate dubita-

tur,

tur, inconcussa, illibata, inviolata conservare jubeant: ut faciunt hactenus dictæ leges. Principes enim futuris potius negotiis & casibus leges imponere, quam præteritis calumnias excitare decet *l. pen. in fi. C. de decur. Lib. X.* Imo vero æquitas * & reliquæ causæ, quæ ut concedere privilegia moverunt, ad 3
confirmationem quoque eorundem impellere debent, *d. l. omnes, 32. §. privilegiis, l. omnia privilegia, 34. C. de Episcopis.* Itaque cum Princeps æquitatis * rationem negligens, nec pri- 4
vilegia quæ ipsa suggerit auctoritate sua promulgans, injuriam facere dicatur, *l. 1. §. pen. ff. de aqua quot. & æstiv. l. sancimus, 22. C. de S. Eccles.* multo magis ille inique agere videbitur, qui jus quæsitum conservare atque tueri non vult, *fac. l. pen. §. 1. C. de usufructu.* Unde Fridericus II. Imp. in confirmatione privilegiorum Ducum Austriæ, facta Duci Friderico, ut refert Cuspinianus: Justis, inquit Principum nostrorum petitionibus condescendere cogimur: quas nisi favorabiliter audiremus, obaudire quod juste petitur, per injuriam male audiremus. Et Fridericus I. Imp. in privilegio, quod cupreis tabulis in Wormatiensi templo inscriptum est: Imperialis justitiæ decet clementiam, inquit, ut quæ ab antecessoribus nostris, Regibus sive Imperatoribus, ad favorem populi alicujus, aut civitatis pie statuta cognoverimus: ea nos confirmare aut renovare debeamus. Nam * licet, ut *cap. 11. libr. 3.* demonstratum, 5
privilegia ad successores transeant, & perinde sub horum imperio rata sunt atque sub illo fuerunt (quod vel hæc ipsa confirmatio probat: quæ non jus novum introducit, sed vetus confirmat: ut postea videbimus) nec ab hoc nisi justa ex causa revocari possunt, tamen ob hoc ipsum, quia tam ab successore, quam ipso primo concedente revocari possunt, & proinde ab utriusque judicio pendent, maxime utilis & necessaria privilegiorum confirmatio esse videtur, inprimis cum abundans * cautela nunquam noceat, *l. test. & ibi gloss. in verbo* 6
Cau-

Cautela, *C. de test. l. non solent*, *ff. de reg. jur. l. si pupilli*, *§. 1. ff.*
de negot. gest. l. qui extrinsecus, *ff. de verb. oblig. fac. Clem. 1. in*
7 *fine*, *de jurejur.* Nec * postrema confirmationis petendæ causa
ambitio est quædam Principum, cui indulgere necesse est. Hi
enim ut imperia sua soli Deo, non antecessoribus, accepta fer-
re solent: ita subditos quoque ab se omnino ac penitus pen-
dere, ab se omnia bona jura, beneficia, habere volunt. Quasi
enim æmulos audiunt, cum majorum ipsis liberalitates & be-
neficia objiciuntur. Omnis vero potestas consortis impatiens:
8 & nec * regna parem, nec tedæ ferre sciunt. Hac de causa &
privilegia sibi, non majoribus, deberi volunt: Et alii quidem
omnino nulla ea atque irrita judicant, quam diu non ab ipsis
iterum impetrata, & quasi de integro (unde & precium ali-
quando intervenire necesse est) concessa sunt: alii vero paulo
justiores clementioresque illum tamen honorem ac veneratio-
nem exposcunt, ut subditi privilegiorum suorum confirmatio-
nem petant, eaque tam sibi quam majoribus debere non eru-
9 bescant. Id * quod facere subditos, utrinque utile consultum-
10 que arbitror esse. Hodie quidem * ut solent omnia in dete-
rius ire, raro privilegiorum confirmationem impetres, nisi
Chrysost. intercedat. Unde in regno Franciæ certos ex con-
firmatione privilegiorum & officiorum redditus regis esse,
qui antiquitus eo solum casu, cum sceptra ad collaterales
11 transibant, provenerint, legitur. At enim * jam olim, cum
ex instituto Tiberii Cæs. ut Suetonius memorat, omnes de hinc
Cæsares beneficia à superioribus concessa Principibus aliter ra-
ta non haberent, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent; Ti-
tus primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec ab se
peti passus est. Quæ paulo pluribus verbis Sex. Aurelius re-
fert: Instituerat, inquiens, Tiberius, ut donata concessave be-
neficia à superioribus Principibus rata non essent, nisi in se-
quentes eadem confirmassent, novoque quasi quodam benefi-
cio iterum concessissent. Titus vero noluit videri talium ipse
bene-

beneficiorum exhibitor, nec talia ab se peti amplius voluit: sed edicto promulgato, illa omnia confirmavit, quæ fuerant jam pridem à suis concessa antecessoribus. Idque secutus est postea etiam D. Nerva, ut apparet ex elegantissimo illo & pleno æquitatis edicto illius, quod extat inter Epistolas Plinii junioris *libr. 10. cap. 62.* hisce verbis comprehensum. Quædam sine dubio Quirites, ipsa Felicitas temporum edicit, nec spectandus est in iis bonus Princeps, quibus illum intelligi satis est, cum hoc sibi quisque civium meorum spondere possit, me securitatem omnium quieti meæ prætulisse, ut & libenter nova beneficia conferrem, & ante me concessa servarem. Ne tamen aliquam gaudiis publicis adferat hæsitationem, vel eorum qui impetraverunt diffidentia, vel ejus memoria, qui præstitit, necessarium pariter credidi ac lætum, obviam dubitantibus indulgentiam meam mittere. Nolo existimet quisquam quæ alio Principe vel privatim vel publice consecutus, ideo saltem à me rescindi, ut potius mihi debeat, si illa rata & certa fecero. Nec gratulatio ullius instauratis eget precibus, & qui non habent, me, quem fortuna imperii vultu meliore respexit, novis beneficiis vacare patiantur, & ea demum sciant roganda esse, quæ non habent. Hæc Nerva Imp. unde eligant hoc in casu Principes, utrum Nervæ, utrum Fridericorum, de quibus antea, utrum Titi, qui amor ac deliciæ generis humani parentisque omnium promeruit cognomen, an Tiberii, Neronis, Caligulæ, & similium, sequi exemplum auctoritatemque malint? Hinc igitur, quid confirmatio privilegiorum, & unde nata, perspicitis.

Renovatio * autem privilegiorum fit, cum vel privilegium, quod in desuetudinem nonnihil venire incipit, in usum revocatur, vel instrumentum ejus vetustate aut aliquo casu corruptum aut omnino amissum revocatur, *auth. de hered. & falcid. in princ. ubi Part. n. 17. & seqq. Proœm. Instit. §. in quibus, ibi, quod postea desuetudine inumbratum, imperiali remedio illuminatum* 12

natum est, l. 2. C. de revocand. donat. c. cum dilecta de confir. utili vel inutili, c. cum olim, de privilegiis, c. ult, de f. de instrument. auth. de quæstor. in princ. ibi, quod paulatim labitur, reparare festinamus, l. 2. & ibi gloss. C. de discussor. libr. 10. l. chirographus, 57. ff. de administr. & peric. tut. l. si quis, 6. §. pen. & ibi Bart. ff. de edendo, l. ult. & ibi gloss. C. de diver. præd. Lib. XI. l. sancimus, 53.
13 *§. 1. C. de Episcopis.* Renovatio * igitur omnis privilegii confirmationem quoque ejusdem inducit, ut ex dictis legibus apparet. Unde iisdem quoque legibus ambæ debent esse comparatæ.

Ac causæ quidem renovandi privilegia eædem sunt, quæ
14 confirmandi. Cujus autem * sit renovare vel confirmare privilegia, quæris? Ejus, inquam, cujus est conferre, cujus interpretari, cujus adimere. Quod cum non dictæ modo leges, sed inprimis illa quoque quæ de jure condendi, interpretandi, tollendi privilegia, in præcedentibus diximus, satis ostendant, in præsentia pluribus demonstrare supersedeo.

15 Usus * vero horum effectusque ille est, ut jure nobis quæsito secure ac tranquillo frui, idque illæsum, integrum, illibatumque retinere queamus, *d. l. hi quibus, 6. C. de fund. patrimon. d. l. petitionem, de authent. de hered. & Fal. &c.* Adeo ut quamvis antiqua & originalia privilegia amissa sint, confirmatio tamen seu renovatio illorum tantum robur habeant, ac si ipsa privilegia primo concessa extarent, *gl. nota in c. si Roma-*
16 *norum, in ver. Desunt. dist. 19.* Ubi * tamen illud probe notandum, tam confirmationem privilegii, quam renovationem, jus tantum vetus & quod prius collatum fuerat, firmare ac renovare, nec juris novi quidquam conferre, *l. legalia, 19. in princ. de leg. 1. l. ex verbis, 14. & ibi gloss. in ver. Cui. Cod. de donat. inter virum & uxor. cap. quia intentionis, c. ex parte, de privileg. c. cum dilecta, de confirm. utili, c. Achatius, 24. q. 1. c. quia diversitatem, de conf. præb. Bald. in l. nominationis, ver. Illud certum est, C. de appellatio, Decius in rubr. de confirm. utili vel inutili,*

ver.

ver. secundo, pro introductione, Felin. & Dd. quos allegat in c. cum venisset, de testibus, col. 2. Ægid. Boss. in tit. de Principe, num. 348. & seq. A. Gailius lib. 2. observat. cap. 1. num. 2. Jason. in l. more, §. num. 41. ff. de jurisd. L. Schrad. de feudis par. 5. cap. 2. num. 33. par. 6. cap. 3. num. 30. Hæc enim confirmationis est natura, confirmato robur addere & firmitatem, non extendere ad non expressa in confirmato: ut scribunt Bald. *in l. adversus, n. 3. C. si adversus rem judic. Alex. in cons. viso puncto, 122. n. 21. vol. 6.* Confirmans quippe, quod per se subsistere potest, non videtur de novo dare, *d. l. ex verbis 14.* Ac * regulariter quælibet 17
confirmatio, tam tacita quam expressa ad tempus actus retrotrahitur, atque perinde habetur, ac si ab initio actui adfuissent, *l. donata, 36. §. si spons. ff. de donat. inter virum & uxor. l. fin. C. si major factus alienat. fact. &c. Bald. in cap. 1. in princip. de fide instrum. Felin. in cap. licet. causam, num. 18. limit. 5. de probat. Hippol. de Mars. sing. 113. & plures quos allegat Schrad. in d. tract. par. 10. sect. 20. num. 42.* Illud * non ignorandum, confirma- 18
tionem etiam invalidam, justam tamen causam & bonam fidem præscribendi præbere, *fac. cap. dudum, de decim. cap. constitutus, §. 1. & §. fin. de religios. dom. cap. circa, de jure patron. L. Roman. in l. juste, de acquir. possess. Vital. de Cambanis, in tractatu clausul. in claus. Quatenus rite & recte processerit, &c.* quod distinguit Abbas *in d. c. dudum.* Ut siquidem præcesserit error juris, nullam; sin facti, aliquam præscribendi causam talis confirmatio præstet.

Has * ob res in confirmatione quoque & renovatione 19
privilegiorum eædem omnino conditiones, quæ in ipsa collatione, adesse debent: & qui confirmationem impetrare cupit, easdem leges cum illo, qui collationem obtinuit, servare & sequi tenetur. Nec sufficit, ab initio rite impetratum collatumque privilegium fuisse, sed tum quoque, cum confirmatio vel renovatio petitur, validum esse oportet. Sæpe enim processu temporis privilegia initio æquissima iniqua fieri solent. Itaque

20 * ergo in his quoque ſubreptio pro vitio habetur, *c. de confirmationibus, de confirm. utili vel inutil.* & præjudicium tertii ex-
21 cipitur *cap. 1. & ibi gloſſ. ibid.* Unde clauſula, * ſalvo jure tertii, expreſſe inſeritur, vel certe tacite de jure ineſt: ut docet A. Gailius *lib. 2. de cap. 1. num. 14.* & partis, cujus agitur præjudicium, præſentia citatioque requiritur, *d. c. cum olim, de privilegiis, l. nam ita, 39. ff. de adoption. l. de unoquoque, 47. ff. de re judic. l. in concedendo, 8. ff. de aqu. & aqua pluv. arcen. Bart. in l. adopt. Gail. d. c. 1. num. 11.* niſi ſit in mora periculum, ut ſentit Abbas *in c. cum dilecta, de confirm. utili vel inutili, & Decius ibid. num. 37.* Itaque per contradictionem illius cujus intereſt, privilegium non valere, impeditur ipſius privilegii renovatio, donec cauſa contradictionis diſcutiatur, *Abbas in d. c.*
22 Sic * lite pendente impetrata confirmatio vana cenſetur, *c. examinata, c. bona, ibid.* quod negare videtur *cap. ex parte Abbatiſſæ, de privilegiis.* Sed conciliat *d. c. bona*, & gloſſa ib. quod confirmatio talis tam diu pro nulla habeatur ac pendeat,
23 donec ſententia de lite feratur. Atque * ut privilegium nullum datur, ubi æquitas repugnat, ita nec confirmatur privilegium, quod illicita introducit, *Bar. in l. 1. n. 1. ff. de his qui ſui vel al. juris ſunt. Angel. in §. in poteſtate, n. 4. Inſt. eod. Felin. in c. 2. col. 17. de reſcriptis. Baldus in l. omnes populi. col. 8. ff. de juſtitia & jure.* Itaque adeo ipſum ab initio privilegium nullo omnino vitio laborare
24 oportet, ut confirmatio juſta judicetur. Reperta * enim falſitate primi privilegii, corruit ipſo facto confirmatio: ut notat Abbas *in c. inter dilectos, de fide inſtru. & in c. cum inter, de ſent. & re*
25 *judic.* Nec * valet confirmatio, ubi confirmatum eſt nullum, *Felin. in d. c. inter dilectos, col. 5. fac. c. quia diverſitatem, de conceſſ. præb. & in c. pen. de confir. utili vel inut. P. Ancharan. conſ. 382. viſis diligenter, Æg. Boſſ. in tit. de Principe, n. 350. & ſeqq.* Nec repugnant *c. quotiens. de pactis, & c. 1. de translat.* Ubi confirmatio operatur ſupplementum defectus, exiſtentis in confirmato. Iſta enim ita accipi debent, ut quæ ſupplere & aliquid agere ultra confir-

confirmationem propositum habeant. Verum ubi confirmatio simpliciter insistit primæ concessioni, eaque falsa reperitur, nihil confirmatio prodest. Unde * plerunque in confirmatione univer- 26
sum quod confirmatur privilegium de verbo ad verbum poni ac recitari solet.

Ut fit in illa, de qua paulo ante, Imperat. Friderici confirmatione; ubi ipse ait: Supra scriptum privilegium D. Augusti Avi nostri prædicti, huic nostro privilegio de verbo ad verbum inseri jussimus, omnia quæ continentur in eo de Imperialis præeminentiæ nostræ gratia confirmantes. Quod si vero privilegium
* antiquitate aut alio casu ita corruptum, ut legi penitus nequeat, 27
aut etiam omnino amissum, renovari petatur: æquum est quidem, renovationem minime denegari, *per tex. aptiss. in l. pen C. de usufructu.* Sed utique necessarium est, testibus aliisque sufficientibus argumentis de jure ac tenore illius privilegii accurate doceri, *l. 2. C. de discussoribus, Lib. X. l. chirographus, 57. ff. de administr. & peric. tut. l. si quis, 6. §. pen. ff. de edendo, c. cum olim, de privilegiis.* Nam hoc casu, si veritas aliis evidentibus probationibus ostendi possit, etiamsi perdita sint instrumenta, privilegia tamen sua quenque usurpare posse, argumento est *l. si solennibus, 7. Cod. de fide instrumentorum.* De quo plura supra *lib. 1. cap. 9. num. 39. & seqq.* dictum.

Quærat autem aliquis, * an vero non liceat Principi actum 28
invalidum per se aut inutilem, validum utilemque facere? Ego vero omnino hoc ajo, per *tex. express. in l. adoptio, 38. ff. de adopt. leg. quidam consulebant, 57. ff. de re jud. l. 2. ff. de rebus eorum, qui sub tut. sunt, &c. l. 3. C. de donat. inter virum & uxor. §. fin. Instit. de tutelis, c. 1. c. 2, de transact. c. venerabiles, de confirmatione. gl. in c. dilecto, in ver. hujusmodi clausula, de præbend. A. Gail. in d. c. 1. num. 16. & seqq. Hippol. de Marsil. sing. 196.* Sed hoc ex certa scientia factum oportuit, *d. cap venerabiles. An. Gail. de loco nu. 17.* Omnino si apparet, confirmatorem istiusmodi privilegium utique conferre voluisse, nec tam privilegio priore, quam sua vo-

luntate motum fuisse ; ita ut tale sit propositum ejus: In omnem eventum volumus, ut ille hæc habeat, sive ut confirmata, sive ut donata : secundum Innoc. Abbat. & Felin. *in d. c. inter dilectos,*
29 ratum id esse firmumque duco. Hinc * quandoque & clausula illa confirmationibus adjicitur : supplentes de potestatis plenitudine, si quis defectus intervenit, &c. Quæ tamen verba circa juris tantum solennitatem commissum defectum supplent, ut notat Abbas *in d. c. & Spec. in tit. de legato. §. nunc ostendendum. v. 18.* Ita Imp. Carolus V. in confirmatione privilegiorum Ducum Austriæ : Wir erfüllen auch von der ehegemeldten Röm. Käys. Macht Vollkommenheit alle Gebrechen / die in solchen Briefen und Privilegien von unbillichen Inträgen / die man fürbringen möchte / wie das am quämbsten gefunden werden möchte : und wöllen / daß die solchen Briefen und Privilegien keine Kränckung / Irrung / oder Schaden bringen sollen / innerhalb oder ausserhalb deß Gerichts : sondern sie sollen in allen ihren Puncten / Clausulen / Articuln und Meynungen / wie die von Wort zu Wort lauten und begriffen seyn / gantz kräfftig und beständig bleiben zu ewigen Zeiten rc.
30 Quod si * item in confirmatione facta per Principem concurrunt actus invalidi & validi, in dubio talis confirmatio refertur tantum ad actum validum : ut singul. notat Jo. And. *in c. dudum. in fin. de decim. & sequitur Bald. in l. bonorum , C. qui admitti. & Hipp. de Mars. d. sing. 196.* Sed hæc novi potius privilegii collatio quam confirmatio est : cum aliud sit dare, aliud confirmare, *l. & quia, 6. ff. de jurisdict.*

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM MEMORABILIUM, IN LIBRIS DE PRIVILEGIIS JURIS CIVILIS CONTENTARUM.

Numerus Primus Librum, Secundus Caput, Tertius Numerum marginalem, denotat.

aliud

Digni-

 tamen

an

L.

fuper-

Mors

Prin-

de


illi-

T.

in

F I N I S.

Sphalmata ſi quæ ſunt Orthographica, ſane leviſſima, præter nomen Bar. Hohenhtim, quod pag. 1. Hoheneccius legendum, B. L. facili opera haud gravatim corriget.





3